25147

Seneca.

Assiduus humani generis disc[illegible]st. Nova Urbium funda-
menta iaciuntur: nova gentium [illegible]ina, exstinctis prioribus
aut in accessionem validioris conv[illegible], oriuntur. Itaq; vix inve-
nies ullam terram, quam etiam [illegible] indigenæ colant: permix-
ta omnia & insititia sunt; alius [illegible] succ[illegible]sit. Sed quæ fre-
quentiores quam Terra Hungaria passa sit Incolarum mu-
tationes, haud scio an ulla sit. Ita crebro et subito: velut un-
da supervenit undam: gens gentem impulit. Eam pri-
mum habuere Pannones, quos Augustus Romano primus
Imperio adiecit: sed varia ex eo et diuturna Romano-
rum Principum in Pannonia et Dacia (: quæ et ipsa Hun-
garia est:) bella fuere. Romanorum certe in ea reliqui-
as passim vidimus, Valachos: ut repetere hic liceat &,
quod ille dixit, ubicunq; vicit Romanus, habitat. Sub
on Stantino consederunt in ea Vandali: Vandalos ex-
pulerunt Gothi: et hi unde illos expulerant, ejecti sunt
ab Hunnis: Hunnos, Ostrogothi; Ostrogothos Longo-
bardi repulerunt. Italiam repetetentes Longobardi, Ter-
ram amicis Hunnis concessere. Sed Hunos Franci graviter
afflictos vindicarunt sibi atq; subiecerunt: donec terram
tota[illegible] occu[illegible]rent tandem Hung[illegible], et de nomine suo
Hungariam appellarent, qua[illegible] illis ipsis Hun-
garis, et Germanis et Ciculi (: quos reliquias esse
vetustissimorum Hunnorum aiunt:) et Romano-
rum Posteris Valachis, et tandem [illegible] Turcis

ætas nostra in sessam videt.

Lubet adscribere illustris & prudentis Viri Sigismundi Herberstenij Baronis verba, recensentis, quas ipse Legatus Ferdinandi Regis viderat, notaverat causas excidii Hungarici.

Mathias Rex, inquit, neq; Regio sanguine natus, neq; vetusto Ducum aut Principum stemmate clarus, non tamen nomine solum Rex fuit, sed ipsa re Regem gessit: ac non modo Turcarum Principi fortiter restitit, eiusq; gravissimas impressiones invictus sustinuit: verum et ipsi Romanorum Imperatori, atq; adeo Bohemiae atq; Poloniae Regibus negotium fecit: demq; omnibus vicinis suis, terrori fuit. Quemadmodum autem hujus Regis virtute, ac rebus gestis Hungaria Regnum ad summam potentiam, ipso vivente, pervenerat: ita eo sublato, quasi mole sua laborans, inclinare coepit: Nam qui ei successit, Vladislaus Bohemiae Rex, Casimiri Poloniae Regis filius primogenitus, Princeps quidem pius, religiosus, et vita inculpata, sed ad moderandam tam belicosam gentem, in tanti praesertim hostis vicinitate minime sufficiens fuit. Etenim tot rebus secundis ferociores et insolentiores facti Hungari, benignitate et clementia Regis abutebantur ad licentiam, luxuriam, desidiam, fastum: quae vita eo tandem evasere, ut etiam Regem ipse contemptui haberent. Porro Ladislao defuncto, sub eius filio Ludovico, cum haec ipsa vita magis ac magis invaluere: tum, quia res militaris fuit belli disciplina, ea tota est amissa. Nec potuit Rex puer, his malis ob aetatem mederi: nec aliorum ad eam [illegible] decebat gravitatem educatus fuit. Primores Regni, ac praecipue Praelati, luxu pene medio diffluebant: et certabant quasi aemulatione vivendi, tum inter se, tum cum Baronibus, ut alios profusione et splendore vincerent. Id Aliti, partim beneficiis ac [illegible] rarum etiam [illegible] sentia ac metu, sibi obnoxiam tenebant, ut plures assectatores [illegible] sacerdotum studiis, ac acclamationibus publicis conventibus invarent. Etenim dictu, ora pompa, quo apparatu, ac cum tubis equitum utinam armatae copiis, Budam tum ingressi, praeeuntibus tubicinibus, ad cuius oam quasi triumphum spectandum. Porro in Regiam cum irent, aut inde redirent, tanto deductorum ac Sinatus comitatu undique lecti incedebant, ut vix et illa res ipso caetera cederent. Cum vero praeandum esset, tota Urbe

ad ædes cuiusq; tubæ non aliter atq; in cas[illegible] esonabant, et ducebantur prandia in multas horas, quæ somnus et qu[illegible] excipiebant: cum contra, quasi solitudo quædam esset circa Regem, et fines Regni interea destituti necessariis præsidiis, impune ab hostibus vastarentur, Eppatus, dignitates, et præcipua quæq; officia promiscue, non pro meritorum ratione conferebantur: et quo plus potentiæ quisq; obtinebat, hoc plus juris habere videbatur. Itaq; laborabat justitia, et premebantur infirmiores: ac omni bono ordine sublato atq; everso, subinde inveniebatur aliquid, quod Reip. labem aliquam cum vulgi detrimento afferret: etc. Denique ea erat in universa Hungaria omnium rerum inclinatio, vel potius confusio, ut quivis vel minimam habens, regnum hoc tot malis obnoxium, etiamsi nullum vicinum haberet hostem, mox perire oportere prospiceret etc. Quod mihi tum præsagiebat animus, quodq; metuebam, nihil proficientibus bonis ac fidis monitoribus et consultoribus, ingenti nostro malo evenit: neq; dum hujus Tragœdiæ finis est. Aula mansit, qualis erat: et nihil remissum est a pompâ, fastu, insolentia, ac luxu, donec consideret. Ut non inepte quidem Aulicis Mathiæ Regis tum dixerit, Se nunquam vidisse vel audivisse Regnum ullum, Quod majore, atq; Hungaria gaudio et tripudio periret.

## Epitaphium Mathiæ Corvini Regis in Alba Regali sepulti.

Mathias ego Regum specimen & gloria Martis
Hic iaceo fatis, obrutus ante diem.
Qui domui Reges, Moravos, fortesq; Bohemos
Atq; Polonorum castra supera Ducum.
Innumeros vici Populos, Pulchram Viennam,
Totus et immensus qui tigor orbis eram.
Cæsare me gemino fateor duxisse triumphum
Alter Germanus, Turcicus alter erat.
Aspice qui fuerim, quem magnum postea mundo
Secula narrabunt, sustulit hora brevis.

ALIUD.

Corvini brevis hæc urna est, quem magna fatentur
Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.

RMK III 2058

# DE MONARCHIA ET SACRA CORONA REGNI HVNGARIAE CENTURIÆ SEPTEM,

AUCTORE

PETRO DEREWA
COMITE TVROCENSI,
Ejusdemque Sanctæ Coronæ
DVVMVIRO.



Rmk III 2058

# DE MONARCHIA ET SACRA CORONA REGNI HVNGARIAE CENTURIÆ SEPTEM,

D1 SB 262

AUCTORE

VAI, Peter

# PETRO DE REWA

COMITE TVROCENSI,

Georgius Richvaldszky C.S. Caplo Strigs. D. pro Pfectura S. Benedicti 1770.

Ejusdemque Sanctæ Coronæ

DVVMVIRO.

*Quas emendatas & auctas publicabat*

COMES FRANCISCUS de NADASD,

*Perpetuus Dominus Terræ FOGARAS, REGNIQVE HVNGARIAE IVDEX, &c.*

Quibus accessit seorsim

*Catalogus Palatinorum & Iudicum ejusdem Regni, operâ & studio*

GASPARIS JONGELINI ABBATIS

Eussersthalensis, & dicti Regni Historiographi.




FRANCOFURTI,

Sumptibus THOMÆ-MATTHIÆ GÔTZII.

*Typis Jacobi Lasché Typograph. Hanoviens.*

ANNO MDCLIX.

1659

F 3620
22 VII. 1981
17A0089308
D, SB 262

SACRA ANGELICA ET APOSTOLICA REGNI HUNGARIÆ CORONA.

Nobile cæligeno resplendens lumine sydus
Dignius anne polo dignnis anne solo:
Fulge sic patr æ fati sera potestas
Te cæli rursus cogat adire lares.



# AUGUSTISSIMO ACPOTENTISSIMO PRINCIPI DIVO LEOPOLDO ROMANORUM IMPERATORI CÆSARI AUGUSTO, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, &c. REGI.

PRæsagit mihi animus, *Augustissime Cæsar*, fore ut in repræhensionem incurram, & imprudentiæ, quod has centurias alieno stylo natas, publici juris faciam; & impudentiæ, quod eas *Augustissimo Tuo Nomini* inscribere non dubitaverim. Quare, quam legem aliis aut voluntas indicit, aut consuetudo præscribit, eam mihi necessitas imperat, ut breviter consilii mei rationem proponam. Equidem fateor, & negare non possum, potuissent hæ centuriæ nonnihil adhuc penes me latuisse; Verum tamen, quando hoc scripturiendi genus, (quod præcipuè Regnum Tuum Hungariæ respicit) nec lege nec more coërcetur, cur minus & nobis jus sit, publico jure uti? sed quoniam hæc ratio magis pravitate consuetudinis, quàm regulâ æquitatis nititur, utar alio perfugio, quod probis probatum IRI maximè confido. Non enim mei fiduciâ subnixus, has de Regno Hungariæ centurias, *Augustissimæ V. Maj.* dedicare præsumerem nisi hortatu incitatus magnorum virorũ, & in primis Illustris. ac Excellentissimi Domini, Comitis Francisci de Nadasd, Regni Hungariæ Judicis, ac *Sacratissimæ V. Maj.* Consiliarii ac clientis optimi. Et quis non laudet, *cum Augustissimam V. Maj.* ut doctorum omnium Mecænatem singularem celebravero? illum, inquam, qui nemini suorum antecessorum cedens, Romanum Imperium planè illustraturus est, immò &

*Aucturus meritis, quidquid honoris erit.*

Non igitur cuiquam mirum videatur, si illud de *Augustissimâ Vestra Majest.* modo usurpem, quod olim bonus Poëta, de bono Principe est effatus:

*Quod regnas, minus est, quàm quod regnare mereris,*

Qui vel à teneris Romano Imperio dignum Te præstitisti, quodque solo sanguine mereri potueras, pietate & sapientiâ maluisti.

Et quis mihi vitio vertat, non penitus bonarum artium, rudi, si per bonas artes & annalium scriptiones, ad *Sacræ Vestræ Majest.* gratiam aspirare more majorum meorum audeam, quam nemini bono interclusam esse patitur insignis, & omnium ore celebrata Tua humanitas? Rara sanè virtus in tali fortuna, & summo fastigio dignitatis: sed quò rarior, eò præcipuâ admiratione dignior. Quæ si parvitatem meam, hosque exiles conatus sive labores respicere non dedignetur, animos addet, ut brevi publici juris faciam annales Rerum Hungaricarum duobus voluminibus, unà cum Serenissimorum Regum effigiebus ac Genealogiis, quæ propediem prælo commissurus, Deum interim supplex orabo, ut *Augustissimam Vestram Majestat.* toti Imperio, ac Catholicæ Religioni, quàm diutissimè superstitem servet. Ita voveo, spero, opto,

Augustissimæ V. Majestatis

*Devotissimus Clie*

GASPAR JONGELINUS ABBAS EUSSERSTKALENSIS, & Regni Hungariæ Historiographus Regius.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO BARONI

# LADISLAO REWA

## CONSILIARIO REGIO, AC COGNATO SUO, COMES FRANCISCVS DE NADASD REGNI HUNGARIÆ JUDEX S. P. D.

*ANni vix quadraginta elapsi sunt, à quo Avus meus Maternus, Tuusque consanguineus* Petrus Revva *Comes Turocziensis, insignem edidit libellum de* Angelicâ Coronâ *Apostolici Regni nostri Hungariæ, succinctum sanè ac elegantem, & quo nemo brevius, clariusvé illius* Sacræ Coronæ *originem, Regumque variam fortunam, successionemque ad hæc usq; tempora summatim descripsit, quod alii ingentibus tomis vix sunt assecuti. Qui libellus post mortem auctoris vix amplius superstes, tandem interiisset, nisi in Bibliotheca Tua repertus (uti es non solum Rerum Hungaricarum, sed & aliarum gentium studiosissimus) eundem ab interitu vindicasses. Unde, Illustrissime Cognate, Te meritò iisdem verbis alloquar, quæ ad Virgilium olim usurpabat Grammaticus ille Phocas:*

Tu nihil magnum sinis interire,
Nil mori clarum pateris, reservas
Posteris prisci monimenta sæcli
Condita libris.

*Et verè soli Tuæ diligentiæ ac curæ universa Hungaria debet, & ultrò fatetur, quod licet*

Auctor abît operis, sed tamen extat opus:

*Quod ipsum Tuo dono mihi communicatum, nunc denuò prælo subiicio, Tibique ac reliquis Hungariæ Proceribus offero,*

*velut Mnemosynon quoddam acceptæ beneficentiæ erga me Tuæ.*

*Quod reliquum est, Illustrissime Cognate, Deum rogo, ut Te, Tuique similes, quàm diutissimè Hungariæ nostræ superstites servet. Ita opto, voveo, spero, Tuus ex animo qui supra.*

Ex Seyberstorff 1. Jan. 1658.

*Distichon ad auctorem.*

Regibus Hungariæ das vitam, illi tibi famam:
Alterius sic res altera pensat opem.

Ludebat GASPAR JONGELINUS ABBAS EUSSERSTHALENSIS, & Regni Hungariæ Historiographus.

# PRÆFATIO.

ANte aliquot annos emiseram in lucem libellum de S. Coronæ Regni Hungariæ, ortu, victoriâ, virtute, fortunâ, sub titulo brevis Commentarii, cujus promulgatione hoc propositum mihi fuit, ut miram ejus conservationem, sub eâque Regum Regni hujus, rerumque in eo memorabiliter gestarum compendiosam descriptionem succinctè perstrinxissem. Eum dum ante duos annos in manus resumptum, passim ex inconsiderantiâ Typographi (quod pace ipsius dixerim) nonnulla errata contraxisse animadverterem, vindicare eundem ab iis, mediante accutiori limâ, ac studio in animũ induxi meum: atque tandem anno præsente eò diligentiùs, quod temporibus tristibus, dubiis, & inquietis, ex officii mei ratione, Arci Posoniensi ultra annum adhærens in ocium redigerer; quod tædiosum satis ut amœnitate negotii alicujus permiscuissem, ad literarum & scriptionis hujus adminicula operam converti, & tempus lucrari volens, & animi fastidium dispellere, ut moræ ingratæ lapsum, per occupationem tacitè, transeuntem tolerabiliùs tulisset.

Quod ubi persequi laboro, præter id quod jam transacta ad amussim debebant revocari, vidi uno compendio occurrere plurima, atque singularia quædam, adeoque necessaria in multis historiis, tam domesticis, quàm peregrinis, labore & industriâ excussis, manu scriptis etiam, & privilegiis antiquis, ut in unum corpus coagmentata, idonea sint visa, quæ præ evulgata commodè augerent, & mutato etiam titulo, illustrataque methodo, novum quasi fœtum efformarent; quod diligens Lector facilè animadvertere poterit. Ne autem novitate tituli *Monarchia* præsertim offendatur; animum ipsius mox in fronte præoccupare volui.

Nomen & decus Monarchiæ quartæ, communiter à doctis, authoritate divinâ & humana fundatæ, salvum & intactum relinquo, & disparem scio hanc nostram Regiam Monarchiam, ab illa Imperiali ac Romana, cujus veteris & maximè imaginem præclaram in Germanico Imperio conspicimus; tamen sicuti reliqua regna florentissima, quæ circa idem aut aliud tempus, à Romano Imperio divisa, & libertate quæsita, peculiare suæ gentis fastigium extulerunt, utpote Hispanorum, Polonorum, Danorum, moresque ac instituta, ad præclarum Romani Imperii exemplar confirmarunt, nec nomen Monarchicum, aut Regem in suo Regno velut insolens, ac insolitum aspernata sunt: ita etiam Hungarorum si potestatem Imperii, si majestatem dominandi spectes, si consuetudinem, si Leges militiæ, & pacis arbitria intuearis, nomen, & laudem Monarchicam obtinet.

Quod maximum est, Romanæ virtutis æmula, ac imitatrix, bellicam disciplinam, ac studia, decoraque militaria diligenter excoluit, quando tribus ferè seculis, clypeus & murus Christianorum, contra domitorem Orientis, & eversorem tot Regnorum extiterit.

Deinde cum naturam vocis Monarchiæ considero, qua sine Consorte unus ad clavum gubernationis in Majestatis fastigio sedere notatur, meritò Coronæ Hungariæ Monarchicum titulum tribuo, quæ libero populi consensu prævio, uni semper legitimo Regi summam commendavit.

Quis porrò Monarchiæ nomen invideat Hungarorum, nisi qui neget vete-

veterem hujus gentis amplitudinem atque gloriam; quam vel gentium novem diversa Imperia (quarum vexilla nunc quoque in Coronatione Regis novi, velut possessarum trophæa præferri solent) declarant? Ex quibus decimum Hungariam, velut caput, & dominum suum constituunt, in quo velut sede triumphali, non solum fortunarum domicilia collocarunt Hungari, bonorum titulorum, legumque ordinem, ac potestatem constituerunt, sed etiam belli præmia, ac victoriarum decora fastigio summo imposuerunt, cæteris Croatarum, Dalmatarum, Slavorum, Dacorum, Iazygum, Bulgarorum, Russorum, Valachorum Provinciis, ac quondam Regnis velut in obsequium circumlocatis. Quę omnia, una communis S. Corona, velut Claustra ac munimenta sui Imperii intuebatur: illa vero cum vires S. Coronæ, ac robur gentis Principis Hungariæ tuebantur, tùm certe dignitatem gloriamq; obsequii ac subjectionis conservabant.

*Lib. 1. decret. cap. 2. Lib. 2. c. 19* Suffragatur & illud quod D. Stephanus primus Hungarorum Rex in libris Decretorum suorum, Regnum Hungariæ Monarchiam, & gentem Hungarorum, gentem Monarchiæ istius appellaverit: & hodie etiam communiter Archiregni nomine honestatur.

Ut autem Monarchiam S. Coronæ Hungariæ Centuriarum ordine, ac Regum serie stylo simplici adumbrarem, movit me imprimis autoritas, & exempla aliorum scriptorum, qui simili methodo diligentiæ suæ opera memoriæ consecrarunt.

Deinde existimabam secularem hunc & centenarium numerum, decem aut novem Regibus sacratum, distinctumque ad majorem lucem, firmioremque memoriam, magis profuturum profecturumque, quando & rerum species, seriesque breviùs disposita, vicissitudoque mira spatium hoc temporis plerumque contingens, facilius innotescit.

Quod verò æqualem brevitatis vel prolixitatis proportionem Centuriæ non habent, decuit, ut quæ temporibus nostris experti sumus, didicimus quibus interfuimus, aut præcedentium paulò annorum gesta, ex relationibus Patrum & Maiorum nostrorum, manuscriptis exemplaribus hausimus, serie paulò uberiori, velut obiecta propiora, præ remotis discretius videntes, annotarem; quàm ea quæ longa secula ante nostram ætatem, antiqua veritate recondiderunt. Neque etiam hic rerum gestarum continuatam seriem scrupulose iuxta singulorum annorum, mensium, & minutiores etiam circumstantias persequi propositum fuit. Sola enim & illa præcipua rerum capita, actusque solenniores præcipuè Coronam spectantes, memoriæ commendare, operæ meæ suffecit.

Jam Deo ter Optimo, Maximo Auspice, primam Centuriam exordiar.

CEN-

# RERUM HUNGARICARUM CENTURIA PRIMA.

PEs Hungarorum breviter annotaverunt, recordor primi illius temporis, quo Aborigines ipsorum *Hunni* patriæ sterilitatis pertæsi, ad has Pannonici Poli amœnitates, & divitias anhelantes, sed & has ex Asiaticâ Scythiâ in Europæ Nobilem hanc partem transferre tentarunt quidem, sed non ad desiderium peregerunt, quando non longâ annorum serie, ipsis militiæ laboribus dediti, & dilatandorum finium suorum insatiabili penè cupiditate studiosi, vel præguſtatâ regionis bonitate, sub asperam illam cœli intemperiem fatis cogentibus regredi necesse habuerunt. Cum enim decies centenis & octoginta hominum millibus sub sex Ducibus, in Hungariam tùm diversarũ terrarum nationibus venissent, ac ad Tibioci amnis ripam castra posuissent, MACRINUS tùm Pannoniarum Præses, adscitô in auxilium DETRICO de Veronâ universæ Germaniæ Præside, iis obviam ire; à sedibusque suis arcere statuit; Qui duobus prælijs amissâ ingenti Romanorum aliarumque nationum multitudine profligatus ipse lethali vulnere interiit, DETRICO cum paucis in fugâ salutis præsidium collocante.

*Hunnorum ex Asia primus in Europam ingressus.*

*Europæi ab illis profligantur.*

Hunni hac potiti victoriâ non sine sanguine, ut quæsita sub certis disciplinæ legibus diu retinere possent, ATTILAM A.C. unum ex Capitaneis in primum Regem Hunnorum eligunt, qui Sicambriam Imperii sedem constituit, usque blandientis fortunæ favorem continuatis successibus persequeretur, delatâ per absentiam ad BUDAM fratrem rerum summâ, ipse ad Mysiam, Thraciam, Achajam, Macedoniam, & Illyriam domandam proficiscitur, redit victor, mox quietis impatiens, Occidentales Romani Imperii provincias invadendas decrevit, quas etiam igne, & ferro vastavit, Sicambriam reversus, BUDAM fratrem quod locum vocabulo sui nominis denominaverat, interfecit: Tandem quinquennalis ocii pertæsus, in visceribus Italiæ grassatus, dum domum rediisset, in novæ nuptæ amplexibus profluvio sanguinis copioso extinctus est. ATTILÆ filii cùm de successione dissiderent, optima pars Regni Regi Gepidarum ARDARICO cessit, altero fratrum veterem patriam cum numeroso populo repetente, donec illi, qui in Pannoniis variam experti fortunam remanserant, gentem suam ad novum in terram fertilem egressum nunciis missis incitarent. Quo secundo egressu sub septem Capitaneis post centum ab ATTILÆ morte annos, Justiniani tempore, in Pannoniâ consederunt, ac adjuncti Hunnis Pannonicis in Transylvania septem castra posuerunt, campestribus tunc, & castrensibus stationi assveti, quo respectu quidam Hunnos ex consonante vocabuli à Chana, quod est castra posuit, derivatos volunt. In hoc argumento, quod alios pro aviditate legentis largos satis & copiosos sciam in leviter attactis hic desino, parum operæ collocant in describenda Hunnorum Republica, quæ post primum ingressum viguit, dum non fixam illam sed interruptam reditus in patriam sterilem interpolaverit. Ab ipsis fidei Christianæ incrementis, & S. Coronæ venientis solennitate operam hanc ordiri placet, quando nimirum Hunnorum animi religione solidius illustrari cœperunt.

*Attila primus Hunnorum Rex.*

*Ejus expeditiones varia.*

*Buda regum sedes.*

*Moritur Attila: Cujus filii dissensione perdunt Regnum.*

*Hunni Pannoniam secundo petunt.*

Magno quidem Carolo imperante Hungaros hujus Christianæ fidei fundamenta habuisse constat, at quoniam hac non imbuti probè (ut initia omnia difficilia & in ruinam prona sunt quæ sine fundamento creverunt) sed leniter tincti animi Hungarorum, aut quod bellicæ calamitatis necessitate adacti fuere, factum est, è vivis hoc discedente, obortis domi motibus, illa facile sint in tanta feritate extincta, & abolita. Verum postmodum in restaurandis

*Prima Christianæ fidei fundamenta apud Hungaros.*

*Geiza & Stephanus Christianæ fidei restauratores.*

Christianæ fidei collapsis fundamentis Geiza primum ex Arpad, uno ex septem Capitaneis oriundus, deinde Stephanus filius zelo admirabili laboravit, quomodo Imperium suum plurimum auxit, stabiliit, exq; dignitate Ducali (*promoventes enim decus nominis divini, dignitatibus decorantur*) ad regium fastigium evectus summo ornamento decoratus est, dum à Pontifice Romano Coronam Anno æræ christianæ millesimo transmissam accepit, quâ anno millesimo primo, summo omnium cum favore & applausu solenniter est coronatus.

*Corona Stephano Hungaro mittitur qui eam cum Regis titulo excepit.*

Etsi autem intelligam sententiam esse Historicorum communem, qui beneficium datæ Coronæ (*a*) BENEDICTO VII. acceptum referunt neq; pluribus præjudicatum ire in rebus probabilibus consveverim, collatis tamen temporum periodis post fata Benedicti VII. aliquot annis Coronæ in Hungariam ingressum accidisse apparet. Stephanus (*b*) enim primus succedit Patri suo Geizæ, An. nonagesimo septimo supra nongentesimum, Ducisq; nomine ut & Pater aliiq; ante illum rem Hungarorum annis tribus administravit, interim bellum adversus Cupam ducem Simigiensem gessit; tandem cum Hungarorum Optimatibus placuisset, ut qui titulo Ducis tot præesset populis uteretur magis honorata appellatione, quarto demum anno post mortem Patris sui Geizæ, legatione pro Corona (*c*) (in quo omnes consentiunt Historici) Romam institutâ, Regiâ auctus est dignitate, primus Coronæ radiis clarissimus; (*d*) Pontificatum tenente ab an. nongentesimo nonagesimo nono, usq; ad millesimum tertium Sylvestro II. intra quod tempus & Corona transmissa, & Stephanus coronatus: Dum jam à morte Benedicti VII. abierant anni sedecim, qui nongentesimo septuagesimo quinto, pulso Bonifacio Papa, 11. Maji inauguratus, diem ultimum obierat die 10. Julii, anno nongentesimo octogesimo quarto.

(*a*) *Corona à quo Pontifice profecta.*

(*b*) *Stephanus ex Duce fit Rex.*

(*c*) *Anno 1000.*

(*d*) *Corona datur à Silvestro II. non à Benedicto VII.*

(*e*) Mirandum sanè & non nisi eventu nostri hujus temporis considerandum, quod uno eodemq; tempore cum exortu nostræ Coronæ, tot gentibus Hungaris nimirum Polonis, Danis, Angliæ, Norwegiæ, & aliis Regnis illi adjunctis, ac toti ferè Septentrioni detestari falsa numina, & falsum Deorum cultum abolere divinitus concessum erat, & simul trium politiarum & Regnorum nova & Christiana simul effloruit constitutio, quæ in hunc usq; diem, non solum divini nominis professione gaudent; sed etiam Romani Imperii magnitudinem communi potentia (*f*) adversus quosvis hostes conservant, & honorem mutuum suâ societate augent.

*(e) Circa ortum Coronæ plurimi Hungari paganismo renunciant.*

*(f) Vt aliorum Regnorum solennia initia.*

*g) Cœpit Constitutio septem Viratus in Imperio Romano.*

g) Præterea in ipso Romano Imperio coætanea & non dissimilis sacræ Coronæ nostræ, fuit sanctio illa per Othonem qui ob singularem prudentiam, *mirabilia Mundi* appellatus fuit, facta, & per Henricum ampliata, & confirmata, qua sacrum illud septem Virorum Electorum Collegium constituitur, & per annos sexcentos diligentissimè servatur, & qua solis Germanis, & certis quidem Principibus eligendi & creandi Principem potestas datur, qui statim Cæsar, & Romanorum Rex dicitur, quod non propter successionem Imperii perpetuæ erant turbæ, & in multitudine votorum humani affectus in dissensiones erumpebant, sapienter providit Cæsar, ut deinceps certi Principes Viri jus haberent eligendi Romanorum Imperatorem, tùm ordinis servandi gratiâ, tùm ne quis dignitatem illam velut hæreditariam posthac invaderet, faciliusq; sententiæ redactis in brevem seriem votis coalescerent, quàm si per longas ordinum classes exigerentur, varietate noxia, quæ sæpè res Imperii vehementer confudit. Quod ut citra ullius ordinis injuriam fieret, si quod penes totum Imperium fuit paucis attributum inviderent, adscribi voluerunt in senatum Electorum unum ex Regibus, unum ex Ducibus, unum ex Marchionibus, unum item ex Comitibus, qui præ cæteris opibus, & robore, sicut Ecclesiastici authoritate eminerent, implerentq; septenarium numerum ad exemplar senatus septem Principum in Regno Persico, & quoque in Republicâ Spartanâ, quorum officii fuit, ut nunc Electorum est, Imperatoris potentiam moderari, regere consilia, & consonam inter Romanum Regem & Imperium harmoniam conservare, licet non desint qui scribant temporibus Othonis exterorum Principum Electores immemores non fuisse definitum, sed constitutum, ut Imperator per solos Germanos Proceres unâ cum quibusdam Pannoniæ & Hungariæ Principibus eligeretur. Sed scripti istius veritas non apparet: Reges sanè Hungariæ (ut nihil de Principibus Germaniæ) nunquam dignitatem hanc respectu Regni Hungarici usurpavêre: (Certum tamen est D. illum Matthiam Regem Hungariæ ob regnum Bohemiæ ad se delatum, gloriæ suæ duxisse summo Germanicæ Monarchiæ Electorum Consistorio adscribi) usurpat, sequeque in literis ad Electores id nomen: quod apparet ex responso ad literas Imperiales, Norimbergæ datas Anno supra millesimum quadringentesimo octogesimo primo in verbis. *Quod scribitur nobis Cæsarem Fridericum esse nostrum Dominum, & nos ei altè esse obstrictos: Credimus neminem esse ex Sacro Romano Imperio qui nesciat, nos sibi de Regno Bohemiæ & Electoratu tantùm, & non de alio esse obligatos, quem certè nos de Regno Bohemiæ tanquam superiorem & dominum recognoscimus, & ita semper observabimus, ut nemo inficiari possit, nos de eo Regno in ullo unquam Majestatem suam offendisse.* Verum ex hoc Regno Hungariæ quod semper liberum extitit, & nihil unquam cum Imperio commune habuit: quamvis ratione dignitatis, superiorem essem Cæsarem censeamus, ratione tamen dominii, pares nos illi arbitramur. Sic Matthias Rex.

*Regnum Hungariæ liberum semper.*

Regna

Regnavit STEPHANUS annis triginta septem felix plurimis victoriis ex variis hostibus partis fœlix benè gubernatâ Republicâ, & Religione Christianâ posteris traditâ. Eo verò processerat amor pietatis in Stephano, ut privatâ etiam operâ serviendo templis & collegiis, instituendo præceptis salutaribus, qui aut nondum satis firmi essent, in doctrina, aut qui eam nondum accepissent, feliciorem se arbitraretur, quam administrando, quæ Regii essent muneris. Destinaverat filium Emericum (quem ex Gisela sorore Imperatoris Henrici cognomento Sancti, & Claudi susceperat, cum qua data ipsi in dotem Bavaria, propter quam sibi ademptam velut sui juris, bellum Conrado Hungari intulerant, & per illud affinitatis vinculum, pax perpetua cum Germanis sancita erat (cui Regni gubernacula traditurus erat; Quandoquidem nihil magis desiderant homines, quàm filios successores, ut morti obnoxii in propagine carnis suæ perpetuent vitam, non tantùm Regni successorem relinquere Emericum per consensum populi & Sacræ Coronæ ornamentum voluit, verum etiam hæreditarii cujusdam Diadematis loco, ex præclarorum mandatorum unionibus conflati, in mente integritate, & innocentia ipsius, Regia hæc insignia apud posteros ostentare, quæ cum decalogo & mox cum primis in circumferentia materialis Coronæ, æqualem propè habent proportionem, & virtutem: Primum enim ad Christianæ fidei professionem in Symbolo Apostolico contentam, filium suum seriò hortatus est: Deinde ad Ecclesiæ & Ecclesiasticarum personarum defensionem, auctionem, quod inde Reges Augusti nomen mereantur, si Ecclesiam augeant: Tertiò ad Principes, Barones, Nobiles, & alios Patriæ cives humaniter, & honorificè tractandos, sine ira, superbia, invidia, ne durius habiti, cervicem erigere necessè habeant. Quartò ad servandam patientiam, & impendendum judicium singulis, mittendo hujusmodi negotia ad Judices per se etiam quæ convenit judices, per se etiam quæ convenit judicando cum patientia & misericordia. Quintò ad amplificandum Regnum per externas colonias, alienigenarum introductionem, & hospitium, quo pacto Romanorum imprimis crevit imperium. Sextò ad cogenda, & celebranda consilia cum senioribus, & probatis, non cum junioribus, qui & ipsi à consiliis repellendi non essent. Septimò ad imitationem antecessorum suorum, quod grave sit hujus climatis tenere Regnum nisi imitator aliquis extiterit prædecessorum Regum. Octavò ad ferventem orationem, pro sapientia, justitia, aliisque virtutibus omnibus, fortitudine, constantia; Nonò ad misericordiam, humilitatem, honestatem, pudicitiam, modestiam, favorem, & gratiam, non solum erga incolas, sed & extraneos. Hæc omnia inquiens Regalem componunt coronam, sine quibus valet nullus hic regnare, nec ad æternum pertingere Regnum. Talibus inquam artibus instructum optavit successorem piissimus Rex; Verùm quando spes, & vota disponit repente morbo correptus Emericus diem suum obiit, magno sui desiderio, non Patri tantùm, sed & populis quibus imperaturus erat, post se relicto. Angebant deinceps Divum Stephanum perpetuæ curæ, & sollicitudines de relinquendo hærede, qui simul & Regni & religionis sit hæres, quique eum transmitteret ad posteros: Destinatoque Vasallo patruele suo, artibus Reginæ excæcato, voto potiri ob audaciam & improbitatem Reginæ non potuit. Tandem moritur Stephanus annos natus sexaginta tres.

*Regiminis Stephani periodus.*

1029.

1004.

*Instructio Stephani ad filium.*

*Emericus successor destinatus moritur ante Patrem anno 1031. aliis 1028.*

*Stephani Regis mors an. 1038.*

Stephano Regi PETRUS ALEMANNUS Stephani ex sorore Gisalâ nepos, filius Gulielmi Burgundiorum Ducis successit; In novello adhuc Regno ex ipsis penè cunabulis, novellam sed adversam, & asperam experta Corona fortunam. Incidit enim in graves, & intestinos tumultus, ipsis Regni primordiis expertura quid gratiæ, & voluptatis Regno adultiore expectare debuerit. Petrus enim non jam Regem agere, sed quæ Regno nominique Hungarico, essent labem conatura, palam præferre, contemnere nimirum senatus auctoritatem, quam Stephanus reliquisset, & quorum ductu antea res commodè, & feliciter fuerant gubernatæ, summates Regni ludibrio habere, eos aspernari, peregrinis & extraneis Magistratus & Præfecturas confere, arcibus cunctis finitimis præsidia externa imponere cœpit. Breviter illud agere quod ex disciplina Tyrannorum prodiit. Illi enim velut in summa potestate constituti, turpè putantes aliorum monitis obsequi, administrationem negotiorum Regni, non amplius ex consilio, sed ex libidine sua & paucorum peragunt publicos conventus, quos ad coërcendum appetitum suum servire cognoscunt, non nisi de rebus levibus indicunt, ut forma tantùm & usus celebrandi publica consilia (ut olim in Anglia) remanere videatur; deteriùs in Francia, in qua Rex Ludovicus undecimus pro crimine læsæ Majestatis habuit, mentionem facere convocationis statuum, eo quòd (ut dicere solebat) ex pedissequis & pupillo excessisset. Oportet autem qui optimâ formâ tutum Imperium diu retinere vult de publicis publicè, & in foro manifestè agere, in opinionum libertate, ne cives, qui rationes suas ad rei conclusionem non dedissent, gravari se querantur, & ad observationes decretorum difficiliores, spretæ existimationis suæ præsidia in armis quærant. Nam

*Petrus Stephani successor Rex Hungariæ an. 1039. Ejus Tyrannis.*

etsi sint qui privatim dicant sententiam, sed rarò sincerè, ubi vel mètu, vel adulationis affectu, facilè à vero abduci se patiuntur.

Accessit morum improbitas in Petro, qua usque adeò efferatus demensque factus, ut Hungariam Germaniæ subjectam esse debere, illamq; ab angore, aut ab angaria, id est, servitutis genere molesto, & nondum ipsis noto, dictam sæpiùs jactaret: *Usq; adeò terra bellua est, & prope fatale malum Regnis, Princeps improbus.* Iste Hungaros in libertate natos, nova inire consilia coëgit, qui tertio regiminis anno, amoto ab imperii sacræ Coronæ Majestate Petro, ABAM sororis D. Stephani Maritum, cum nondum ingenio quo esset satis constaret, Regem nominant.

*Rex Vngariæ nominatur.*

Hic Bavariam & Carinthiam populatur & Austriam ab Adalberto Marchione Austriæ reddi Hungaris postulat: sed ab eo in fugam convertitur, anno à Christo nato 1043.

*Petrus Henrici Imperatoris ope in Regnum redit.*

Petrus Regno pulsus, ut iterum Corona, & Regno potiretur, ad Henrici III. opem confugit. Familiæ enim, regno quod priùs obtinebant privatæ, solent cum magnis cladibus & in Rempublicam conspirationibus illud repetere. Ipse Aba abrogatis legibus, decretisq; ejus antiquatis, tertium jam annum imperabat, dum Henricus cognomento Niger (paucis ante annis bucellâ panis grandiore suffocatus) ingentibus Germanorum copiis Hungariam ingressus commisso prælio non longè ab Artabone fluvio, Abaq; profligato nobili victoriâ, sed non sine sanguine, Diademate potitur, gratiisq; Deo actis pro auxilio, victoriâ, moderatè usus, Hungaros non solum humanò habuit, sed & Petro reconciliavit, comitatusq; Petro & Hungaricæ Nobilitatis ordinibus, ad *Albam* quæ *Regia* dicitur Castra locat, ubi regio more & apparatu ab Hungaris exceptus est. Deinde Henricus ductum in ædem Divæ virginis Petrum, & in throno Regio collocatum, (*a*) ornatumq; insignibus Regis Stephani, tum frequenti Nobilium & optimatum Coronâ cinctum, Hungaris oratione ad eam rem comparatâ, commendavit. Ita pace inter Regem & Hungaros conciliatâ, Petrum ut justè postea imperaret, admonuit; Hungaris ut leges decreta publica, & judiciorum ratio, integra essent, voluit, id illis ab eo postulantibus. Sed Petrus simulatâ aliquantisper naturâ, & formâ gubernationis, quæ adhuc aliena esset à tyrannide, non ingrata Hungaris aliquandiu servata, rediit ad ingenium, Henrici favori confisus potentiæque, *quod pedibus tractum non insidentem equo relinquere tyrannidem oporteat*: estq; eò processum ut nulla jam Regni facies appareret, nulla superesset legum & judiciorum imago, quidquid hostile, atrox, immane, funestum, esset, sustineret Hungarus.

*Aba Rex ad Tibiscũ amnem victus & & cæsus an. 1044.*

*sepelitur magnâ pompâ in cœnobio Saar, quod ædificaverat.*

*(a) Bis coronatur. an. 1044.*

*Petrus Rex ab Andrea & Leventa fratribus, filiis Ladislai Calvi excæcatus, paulò post moritur Albæ anno 1047. sepultus.*

Petrus ergò novâ jam defectione turbisq; confusus, dum in vicinam Austriam, contendit, ut suis rebus consuleret, frustrà amicis dissuadentibus, desertus à suis per rabiem militarem effossis primò oculis, vulneris acerbitate vires corporis debilitante, quando ad victores duceretur, regnum cum vitâ amisit. Simili & Aba victus à Petro, auxilio Imperatoris trajecto Danubio ad Tibisci amnis vicum effugit, ac eodem loco quo multas Nobilium cædes olim patraverat, justo DEI judicio, à suis cæsus est. *O incertitudinem humanæ sortis: O fidem fortunæ dubiam: quos enim ad celsissimum dignitatis culmen evexit, eosdem ad ima usq; præcipitat. De aliquo quẽ vidisti heri; meritò dici potest, hic quis est?* Cujusmodi exempla omnes quotquot ad clavũ Regnorum, rerumq; publicarum sedent, assiduo animo voluere addecet, quo moderatiùs potestate sibi divinitùs concessâ utantur, nihil insolenter, nihil iniquè, nihil temerè, nihil violenter committant, Deum reveriti, qui nihil parcere solet superbè & crudeliter delinquenti.

*Quinq; cœlestis in basilica D. Petri & Pauli quã fundaverat.*

Imperator Henricus hoc ipsum Hungarorum facinus, iniquissimè tulit, proinde Hungaris infestior factus, illatam ut Petro injuriam (regni habenas jam Andrea primo Ladislai Calvi primogenito tenente) vindicaret, novo coq; valido instructo exercitu in Hungariam revertitur, ut si favor fortunæ, iteratæ expeditioni aspirasset, Coronam Ungaris eriperet, & Regnum in formam provinciæ redigeret. (*b*) Sed Rex Andreas de Cæsaris adventu per exploratores maturiùs edoctus, & ipse copias quam potest maximas cogit, & in campis quà erat Henricus iter facturus herbam omnem, & segetum acervos exuri, armenta, remotiora ad loca abigi ne quà prædæ & commeatus hosti copia foret, curat; (*c*) Quin & arte hostes petiit: acceptis enim literis, Ratisbonensis Episcopi Gerhardi classis & annonæ præfecti, quibus à Cæsare, ubinam cum navibus, & commeatu exercitum præstolari deberet, sciscitatur. Rex sub Cæsaris nomine rescripsit, se ob adversum turbatumq; Regni statum in Germaniam propere reverti necesse habere, idcircò ut qua celeritate posset maxima, destructis navibus, ne hostium usui cedant, Ratisbonã advolet. Episcopus qui jam propè Jaurinum erat, rem certam ratus, exequitur jussa, periculo atq: malo Cæsaris summo, qui adveniens cum exercitu, pabuli, & rei frumentariæ inopia, Hungarorumq; virtute graviter, magnaq; clade afflictus est, unde & locus ille in quo hæc gesta sunt, ex eventu ad posteritatem nomen sortitus est, *Vertest* enim postea dictus est Hungaris, à cadaverum multitudine & copia profusi sanguinis: Germanis autem Schildberg à clypeorum multitudine quæ ibi relicta esset. Tandem eò angustiarum redactus est Henricus, ut ab Andrea Rege pacem, victualia, & itineris securitatem rogare cogeretur. Nec voti compos factus sui, donec sacramento interposito promitteret, se neq; contra Andream Regem vel ipsius successores hostilia

*(b) Andreas Rex Hũgariæ coronatur anno 1047.*

*(c) Ejus stratagema. Vertest campus unde dictus. Henricus ab Andrea pacem postulat an. 1053.*

ſtilia clam vel apertè factis vel conſiliis moliturum. Magnum quippe hoc ſtratagema fuit, fame magis atq; inediâ hoſtem vincere, quam ferro, ſed multò illuſtrius ſolo innocentiæ terrore, atq; hujus Coronæ Majeſtate potius Cæſarem debellaſſe. Veniens enim Henricus in colloquium Andreæ, & Hungarorum juſjurandum jurat, diraq; imprecatur ſuæ gentis hominibus & eorum poſteritati, omnibus ſeculis ſecuturæ, niſi amico velint eſſe animo in Hungaros, caveréq; ne unquam deinceps illi injuriis ac bello perterentur.

*Perpetuũ fœdus & & amicitia inter Andream & Henricum Imperatorem.*

(*a*) Ac unum ac fortaſſe primum hoc fœdus inter memorabilia cum Germanis fœdera maximumq; eſt, dignumq; ab omni poſteritate coli, & obſervari. Fœderis hujus teſtimonium inſigne fuit affinitas Henrici, quando Sophiâ filiâ, filio Andreæ Salomoni in matrimoniũ collocavit.

(*a*) *Primũ Germanorum cum Hœngaru fœdus.*

Andreas Rex hac potitus victoriâ, poſtmodum cum laſſæ jam confectæq; ætatis ſe eſſe ſentiret, maturè Regno de ſucceſſore providere ſtatuit, filiumq; ſuum Salomonem puerulum quinquennem, *S.* Coronâ ornari exoptavit, perfecitq; convocatis Principibus & Nobilitate, *ut REX communibus omnium declararetur votis.* Verum poſtquam Belam Ducem fratrem ſuum, tum à Polonia, cum uxore, Regis Poloniæ ſorore, & totâ familiâ exulantem, moleſtè illud ferre intelligeret, animadverteretq; Salamonem filium vix regnaturum, invito Belâ, placuit animum illius periclitari. Igitur Coronam Regiæ dignitatis notam ſive ſymbolum, & Gladium Ducale ſignum ſuper purpuram collocatâ, Belę oppoſuit: datâ alterutra duorum opptione. Sed Bela aut monitus, aut ſponte ſuâ etiam ſapiens vitæ ſuæ periculum declinaturus, ceſſit tempori, intactâq; Coronâ, gladium ſumſit, ſicq; titulo Ducis ſe contentum fore præ ſe tulit, acceptâ tertiâ parte Regni, duabus apud coronatum Regem manentibus; quæ partitio multarum diſcordiarum, & diſſenſionum quaſi ſeminarium poſtea extitit. *Verum enim eſt, quod cum ſociis Regni conſortibus, res integræ diu conſiſtere non poſſunt, ſed diviſionem Imperii alicujus præſentiſſima animorum ſciſſio ſequi conſuevit.*

*Salamon quinquennis coronatur.*

*Regni partitio pernicioſa.*

Quod enim tum Bela diſſimulaverat, paulò poſt diutius ſoceri ſui Boleslai Regis Poloniæ copiis atq; opibus, Andreæ bellum intulit, qui licet à Boëmis quoq; & Imperatore Henrico IV. cognomento ſeniore adjutus, ad Tibiſcum amnem infeliciter pugnat, 1058. dũ fugit verſus Germaniam ad Henricum ab Amicis Belæ, ad Moſſonium captus eſt, fruſtratuſq; cuſtodum manibus in Bacon ſylvam cum ſuorum pauciſſimis divertit, ubi cum aliquantiſper latuiſſet, in eum ipſum lapidem quem ipſe aliquando poſuit dum venaretur, in mediis ſaltibus incidit, atq; moritur. Eo prælio Hungari premi ſuos à Polonis conſpicati, ad Belæ partes tranſierunt: in fuga oppreſſi multi, capti item non pauci, & inter hos Uratislaus Princeps, & Germanorum Duces.

*Bela Regnũ armis affectat. Andreas profligatus capitur, & moritur an. 1059.*

Quo ſanè exemplo docemur veram & immotam eſſe illam Regulam. *Peccatum omne, per idem peccatum puniri.* Petrum etenim Regno, & corpore hic privaverat, qui ſimiliter eodem à Bela, & vita ſimul exuitur: & neq; impunè ſive exteri illi fuerint ſive domeſtici Coronam violenter tactam, & vivo legitimo coronato Rege uſurpatam tulerunt, verum documentum plerumq; fati graviſſimi ex profanatione illius ampliſſimum oſtenderunt.

*Divini talionis exemplum.*

Re, bene geſta Albam ſe Bela contulit, ibi Rex declaratus & coronatus, ingenium hominis mite, & placidum res poſtea geſtæ declararunt. Pace dulciſſimâ & ſalutari, ſuis ocio partò, Reipublicæ ſtatum labentem certis & utilibus legibus conſtituit. Inprimis fœneratorum avaritiam coërcendam judicabat, quos bella, & peregrinorum hominum, quorum Petrus uſus eſſet operâ, colluvies pepererat. Hi uſuris involvebant & premebant quos ſuis artibus circumveniſſent. Mercaturæ leges inſtituit: Numiſmata quæ meliora & ex re omnium eſſent ex nobili auro atq; argento dedit, ac aureos byzantios quorum unus quadraginta valebat argenteos nummos, ſive denarios in Regnum admiſit, cujus valoris florenus minor, Sigismundi Imperatoris tempore æſtimabatur. Crevit poſt & pretium ejus, ad denarios ſexaginta, tum Caroli tempore denariorum nonaginta major florenus habebatur: deinde Ludovici primi tempore ad octoginta quatuor groſſos proceſſit. Noſtra verò jam ætate aureus nummus pro ducentis quinquaginta denariis, argenteus major centum octoginta in contractibus currit, nummorum pretio cum ſingulis fere annis creſcente. Porrò fora, ac rerum venalium pretia limitavit Bela: deniq; vectigalia ac tributa ſubditorum remiſit, quo majori cum ſufficientia, & alacritate agriculturam, & rem œconomicã exercerent, quâ deficiente, deficiunt omnia. Eam enim ſoli Hungarici naturam, fœcunditatem, & liberalitatem expertus erat, ut certò ſibi perſuaderet, ſi ad ingenitam ubertatem acceſſerit cultura, terram hanc nihil non maximo cum fœnore reddituram: Unde Regnum non victu tantum, ſed neceſſariis omnibus locuples evaderet, juſtitiæ item ordo, & honeſtus hominũ convictus ſervaretur, ſiquidem & Nobilitas, alii quoq; potentiores, in cellis, & horreis, habentes unde viverent, ab oppreſſione plebis abſtinerent, vulgus deniq; in annonæ, & rerum affluentia, nihil extra æqui, & honeſti rationes admitteret. Propter quã Belæ ſolertiã atq; beneficentiã, tã nobilitatis, quã agricolarum, adeò id temporis excrevit opulentia, ut è vicinis nemo ferè tantarum opum facultatumq; fuiſſe exiſtimatus ſit, qui Hungaris divitiis adæquari potuiſſet. Et hæ fuerunt regales divitiæ, hic regius theſaurus. Opes enim principum non debent æſtimari, ex ma-

*Bela Rex declaratus & coronatus anno. 1060.*

*Moneta aurea & argentea, à Bela introducta. Valor ejus creſcentib. annis crevit.*

*Hungari Bela regnante ditiſſimi.*

gnitudine redituum, quàm refertum repositorium, quam amplum penu, quæ vix absq; vi, oppressione & lachrymis subditorum esse possunt, sed bonâ provisione, ut Regnum talibus adminiculis sit instructum, quibus & honestissimus benignitatis Regiæ titulus domi, & apud posteros inclarescat, & esset in quo rebus dubiis, ad tutandam authoritatem Regiam, & defendendum imperium ejus efficax poneretur præsidium. Tale imperium, esse optimum aureum firmissimumq;.

*Bela lapsus ex folio regali lethalis.*

*Annum gubernationis tertium cum exegisset Bela*, Demessa regale solium in quo sedebat, repentè corruit: quo casu sic quassatus, & concussus est, ut nec Reipublicæ curis sufficeret posteà, & in sua fata brevi discederet: ante obitum datis mandatis filiis ac Principibus, ne quid se mortuo in Rempublicam peccarent. Vitæ & imperii brevitas argumento est, displicuisse arcana quadam ratione S. Coronæ Belæ, licet optimam gubernationem, quæ non nisi per mortem Andreæ illatam, & injuriam Salamonis Coronatorum Regum inita, diuturna esse non potuit.

*Regna per vim arrepta diuturna non sunt.*

*(a) Bela Rex moritur anno 1063. sepultus in S. Salvatoris cœnobio, vulgo Zevvkzard quod condiderat.*

(a) Post Regis Belæ è vivis excessum, Salamon filius Andreæ Albi, successor Coronæ dictus, sed arcano Dei judicio ob infeliciter res auxiliis externarum gentium contra Patriam gestas, rejectus ad extremum fuit. (b) Namq; Henricum IV. Cæsarem Henrici III. filium pro recuperatione Coronæ sollicitavit, auxiliares copias exoravit, qui comparato exercitu, ac exploratis priùs per internuncios Hungarorum animis, in Hungariam usque Albam progressus à Principibus omniqué Nobilitate honoratè excipitur. Ibi Henricus quæ in rem Salamonis facere viderentur locutus, hortatusq; est ad pacem colendam Hungaros, præstandumq; justum Salamoni obsequium suasit, perfecitq; ut jurijurandi vinculo certam inter se concordiam Rex Salamon & Hungari imposterum paciscerentur. His peractis promi ex intimis Templi adytis Coronam postulavit & novâ Salamonem Pompâ Regem declarari. (c) Qua in re meretur Imperator laudem & gloriam in juvando Salamone affine suo. *Manifestum enim est, tantum religionis sanguini & affinitati, quantum ipsis Diis immortalibus tribui solere.*

*(b) Salamō auxilius externis Coronam recuperare contendit.*

*(c) Secundo coronatur.*

Sed vix à Salamone Imperator digressus, & Alemannorum præsidio dimisso, Geiza (d) adversus Salamonem exercitum Polonorum duxit in Hungariam, prætendens sibi seniori jure deberi Coronam: sed reconciliatione factâ, senior cessit juniori, suffragante ipsi electione, & S. Coronæ quâ coronatus erat, religione. Utq; hoc ratum esset, atq; de summa rerum ex consensu omnium statueretur, designatus locus quo Salomon tertiùm Rex & quidem ab ipso Geiza nominaretur. Quinq; ecclesias hoc nomine venire visum est, ubi Reges convenêre cum familiis in summo urbis templo D. Petro dicato, moxq; Coronam tertiò Salamoni (d) manu suâ Geiza accomodat, Regemq; esse jubet. Hoc prodigium consecutum est; etenim nocte illa quæ apparatus solennes, spectaculaq; exceperat, templum de quo dictum est, flammam concepit, ejusq; incendii tanta vis fuit, ut non solùm in ipso templo omnia igne, verum etiam ædificia longè latèq; cōsumerentur. Ubi illuxit multa indicio fuêre, fatali quadā sorte arsisse urbem, imprimis autem sedem illam, ubi Salamon extraordinariè coronatus esset, visumq; non paucis inopinatos ignes, inter Reges odia, & contentiones portendere. Etenim hâc temerariâ, inordinatâ actione, non leviter S. Coronæ jus violatum est, læsus honor illius, & Majestas confusione hac rerum; eâ ob rem etiam omnia ipsius decreta (e) & privilegia nullo robore & firmitate gravia exspirant, & nullâ observatione valere autumo, quod nimirum hic triplicatus coronationis Salamonis actus, quasi monstrosum quiddam à legitima, & ordinariâ Regum inauguratione toto cœlo discreparet. Ipsa verò imo dicè affectata Coronæ Majestas, tandem divinitus est vindicata. Florebat enim Salamon in imperio, & pulcherrimam de Græcis, & Bessis obtinuit victoriam, Taurino aut Albâ (f) Græca (quæ sic dicta quod Græcorum Imperio fuisset subjecta) ad Hungariam adiecta: Verum cum per scelerata cujusdam vidi consilia, Geizæ, & Ladislao periculum vitæ molitus, concordiam rupisset, bellum enatum, quo Geiza victore, Salamon victus, ac regno pulsus est.

*(c) Geiza Belæ filius.*

*(d) Salamō tertiò à Geiza coronatus.*

*Prodigium tertiam Salamonis coronationem secutum.*

*(e) Decreta Salamonis cur in nullo valore sint.*

*(f) Taurinum Salamon Hungariæ adjicit.*

Victo & fugato Salamone, Geiza non solum auspiciis felicis victoriæ regnum adipiscitur, sed etiam miraculo, & auguriis cœlestibus coronam accipit. Ladislaus enim Deo charissimus, sereno ex omni parte cœlo, vidit ex sublimi aëris regione coronam auream per angelum deferri, & imponi Geizæ capiti, cujus miraculi magnitudine stupefactus, nihil tale fratre vidente, erupit: *Bono esto animo Geiza, Coronam tibi cœlo mitti, & portendi, regno pulsum iri Salamonem, teq; regnaturum, egregiâ partâ victoriâ certissimum habe.*

*Geiza per Angelum coronatur in visione anno 1077*

*Ladislaus Rex Hungariæ anno 1078.*

Sed nimis breve imperium fuit, siquidem adhuc vivente Salomone Rege coronato, regnare non est veritus, quarto nimirū anno, insperatò rebus humanis valedixit. *Ita sunt res humanæ, dum felicissimum se quis reputat, mors obliquo oculo ridens supervenit, & scenam actuum nostrorū claudit.*

*Ejus in regiam Majestatem religio.*

Mox LADISLAUS communi consensu atq; voto Rex declaratur. Quam quidem dignitatem diu sedulòq; detrectavit, neq; Salamone superstite caput suum sacro ornari diademate, seq; Regem salutari passus est, piaculum ratus, vivente Rege coronato, se sacro Diademate insigniri.

*Modestia & amor Patriæ.*

Cum tamen enixiùs rogaretur, & optimatum animos adversus Salamonem cerneret exacerbatos, ne regnum aliquod detrimentum caperet, curā ejus sub Ducis titulo suscepit. Quæ Ladislai pietas & singularis modestia quo rarior, ita majore ad posteritatem digna laude est. Sceptrum certè

certè spernit magnus & tantæ rei conscius animus, verùm cum suâ mansuetudine atq; modestiâ abuti Salamonem, turbareq; Regni statum perspiceret, maximè verò quod finitimarum gentium arma in patriam sollicitaret, patriæ & Hungaricæ gentis, magis quàm propriæ utilitatis charitate correptus, tandem victoriâ contra Salamonē obtentâ pacem civilibus armis imposuit. Ipse verò Salamon tandem virium suarum ac fortunæ desperatione in suis omnibus in eremum abiit, quā annos aliquot coluisse, usq; ad mortem, fama tandem apud posteros innotuit. Regnāte Ladislao horrendum spectaculum in Polonorum Rege Boleslao cōtigit, qui occiso Cracoviense Episcopo, dùm Corona & Regno privatus in Hungaria exularet, in dementiam lapsus, atque à canibus suis voratus fuit, eo judicio personas quantumvis honoratissimas, & illustres quandocunq; conspectioribus criminibus notari, & fraudem fortunę quę insolens excelsis insidiatur minimè effugere. Cæterùm nil laudabili ac salutari gubernatione, D. Ladislai optatiùs. Hic Dalmatiā & Croatiam universam fato faustissimo sine sanguine Coronæ, ac ditioni Hungaricæ acquisivit, hâc ipsâ occasione. Zolomerus Dalmatarum Rex, cujus uxor Ladislai soror germana esset vivere desierat nullis relictis liberis, uxoremq; Regni hæredem testamento nominaverat. Hæc cum per ætatem posset nubere, Regibus expetita, noluit, unius viri amore contenta. Orbitatem mulieris contempsêre hostes Regis mortui, & fecêre bellum Dalmatis, quibus cum exsistere non posset Regina vidua Ladislaum fratrem accessit propugnatorem orbitatis, simul illi accepta à Zolomerò regna commendat, si quid sibi humanitùs contigisset. Profligatis deinde per Ladislaū Reginæ hostibus, paceq; Dalmatis partâ, cum è vivis illa non multò post excederet, Regnum Ladislao reliquit, qui sibi frater, affinitatis & necessitudinis gradu esset proximus. *Ita videmus sæpenumerò humilia cogitantibus sublimem obtingere fortunam, & vicissim sublimia cogitantes, tenuem ut plurimum sortiri fortunam.*

*Salamon profligatus privatim degit, & moritur an. 1077.*
*An. 1082.*
*An. 1084.*
*Dalmatia & Croatia Hungarici juris facta.*

Hoc ipso tempore, & sub imperio Salamonis & Ladislai, novum atq; inopinatum hostem S. Corona sortita est, gentem Cunorum aut Cumanorum Sarmaticā, quæ conflato numerosissimo exercitu ex flore juventutis in Hungariam venit, bellumq; intulit illo consilio, si feliciter gestum esset, non fore difficile, relicto solo sterili, figere sedes in locis nobilioribus. Adjunxerāt quoq; sibi Tauroscillas, Hamaxobios & Alaunos, tanquam belli & victoriæ socios. Verum Ladislaus quatuor maximis præliis semper victor, cęsis Regibus illorum, unò suâ manu interfecto, gentem ad internecionem ferè cecidit, 1088. fluvium etiā ubi pugnatum est à nomine deletæ gentis, quę Christianorum servatorem nō agnosceret, in reliquum tempus Barbaricum nominari præcepit.

*Cum Hungaros Regno exturbare volūt.*

*Profligantur fortiter per Ladislaum.*

Cum Polonis bellum gessit captâ Cracoviâ Metropoli Regni Poloniæ, eo quod se socios belli 1091. Cunici præbuissent. His bellis omnibus victorem domi forisq; summa rerum consecuta tranquillitas, talisq; Regni status, qualem Rex summâ Religione præditus concupisset, assecutus veterum Monarcharum gloriam, qui Deos colendo, & patriam amplificando claruerunt.

*Ladislaus gessit bellum in Polonia.*

Harum rerum fama & simul imperatoriæ felicitatis ac virtutum quibus excelluit perpulit, Germaniæ Principes, ut Henrico IV. mortuo eum sibi Imperatorem deposcerent. Quid illud sit quod Henrico V. Imperatore designato externum sibi Regem quæsierit Germania, non tradunt annales: illud annotatum magnum fuisse Principum hac in re consensum. Probabile est illos in Ladislai electionem consensisse quibus invisus esset Henricus V. per scelus & paternæ domus opprobrium patre adhuc vivo Cæsar declaratus Paschalis II. Pontificis suggestione juxta quā oblitus sanctæ in parentem suum pietatis, qua post Deum nihil religiosius colitur, eum Imperatorem aliàs fortissimū & bellicosissimū, qui bis & sexagesies acie dimicavit, in summas conjecit angustias, extortoq; per vim imperio, & inducta in animum patris ingenti tristitiâ, morti tradidit, ut ea de re luculentiùs infrà in historia Emerici. Rediit verò scelus, suū non solum in Henricum V. qui rejectus à plerisq; à Calixto excomunicatus, iisdem Pontificū artibus eversus, & post mortē quinquennium insepultus jacuit, sed & veteri factionis suæ Episcopi, & politici plurimi in acie interfecti sunt, & veteres Principū in Saxonia familiæ extinctæ Principatus alienis reliquerunt; oportet ergò in consiliis capiendis, non tantum præsentia, sed etiam futura prospicere: non contentum esse prudentem rebus prosperè ad tempus fluentibus, sed quis exitus inde sit futurus perpendere, Germanorū legatis pro ingenio & natura sua respondit Ladislaus, se S. Coronæ Hungariæ decore & gloria, & Regni sui finibus contentum, Augustalia illa diademata minimè suo capiti apta, utpotè quod fulgorē, ac pondus eorū ferre non posset, quasq; Regni sui acquireret curas, his se velle dare operā, & Dei beneficio eas sufficere, novasq; se sollicitudines nequaquam quærere: & jam domesticis externisq; hostibus debellatis, ocioq; suis hominibus parto, & pace constitutâ, in hoc se unū studiū incūbere, ut Deum tranquillâ mente coleret, factisq; Rege Christiano dignissimis alios quoq; homines ad pietatis studiū invitaret. Quod tamen ad summi in Germania imperii dignitatē esset expetitus, id se æqui boniq; facere, & agere hoc nomine Germaniæ Principibus gratias, optareq; ut omnia felicia illis eveniāt. *Illud est gloriæ ingeniū; eū quærit à quo nō cognoscitur, cum eo loquitur, à quo non auditur, cum eo rem habet, à quo visa non est, eum insequitur, qui ipsam fugit, eum honorat, à quo parvi penditur, nolentem vult non petenti se offert, ignoto se credit.*

*Augustalia Diademata modestè detrectat.*

*Moritur Ladislaus Rex anno 1095. Sepelitur in Ecclesia Varadinensi quam fundaverat.*

Tandem exercitum dum ad Hierosolymitanam expeditionem ipse electus exercitus Imperator duceret, fatali correptus ægritudine mortalitatem exiit; corpus mandatum tumulo Varadini: ubi (*a*) in ipso templi aditu posita est equestris statua, Ladislai, ut mole æneâ insignis, ita opere, & artificio admirabilis. Nullum verò æs, nullum aurum formam figuramq; Principis melius quam grata hominum memoria, exprimit.

Atq; hæc est centuria prima Monarchiæ *S.* Coronæ, pia illa, simplex, felix, septem Regum (inclusivè) imperio conspicua, qui pace domi servatâ, & bellis externis feliciter confectis optimè de nomine gentis Hungaricæ meriti sunt.

# CENTURIA SECUNDA.

*An. 1096.*

HUnc secundũ Centenarium (exclusivè) à Colomanni Imperio inchoamus, non obscuro rerum motu (ut fit intra secularem annum) cum mutatione quadam animorũ. Hæc verò res summæ dignitatis felicitatem semper attulit majoribus nostris, quod apud Hungaros plus boni mores valuêre, quàm apud alias gentes bonę leges valent. Quã laudem si non in omnibus, in paucis tamen Deus servavit, præsertim Regibus, qui divos Reges in priori centuria imitari, & ad Idæas ipsorum suas actiones componere studebant. Nullos Ladislaus habebat liberos mares: Colomannum & Almum filios duos post se Geiza reliquit, quorum alterum in regnum succedere oportebat. At Ladislaus, Colomannum natu majorem: divino quodam instinctu, sanguinarium prædixerat, jusseratq; sacris initiatũ Agriensis Ecclesiæ fieri Episcopum, Almo Rege designato. Contrarium evenit, ut post mortẽ Ladislai, neglectis ipsius postremis de regno mandatis, revocatum è Polonia Colomannum, Almus ipse primus omnium Regem nominaret, minus Regni quam frater appetens & magis amans patriæ. Pro more ritè coronatus Colomannus, eam regni partem, quam Duces habuerunt Almo possidendam tradit.

*Colomannus Rex Hungariæ.*

Fama de Ladislai morte ut percrebruit, estq; cognitum Colomañum in Hungaria Regem, ab his ipsis Regibus, inter quos de bello Saracenis inferendo cõvenerat, Legati ad eũ mittuntur, ut qua ratione Ladislaus non se socium tantùm belli nobilissimi, sed & Ducem totius rei gerendæ rogatus obtulisset, ille pro suis viribus bellum gesturos adjuvaret. Verũ non illum ut Regni, sic fortis, ac generosi animi, pietatisq; hæredem invenêre. Nam Reges non religionis, pietatisq; studio bellum gesturos, sed ut insidias Regno ipsius struerent, malè credidit. Negata igitur principibus societas, negatum iter per Regni Hungariæ provincias, armis transitum Colomannus prohibere volens, victus & profligatus est; tandem mutato animo, missi ab eo Legati cum muneribus & insigni commeatus copiâ, fecêre fidem de amicitia & liberâ iter faciendi facultate. Pactis itaq; certis amicitiæ fœderibus, exercitus liberè in Græciam abierunt.

*Societatem negat, & profligatur*

Inter Colomannum postea & Almum simultas primũ occulta, deinceps patefacta in aperta odia & bellum erupit, improbis hominibus utrumq; ut ab insidiis sibi caveret, impellentibus. Verum civilium bellorum memoria, quibus tantum esset fusum sanguinis, cõsilium capere coegit, Principes Hungaros, quò dissidentes inter se fratrum animos compescerent. Quare statutũ est omnium consensu, si decertandi libido eos ageret, esse è Republica, ut ipsi inter duos exercitus singulari certamine congressi, iræ atq; odii, quibus inflammati bellum movissent, finem facerẽt, eumq; qui victor abiisset Regem fieri, atq; Hungaros ejus parituros imperio. Colomannus hoc pacto à Principibus elusus, destitutusq; Principum ac Nobilitatis auxiliis, quòd suis viribus parum fideret, ab armis discessit.

*Libido ipsorum de illi decreto compescitur.*

Bellum deinde solâ cupiditate impiâ in Ruttenos movit quod deprecantẽ *Lancem* Reginam Russorum & supplicibus votis, ac miserabili ejulatu petentem pacem, insolenter habitam & calcibus petitam repulit, atroci insuper voce addita; Non debere Regem dignitatem muliebribus lacrymis deformari. *Nimia insolentia & implacabilitas in viro Principe detestabile vitium est.*

*Colomãni bellum in Ruttenos an. 1101. Insolens dictum.*

Regina deinde spreta per contumeliã auxilio Cunorum, & Ruttenorum usa, validisq; comparatis copiis, Colomañum vicit, & in fugã conjecit, cæsis ex Ducũ ordine, non paucis. *Tales exitus habere consueverunt bella, quibus ex insolentia & voluptate sævitur non ex causa aut necessitate.*

*Ruttenorũ victoria. Bellorum illegitimorum malus exitus.*

Nec enim Colomañus injuriâ lacessitus arma induit, sed contra deprecantẽ, pacẽ implorantẽ: neq; virtutis aliquâ, & fortitudinis laude, cum laus victoris ex precio hostis destrueretur, quam enim videt in acie contra se fœminam imbellem, quam si vicisset, nihil egit; quod autem victus est, nihil ad summum dedecus reliquum habuit. Porrò Colomannus quod ex suo ingenio judicium de Almo fratre faceret, cum quo non ita pridem opera Procerum concordiam iniverat, suspectum & falso insidiarum accusatum, oculis orbatum vivere, & ut scelus scelere cumularet, Belam quoque filium adhuc infantem, è sinu matris ereptum castrari primùm, deinde privari luminibus jussit. Magicus Minister, quem sibi Colomannus delegerat, Almo quidem eruit oculos & filio Belæ, testes tamen huic non executit, misericordiâ ætatis atque innocentiæ tactus, tum volvens animo fieri aliquando posse, ut extincta Colomanni sobole, quæ illi unica esset, Respublica Rege Belâ mare haberet opus. *Est autem hoc illud*

*Colomanni in sanguinem suum crudelitas.*

*illud, quod ex Tyrannorum carnificina prodiit, fratres qui ad Regnum essent admittendi, vi aut veneno tollere.*

Hac crudelitatis scenâ confectâ, & Almo tandem in conspectu sacrorum penatum ad altaria confugiente cæso, moritur fœdâ morte Rex impius & infelix, nihilq; ab eo feliciter aut utiliter gestum est, præter id bellum, quo Petrum, qui Dalmatiæ regnum sibi usurpabat, confecit: (*a*) Venetis etiam memorabili prælio superatis. Impletum est adeò vaticinium D. Ladislai, portentosum hunc & sangvinarium futurum, quæ omnia vel ipse corporis habitus, & figura præseferebant. Luscum (*b*) enim natura finxerat, gibbo-deformem, claudum, blesum, hispidum, & pilis consitum, penè ut ad primum aspectum, indignus principatu, & quali ingenio esset judicaretur. (*c*) *Nam sæpenumero affectuum internorum pravitas, externo naturæ judicio proditur, ut rem magnam admiremur, si signatus à naturâ filius, bonus inveniatur.* Cave ergò inquit Aristoteles ad Alexandrum, *ab homine omni, qui aliquo membro diminutus, ac mancus est, velut ab inimico: quoniam turpes ac manci, temerarii & sine judicio omnia agentes.* Turpitudine autem hac deformiùs nihil, quàm ad summum imperium crudelitatem adjungere, quod certè quoq; ad injuriam Coronæ pertinet, siquidem non in solâ ipsâ, & solo fastigium dignitatis, sed in virtutibus ac operibus, quæ illius sanctitatem minimè dedecorant consistit. (*d*) *O quoties igitur, & quam diligenter rogandus est Deus, ut Reipublicæ non ad culpæ nostræ pondus, sed ad clementiæ suæ mēsuram Principes largiatur. Sæpè enim Monarchas imperiis, Reges regnis, Præsides provinciis, dominos terris, Antistites Ecclesiis, nō quales bona subditorum gubernatio postulat, sed quales peccatorum multitudo meretur, concedit.*

(*e*) Colomannus STEPHANUM ejus nominis II. successorem designaverat, creditumq; tutoribus, ac præsidiis muniverat, quæ causa fuit, ut absq; morâ & dubitatione Rex, ab his quorum intererat, declararetur. Quamdiu tutoribus concreditus erat, rectè omnia, & moderatè administrata, mox ubi nonum (*f*) attigisset annum, obire Regni sui provincias incepit, quo tempore & in Dalmatiam (*g*) venit, eam in fide suâ confirmat, & contra Venetos munit, ubi læti dies acti Dalmatis, publicâ lætitiâ, & faustis gratulationibus, eum excipientibus. Inde reversus, exercitum misit in Poloniam, vindicatum injurias ab illis acceptas: hic postquam longè latèq; in Poloniâ grassatus est, rediit onustus prædâ, nullis visis hostibus. Cum Bohemis (*h*) jungere amicitias, cùm Stephano ipsi, tùm Principibus, quorum consilio uteretur è Republica visum est, quod illi hoc à Stephano postularent. Ad fluvium ergò Olesnam se Stephano venturum obviam Uladislaus Bohemorum Princeps nuntiaverat, si id Stephano placuisset, quod fecit non invitus. Erat cum Bohemo (*i*) Solchus Hungarus, Hungarici sermonis gnarus, ingenio vafer, Sinonis artium Magister, qui cum in castris utriusq; liberè versaretur, utrumq; Regem mutuâ suspicione implevit, quasi per simulationem, colloquii alter alteri insidias strueret; Quare utriusq; Principis pari error ad arma perventum est, atq; ignari rerum Hungari, fusi, fugatiq;, Rege cum paucis reditum festinante. Castris jam potiri cœperunt Bohemi, cum Joan. Urosius Præfectus Palatii collectis ex fugâ quibusdam, animisq; resumptis, Bohemos prædâ occupatos adoritur, funditque, ita qui paulò ante victores fuissent, terga victis vertere, & prædâ exuti, fugâ salutē quærere sint coacti. Cœptum tamen fœdus (*k*) cum Uladislao per legatos absolvit, & ab illo impostore, dirâ morte, ultio cladis exacta est.

(*l*) Quatenus quoque bello aggressus, interfecto Bezeno incolumem exercitum reduxit. Bellum cum Græcis deinde gessit, cujus occasionem dederat, Pyrisca D. Ladislai filia, ab Imperatore Græciæ Joanne marito durius tractata, quæ misso ad Stephanum nuntio tali, quod Imperator in ordinem juris sui & clientelæ Regem Hungariæ redigere vellet, ferocem animum & ad iram pronum extimulaverat. Belli ejus illa fuit fortuna, ut victoria penes Græcos nec incruentâ stante, Hungari non par[illegible]m cladem accepissent: armis tandem è vestigio positis ad fœdus (*m*) [illegible]itum est, initumq; inter Gr[illegible]cum Imperatorem & Regem Hungariæ tanquam affinitatis antiquæ necessitudinis, & perpetuæ pacis symbolum, ipsis arbitris, & in colloquio præsentibus.

Hoc ad laudem *S.* Coronæ pertinet, quæ numine favente, sinistram belli aleam, ad salutarem fœderis occasionem convertit, necessitudinemque cum Imperio orientis celeberrimo acquisivit: non verò ad famam Regis inclementis simul & impudentis. Quam enim non justa fuit causa Stephano belli contra Græcos gerendi, tàm iniquus fuit, & crudelis in Hungaros postea, reversusq; exquisita ac nova tormenta excogitabat, quibus sibi invisos perderet; initio gubernationis fœlix, & placidus ad frugem Hungariæ natus creditus, post tamen servire voluptatibus, vagis amoribus ind[illegible]gere (quam turpitudinem Hungarici Proceres detestati authores fuerunt ipsi cōtrahendi matrimonii) sævire in subditos cœpit. Non confidendum ergò lætis gubernatoris initiis, plerique enim eo fallunt artificio, in principiis reductis ingenio, Catones, Aristippos, Curios repræsentant, intus Neronem alunt, & in progressu vitia pro tempore suppressa revelant, aut exclusa novissimè recipiunt, in quo genere Tyberius omnes superavit, tum qui orientem adorarunt, occidentem negligunt solem. Ad pœnitentiam ergò properat, qui citò de principibus judicat.

*Moritur Colomannus Rex an. 1114. Albæ sepultus.*

(*a*) *Anno 1103 à Venetis victoriam obtinet.*

(*b*) *Colomannus intus & extra deformis.*

(*c*) *Naturâ per indicia externa mores prodit.*

(*d*) *Optimus Princeps magnum Dei beneficium.*

(*e*) *Stephanus II. Rex Hungariæ. an. 1114.*

(*f*) *Anno ætatis nono regnare incipit.*

(*g*) *Dalmatiam visitat an. 1122.*

(*h*) *Fœdus Hungarorum cum Bohemis.*

(*i*) *Solchi Hungari in castris Principum fraus.*

(*k*) *Fœdus cum Vladislao Boemo an. 1123.*

(*l*) *Bella. Ruttenicū anno 1126. Græcum.*

(*m*) *Fœdus inter Græcum Imperatorem & Regem Hungariæ.*

*Bela cœcus Rex Hungariæ.*

Bela tandem, quem Pater excæcaverat à Stephano successore designato, pœnitentis animi indicia ostendit, dum nec bellis intentus esset, nec imperiis daret operam, sed curâ privatæ vitæ, pacisque teneretur. Admonitus invalitudine, morboque lethali tentatus, sine cunctatione sumpto vestitu Monastico, regno se abdicat; Tandem fato functus est, anno regni sui decimo octavo. Hujus Regis gubernatio parùm salutaris, quod sacræ Coronæ studio & decori non satisfecit; quod aut excursionibus vexaret finitimos nullâ justâ de causâ, aut bella gereret non necessaria; in quibus & infœlicem esse propterea contigit.

*Stephanus regno se abdicat, & moritur an. 1131. sepultus Varadini.*

Bela nullum bellum finitimis intulit, sed illatum defendit fœliciter. Jamque solidam pacem per omnes regni sui provincias constituerat, dum Helenæ ex Constantinopolitani Imperatoris stirpe prudentissimæ, lectissimæque fœminæ querelis ac monitis, Principes instigati (quod Regem captum oculis, quotidiano suo, & filiorum dolore cerneret) Rege id non prohibente, autores facinoris luminis orbati publico consensu inquirunt. Capti quidam ac interfecti, quidam interfectorum hæredes utriusque sexus bonis exuti, carereque illis jussi in perpetuum.

*Consiliarii Colomanni Belam excæcantes puniuntur*

Hi verò factis posteà conventiculis, pactoque inter se fœdere, ad Borichum mittunt, cujus mater adultera ipsoque gravida Boricho, relegata à Colomanno ad suos fuerat; Promittuntque huic Regnum, si citiùs cum copiis veniat in Hungariam. Borichus persuasus à matre adulterâ, se veram esse & legitimam Colomanni prolem, Polonis & Ruttenis, quorum auxiliis instructus erat, citius opinione Regis Belæ exercitum in Hungariam duxit: Cum quo Bela prælio inito, ut causa, ita belli alea superior evasit.

*Factio punitorum contra Regem. Borichus Colomanni Regis filius nothus regnum affectans, à Belâ cedit, & fugatur, cum copiis auxiliaribus anno 1134. Rex Bela indulget voluptatibus. Paret adulatoribus.*

Hoc quoque infortunium *S.* Coronæ fuit iniquitate temporis & hominum acceptum, quod ab homine naturæ legibus, divinis & humanis damnato, armisque injustis peteretur, & facinoris execrandi patrocinium sub illo divino sydere quæreretur. Cæterùm ut à locis sordidis, sol ille oculus mundi, sordes & livorem non contrahit: sic nec *S.* Corona ab impuro Borichi ambitu & factione, labem ac maculam accepit, sed celeri clade ac interitu hostis se vindicavit, ac in decore suo cum Belâ triumphavit.

Ab hoc certamine quieti se dedit Bela cum nullos omninò haberet hostes. At parùm decora otii habita ratio, à dulcedine quietis ad instrumenta luxuriæ delapsus est. Invitati amici eo exemplo, qui simili vitæ genere delectabantur, indulgebant & ipsi crapulæ symposiisq; ac eò deventum est, ut Rex gravatus vino vespertino, promitteret multa amicis petentibus; Jejunus promissa retractare non poterat; Quo pessimo more, adulatores potiùs quàm amici effecerunt, ut potestatem illis fecerit, morte mulctandi duos Principes (*a*) quos odissent, quibus jugulatis, *potentiæ ac moderationis haud esse constans contubernium exemplo relicto.* Bela excessit rebus humanis, (*b*) interque medios Principes locum sibi reliquit. Rexit annis 9. mensibus 11. mortuus 13. Februarii.

*(a) Malo consilio pœnitenda facit (b) Moritur Bela Rex anno 1141. Albæ sepultus.*

(*c*) Belæ filius GEIZA ejus nominis secundus adolescens adhuc excepit imperium Reipublicæ utile & *S.* Coronæ gloriosum: Id quod ex gubernatione ejus constat. Magna enim ipsius domi, forisque fuit authoritas, quæ beneficentiâ, & prudentiâ comparari solet. Initio imperii bellum (*d*) cœpit, & confecit feliciter Germanicum: Rapultus homo Germanicus, qui præesset vicinis Hungariæ Austriacorum oppidis, fretus probitate, & simplicitate Juliani Comitis, (*e*) cujus curæ Posonium esset creditum, strutis nocturnis insidiis, cœpit arcem simul & civitatem. Quæ causa erat, ut Conradus Imperator, Henrico Duci Austriacorum summâ rerum commissâ, in Hungarorum perniciem conspiraret. Habuit enim *S.* Corona ab ortu semper hostes vicinos suos, qui partim prætextu amicitiæ, qua nocendi ratione major non est, simulationeque honestatis, ac societatis, bella ac clades inferre moliebantur, partim marte aperto, eam in potestatem redigere, atque Hungaros beato hoc imperio privare conati sunt. Geiza non solum tanti belli curam ac molem sustinuit, sed & exercitu extra fines Patriæ in Austriam ducto, primùm ad Posonium Germanis & Henrico in fugam conversis, septem millibus eorum cæsis, celebrem obtinuit victoriam. Rapultum cœpit, hâc laude propriâ acceptâ, quod fines suos recuperavisset. Nihil igitur Geiza (*f*) de imperio *S.* Coronæ & finibus cupiebat diminui, ut perfecta & intacta omni ex parte ejus esset possessio, *quod ingens dedecus esset Principibus, si quod antecessores virtute in Austriâq; peperunt, per socordiam ipsi desidiamque amitterent.* Conradus itaq; Imperator, qui victos Germanos ferret graviter, putaretq; Geizam meritò sibi offensum, mittit legatos, qui & Geizam reconciliarent, & nomine belli adversus hostem in Terrâ Sanctâ non solum liberum transitum sed & auxilium postularent. Geiza invicto animo, injuriæ immemor, non tantùm jura hospitii liberalissimè obtulit, sed & pecuniam ingentem ex donis templorum ornamentisque detractis congestam, ut cupiditati Imperatoris satisfaceret, dedit.

*(c) Geiza II. Rex Hungariæ anno 1141. (d) Bellum gerit Germanicum. (e) anno 1143. Posonium à Rapulto & Henrico liberat. (f) Magnũ Principum decus augere imperii fines. Geiza ad bellum sacrum collatio.*

Ita

Ita quoq; erga Ludovicum Galliæ Regē se gessit magnâ necessitudinis gloriâ. Magnum profectò hoc decus est S. Coronæ, hostium qui quavis arte, & marte illam impetere conabantur, conatus promovere, & pro offensâ, gratiam reddere, æmulæ nimirum cœlestium naturæ, qui virtutem in pretio, vindictâ odio habent. Hoc pacto Geiza domi fortisque clarus, cùm regnasset annos viginti diem suum obiit.

*Munificentia.*

*Moritur Rex Geiza 1161. sepultus Albæ.*

STEPHANUS III. à Patre commendatus, & idem Rex factus consensu Hungarorum, post obitum Geizæ regnare incipit. Initia gubernationis fuêre tranquilla, cùm nec ipse inferret bellum finitimis, pacis amans, & vicini Reges à vi atque armis abstinerent. Venetis maritimam Dalmatiæ oram, arte, & dolis, non apertâ vi vexantibus restitit, monitis priùs per legatos ne bello materiam darent, contentique suis finibus essent: Sed cum nihil intentatum relinquerent, ut domini facti Maris Adriatici, Dalmatiam quæ juris Hungarici erat, imperio suo adjicerent, Stephanus recipere, quæ à Venetis adempta erant, conatus est: Verùm ob domesticos motus non potuit. Ex absentiâ namque Regis, captatâ occasione patruus ipsius Ladislaus, nimiâ atque arroganti libidine imperandi successus, Coronæ surripiendæ consilium astutè iniit, persuasum sibi habens, illâ adeptâ, non difficulter quoque regno se potiturum. Quare miris artibus subrepto Diademate, nonnullisque Primatum, quos prensationibus, honoribus, largitionibus corruperat, suffragantibus, regium nomen palam professus est, legitimo interim Rege Stephano (cujus virtus & salutaris gubernatio non caruit invidiâ) Patrui furori indulgente. Cessit enim instar periti naucleri, qui novit obsequi fluctibus ad tempus.

*Stephanus III. Rex Hungariæ an. 1161. Albæ coronatus. An. 1164.*

*Ladislaus Geisæ Regis frater, Stephanum nepotem legitimum Regem diademate privat. an. 1170.*

(a) *Est quippe prudentiæ, ex tempore quandoque capere consilium quod plerumque injurias, vim atque pericula, incruentâ victoriâ vincit.* Neque tamen Regum constitutor & Coronæ vindex Deus optim. maxim. hocce diu scelus inultum passus est: Violatorem Coronæ & æmulum Regis coronati repentino oppressit fato.

*(a) Consilium ex tempore capere, est magna prudentia.*

Ladislaus enim regni amore captus, & victus bello, brevissimo imperio, mensium sex, finem vitæ quem diuturniorem sortiri poterat anticipat. Nam non contentus suâ sorte, duo insignia scelera perpetravit. Primùm ex ambitione rupit æqualitatem, & jus sanguinis, quæ sunt socialia divinarum & humanarum rerum vincula, & irreligiosâ occupandi Regni intentione, sacrilegium S. Coronæ commisit, cujus pœnas, subitò factum ipsum comitantes, luere debuit, eo documento sanctum esse Coronæ nomen, & Majestatis ipsius jus minimè violandum.

Susceperat hæc fraudulenta consilia Ladislaus more usitato eorum, qui dum turbandi Rempublicam animus est, rebus novis in absentiâ Principis operam dare incipiunt, ne præsente domi medico, nascentibus morbis tempestivè obviam eatur, & seditiosa consilia, legitimi Magistratus authoritate, mox in semine suppressa, minùs ad sententiam succedant. *Et quam sæpè ejusmodi inquietorum tentata, suo capiti fabricarunt ruinam, & implicarunt non prævisis difficultatibus; Siquidem non ut movere res novas, sic eventum præstare in ipsorum situm est potestate. Ideò hoc crimine, præter id quod inquieti perpetuâ notantur infamiâ pœnis quoq; atrocibus facinus expiare coguntur*; Ut olim qui absentibus Cæsaribus res novas moverunt, & rebelliones excitarunt, victi canes gestare debebant.

Stephanum verò nova protinus excepit difficultas, alter enim Ladislai frater Stephanus Quartus Belæ Cæci filius in cujus potestatem devenerat Corona, imperium per vim sibi usurpat, quorum utrique fratrum Lucas Archiepiscopus Strigoniensis periculum citissimè futurum ob illegitimè usurpatam Coronam prædixerat. Ne (b) tamen Rex diutius sibi, & causæ bonæ authoritati Regiæ deesse videretur, armis cum Stephano contendit, vincit pugnâ cruentissimâ, maximo Hungariæ damno, & pernicie. Certaminis modum non prodidêre annales, magnitudinem & atrocitatem judicarunt. Satis constat, cum omnis in diversa studia distracta Nobilitas in Castris fuisset, cum Regibus tanto furore dimicatum, ut nihil eo seculo Hungariæ miserabilius accideret, consumpta ut omnis Nobilitas eo prœlio diceretur, Stephanusque qui per ambitionem violatâ Coronæ religione, bellum movisset non necessarium, calamitosumque Hungariæ cum in arce Zemplimenti latuisset, ultricibus furiis exagitatus interiit. Hoc pacto insignia regia ad Stephanum legitimum Regem intra quinque mensis una cum Regno rediêre. *Tandem enim bona causa Regum triumphat, & quibus divinitus debentur Regna, quibusve mansuetudo, pietas, justitia, salus subditorum æquè curæ, cordique est, ejusmodi Principes cœlitus quoque proteguntur, & maximis quibusq; ex periculis adversitatibusque tandem emergunt.*

*Stephanus IV Imperium per vim usurpat.*

*(b) Rursus eo exuitur armis vindicibus.*

*Moritur Stephanus IV. invasor regni anno 1173. Idib. Aprilis sepultus Albæ.*

(c) Post victoriam obtentam Stephanus ex dolore summo, & labore, quem illi pugna peperisset morbo tentabatur, crevitque morbi vis in tantum, ut victus corporis, & animi ægritudine brevi excederet vitâ, postquam regnasset annos undecim, mensibus 9.

*(c) Stephanus Rex moritur an. 1173. sepultus Strigonii.*

Cæte-

Cæterùm hic advertendum, Ladislaum II. Regem, fuisse Stephani III. patruum, non fratrẽ, ut constat ex variis historiis, exque Sambuco, qui ita cecinit de Stephano III.

*Excipit imperium Stephanus GEISA patre clarus,*
*Sæpe Ladislaus, quem Stephanusq; petunt,*
*Hi fuerant Patris fratres.*

*Bela 3. Rex Hungariæ Stephani III. frater.*

Post hæc BELA Tertius mense post fata fratris undecimo Rex eligitur & coronatur. Prima omnium maximaq; fuit Belæ cura, ex seditionibus dissensionibusq; civilibus orta vitia tollere. Nam cum intestino certamine partium studia secuti stipendia fecissent, negatis stipendiis, cœptoq; prohibiti, ad furta latrociniaq; sese contulerant, relicta melioris vitæ ratione. *Ergò si quidem prius portis bonus Princeps vitia excludat, oportet quam muros adversus hostes instaurat, exterminatis grassatoribus & purgato regno latrociniis reformatio quædam aulæ & judiciorum instituta est.*

*Ordinem Reip. restaurat.*

Omnia enim redacta in ordinem, quæ antea confusè fiebant, judiciis nomina, tempus diesq; judiciorum certi dati, vi, atq; injuriâ oppressis, querimoniarum ostensus locus, qui Regis clementiam requirerent, mos supplicandi qui huc usque durat, constitutus est. Regem enim adire & salutare moris erat; Cæterum per supplices libellos de rebus suis agere jussi, expectareque negotiorum suorum exitum, de Regis sententiâ apud eos quorum curæ hæc fuerunt, commissa.

*Supplicandi modum introducit. An. 1174.*

Gessit bellum adversus Haliciæ Regem Uladimirum, captoque eo per Andream filium suum Ducem Hungariæ, Haliciæ Ducatum occupavit, ipsique possidendum cum Lodomeriâ tradidit.

*Halitia & Lodomeria primum Hungariæ subjecta.*

His confectis rebus, finitimas vicinis Regibus provincias adiit, paceque omnibus in locis constitutâ (exceptis Venetis cum quibus nunquam fuit fida pax) feliciter, & laudabiliter vitæ suæ cursu peracto diem extremum obiit, cùm regnasset annos viginti tres, & mensem unum. Non immeritò tranquillum habuit imperium, & à summis Reipublicæ perturbationibus, in salutarem quietis portum Hungariam redegit quandoquidem & legitimè adeptus est imperium, & summa justitia illud administravit.

*Bela moritur albæ regali, ibidem sepultus.*

EMERICUS patri successit, unâque benevolentiâ principum viam sibi ad supremum fastigium dignitatis præparavit. *Per magni quippe interest, qua quisq; famâ, & opinione hominum, dignitatem summam consequitur.* De hoc Annales Hungarici pauca scribunt: Uxorem habuisse Constanciam Aragoniæ Regis filiam, quæ postea HENRICO Romanorum Cæsari nupserit. Jaderam, Metropolim Dalmatiæ à Venetis Emerico Rege captam. Italici nominis scriptores tradidêre, sed non satis justo belli titulo, quando partim beneficiis, & precibus, partim inopiâ pecuniæ Principum, ad sacrum bellum in Asiam proficiscentium, illam obsessam, & possessam à Venetis, contra fœdera cum Hungariæ Regibus inita constat.

*Emericus Rex Hungariæ.*

*Iaderam Metropolim Dalmatiæ Veneti capiunt.*

Unum verò est memorabile in Emerici rebus gestis, quo suum imperium veluti ornamento quodam confirmavit. Regnabat nimirùm Emericus studiis & artibus pacis magis quàm belli, dum Andreas Dux frater junior damnando senioris ignaviam, in fervore adhuc adolescentiæ, quorundam pravis adductus consiliis, eum Regno exturbare, ac Diademate conatu omni privare contendebat: Jam re eò deductâ, ut prælio decertandum esset, & utrinque ad pugnam dispositi starent milites, Emericus exutus armis, Coronâ, & sceptro fulgens, solus medias fratris acies prærupit, cujus conspectus adeò Ducem, militesque omnes terruit, ut abjectis armis, supplices lacrymabundique delicti veniam poscerent. Magnâ animi fiduciâ summum in Majestate Regali posuit Emericus præsidium, longè diversâ ratione, ab antiquo in Macedonia (de quo Justinus lib. Hist. 28.) qui seditione contra se in populo ortâ, animo dejecto, & impotenti, Diadema in vulgus projecit, darique illud alteri jussit, qui aut imperare illis sciat, aut cui parere ipsi sciant. Atque ita tribuimus quidem hoc heroicæ virtuti Emerici Regis, quem impietatis, ac temeritatis fraternæ scelere objecto, Ducum militumque animos in[illegible] egisse, atque sanguini proprio pepercisse constat: Tamen sine omni dubio S. Coronæ Majestas apud Hungaros plus effecit, sub cujus tutelâ, Regi supra mortalem conditionem aliquid accedit, privatique hominis personam longè exuperat. Secus olim cessit Imperatori Henrico quarto: Hunc enim cum Moguntinus, Colonienſis, ac Vormaciensis Præsules, ex mandato Pontificis convenissent, & insignia nomine filii Henrici V. (quem Pontifex Paschalis II. contra patrem regno exturbandum concitaverat) postulassent, Cæsar Augustalibus indutus throno insidens, impositâque capiti Coronâ, tantæ Majestatis rationem legatos habituros, arbitratus, auditis illis, filii petitioni assentiri ubi recusasset, confestim ipsum involantes, Coronâ, & sceptro, in conspectu filii crudeliter exuunt, privantque. Isto multo felicior Emericus Rex noster, potiorque à fratre Regiæ, quàm à filio Imperialis Majestatis ratio habita. Etenim illa inter sagatos, aciesque instructas, terrificumque armorum strepitum inviolata illabataque constitit, huic à togatis pro tribunali sedenti vis illata fuit, qui postea ad tantam paupertatem (ut annales Germanici tradunt) redactus erat, ut de vivendi ratione sollicitus, pro officiolo capellæ cujusdam Episcopo Spirensi supplicare necessum habuerit. Sed neque eo ob nimiam Episcopi inhumanitatem & ingratitudinem

*Andreas fratrem Emericum Regno privare studet.*

*An. 1196. Frangitur illius audacia, solo coronati Regis aspectu.*

*Henricus IV. Imperator Augustalibus insignis exuitur.*

dinem obtento, tandem carceris in quo à filio detentus fuerat, fœtore, spiritu præfocato, miserè periit. Unde tanta facti & exempli dissimilitudo sit, ut Emericum major æstimatio sequeretur, facilè conjicitur, à religione nimirùm. Coronæ nostræ, à qua Regem, majestatem suam accipere, ab illâ sacrosanctum & inviolatum haberi credimus. Simul enim atque Corona Regis capiti ritè imponitur, mox occultâ quadam Majestate, & eminentiâ excelsâ vultum & personam Regis velut corporalis Dei replet, venerationemque & reverentiam animis subditorum indere solet, ut jam aliquantò ampliùs velut supra humanam conditionem æstimetur. Quid enim de Saule legimus, quod in alium virum mutatus fuerit, post electionem, & inaugurationem? (1.Reg.10.) Hoc respectu rectè solebat Nicolaus Gara Regni Hungariæ olim Palatinus, qui tempore Sigismundi vixit, in simili causâ sæpiùs repetere. *Coronatum sacro Diademate Regem, vel si bellua foret, nunquam sine magno lædi posse scelere.* Etenim quantum ex lectione assequor, intelligo Romani dignitatem imperii, non tam diademate illorum, quod varium diversum, diversorum titulorum æstimari & censeri, quàm Augusti nuncupatione, & cognomine. *Nam postquam,* ut inquit Vegetius *Imperator Augusti nomen accepit, illi tanquam præsenti & corporali Deo fidelis debetur devotio.* Id quod constat ex veteri Romani Imperii consuetudine, ubi populi, & exercitus voluntate applausu, & acclamatione, Augusti, aut Imperatores creabantur, nullâ diadematis mentione. Temporibus his moritur Uladimirus, quem Bela III. Haliciæ Regem bello vicerat, atque ita Ducatum illum inter Hungaros & Polonos controversum Lesko Rex Poloniæ occupat, & alium Ducem ei Tyrannum & Lodomeriæ præficit Anno 1198. aliis 1200. Kal. Decemb.

*Regis coronati Majestas sacrosancta.*

*Imperatoria dignitas in Augusti appellatione.*

*Emericus Rex moritur & sepelitur in Basilicâ agriensi.*

Emerico fatis functo LADISLAUS III. filius imperium suscepit, haud bonis auspiciis, quod minimè diuturnum esset, & sex mensium spatio descriptum. Quo ipso fallaces agnoscimus hominum spes, arcanaque divinæ dispensationis in imperio hoc S. Coronæ judicia, quæ Regum alios in ipso flore rebus humanis eximunt, alios variis casibus exercent, alios deniq; ad inexpectatos reservant triumphos. Nec ipsa corona amplius ferre potuit suos corrivales, quando ex hac centuriâ verè bellorum civilium nutriculâ, sublatis autoribus dissensionum ac offensionum, ad sequentis seculi victorias, & triumphos ab externis hostibus partos aditum parabat,

*Ladislaus Rex Hungariæ anno 1200. sex mensesregnat.*

Circa hæc tempora cœpit Regnum Tartarorum, Græcis Scytharum gentis ferocis, & indomitæ, quæ Indorum dominatu excusso, ac gentibus vicinis omnibus edomitis & subjugatis, Cathayne amplissimum Regnum Magnæ Tartariæ nomine condiderunt. Natura genti ingenio non humano fera, habitu corporis, & animi inculta, sine disciplina, moribus barbaris, sine civili consuetudine. Pro domibus enim eis Carri, centonibus, coriisque contexti; Pro urbibus verò & oppidis immensa castra, non fossis, aut aggeribus, sed infinita sagittariorum equitum multitudine vallata. Munimentum ipsis, equisque loricæ plumatæ sunt, quæ utrumque toto corpore tegunt. In equis omni tempore versantur, illis bella, illis convivia, illis pubica, ac privata officia obeunt, super illos ire, consistere, mercari colloqui; Hoc denique discrimen inter servos liberosque est, quod servi pedibus, domini non nisi equis incedunt. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, coriis contextis, pellibus ferinis ac murinis utuntur; cominùs in acie præliari, aut obsessas expugnare urbes nesciunt. Pugnant autem præcurrentibus equis, aut terga dantibus, ut insequentes vulnera habeant. Nec pugnare diu possunt: cœterùm intolerandi forent, si quantus his impetus, vis tanta & perseverantia esset, plerumque tamen post pugnam ex fugâ repetunt, ut cum maximè vicisse se putet, tunc sibi discrimen subeundum sit. In libidin[illegible]n projecti, fides dictis, promissisque nulla, nisi quatenus expedit. Principibus metu, non p[illegible]ore parent. Principem suum patriâ linguâ Magnum Canem nominant, naturam ipso appel[illegible]tionis vocabulo professi, quorũ inter ipsos primus Changius, Can Regnum acquisivit, ordini[illegible]ormam inordinatæ multitudini præscribens, à quo cœterorum Principum & Canum progenies manavit. Crescere Deus permisit barbaram, & terribilem hanc gentem, velut virgam asperam, ad compescenda scelera populi sui; in cujus terras ubi enormiter divinam Majestatem offenderit, potens est horrendæ tempestatis, instar agmina talium locustarum convertere, rursus eo pacto redactis, sub disciplinam hominibus suis, pro benignitate sua, rabiei ipsorum frænum injicere paratus.

Hæc est secunda Monarchia S. Coronæ imago veriùs & simulacrum prioris. Initium enim sumpsit ab impio & infœlici Colomanno, qui nullâ ex parte majorum vestigia secutus, pietatis atque virtutis metam egressus, per gravissima Reipub. incommoda, & calamitates, mutationis causam dedit, uno eodemque continuò intestinorum bellorum, tumultuum, insidiarũ cursu, totâ Republicâ Hungariæ conquassatâ, quod administratores privatos affectus magis sequi, quàm S. Coronæ dignitatem ac Remp. curare videbantur: ut meritò totam hanc centuriam ingratam in S. Coronæ & patriæ amore, infœlicem in regni gubernatione, & successu appellare possimus. *Non enim fœlicia dici possunt tempora, nisi quibus Principes virtute præstantes rerum potiti sunt.*

Non caruit igitur Corona in hac centuriâ suis adversitatibus, multocies ceu in mari navicula ventis jactata & verberata, nimirùm inter proprios cives præposterò sui amore, regnandique cupidine captos, variis vexata est modis, dispari ratione & eventu. Qui enim verò synceroq; cultu S. Coronæ ducebantur, præclara, decora bello paceq; victorias solennes consequebantur: contra profani & injurii ipsius affectatores, suis studiis, technis exitiosis, machinationibusq; dolosis exiguâ regnandi fœlicitate fruebantur, inter ipsa initia extincti. Scitum enim est, & plurimorum mala fortuna comprobatum, jam inde, ab initio, quod quicunque aut citra divinam vocationem, aut fraudis & potentiæ artificio (humiliato licet ad tempus legitimo Rege) cor suum ad arripiendam coronam elevarunt, nunquam hoc ipsis à Deo reputatum fuisse in gloriam, sed tandem sacris coronæ vindiciis retusos, rejectosq; crimen læsæ Majestatis summo dedecore sæpiùs & sanguine expiasse.

# CENTURIA TERTIA.

*Andreas II. Rex Hungariæ ann. 1201. dictus Ierosolymitanus ob susceptum bellum in terram sanctam.*

INcidit tandem fœlix ANDREÆ secundi gubernatio, in ipsum initium Tertiæ Centuriæ & S. Coronæ, (transacto discordi, & calamitoso priori seculo) lux effulsit clariùs, veluti post sævas tempestates, solis claritas, & gratior, & pulchrior esse solet, quando apud exteras gentes, & alteram orbis partem Asiam, radios suæ virtutis disperserat; Tantum enim apud Andream valuit Christiana religio, ut oblitus belli calamitosi, quod nuper inter suos esset gestum, quo extincta propè juventus omnis, ad ferenda arma idonea putaretur, dissimulatis etiam Venetorum injuriis, tum Regnorum suorum neglectâ curâ, exercitum duceret in Ægyptum, (a) adversus Sultanum Regem Memphiticum. Constat Patrem Belam interpellatum à Principibus christianis, an ipse præ cæteris Europæ Regibus, in Asiâ pro Republicâ christianâ bellum gerentibus, à pulcherrimi facti gloriâ alienus esset? spopondisse se suo tempore affuturum Reip. verùm præventus morte immaturâ, præstare quod promiserat, non potuit. Æquum igitur erat, ut filius non Regni tantum, sed & paternæ pietatis hæredem se agnosceret.

*(a) Ducit copias contra Sultanum Ægypti anno 1217. & victoriam obtinet an. 1221.*

(b) Fuit igitur iste Imperator omnium Christiani nominis copiarum in Asiâ, ipsiusq; auspiciis, aut ductu, bellum gestum adversus Religionis hostes, tàm propriâ fortunâ, aut victo acie Sultano, ac fugato, & Damiatâ Urbe in potestatem redacta, Saracenis sæpiùs fusis, in tertium usque annum preclarè res gestas continuaret. Spes erat maxima terram sanctam triumpho ipsius adscribere, & sanctam illam Urbem Hierosolymam dirâ Saracenorum servitute liberare, quando Coradinus (c) Memphitiæ Regis filius, de spe defendendæ Urbis Hierosolymitanæ depulsus, muris priùs dirutis inde profugeret. Verùm discordia civilis inter Pontificem & Imperatorem Fridericum, & stratagemata Sultani in Nilo, derivata in castra Andreæ, bello huic finem imponere coëgit.

*(b) Fit Imperator universarũ Christianarum copiarum an. 1217.*

*(c) Coradinus Regis Ægypti filius.*

(d) Andreas ubi rediit in Hungariam æternam sacræ Coronæ lauream bello pio consecravit, illamq; præter opinionem, florentem, ac quietam reperit, excepto Tragico casu Reginæ Gertrudæ, quam Bancbanus (cui Andreas Regnum commiserat) propter lenocinium & crimen prostitutæ uxoris suæ amatori fratri adultero, qui in absentia Regis ad sororem Gertrudam venerat (Othonem nominant quidam, cujus filius itidem Otho, propter stuprum trucidatus fuit) interfecerat. Magno & invicto animo (f) fatum miserabile conjugis, & tanti casus atrocitatem Andreas tulit, sed majus justitiæ, & clementiæ exemplum edit, quando Bancbanum à crimine perduellii absolvit, liberumq; pronunciavit. Exclamat mirabundus Lipsius ob hoc Andreæ factum. O multa *in hoc facto insignia, quod nihil sacra expeditioni antepositum, quod suspectum, si non convictum, iterum regno præposuerit, quod amorem conjugalem justitiæ postposuerit. Salve vel hoc pacto magne Rex, & tu inclita de Croys familia, ramus ab illa stirpe.* (g)

*(d) Andreas Hierosolymitanus dictus, absens conjugem amittit.*

*(f) Magnanimitatis testimoniũ edit.*

*(g) Duces de Croy in Belgio à quartogenito filio Andreæ Regis, nomine Andreâ suam originem trahunt.*

Deinde & alter Matrimonii sub hoc bello casus accidit. Fuit ejus expeditionis socius Ludovicus Turingiæ Landgravius, quem secutus est Comes quidam Gleichensis in Turingiâ, tandem malignitate fortunæ, à Saracenis captus. Eum in captivitate cœpit amare filia cujusdã Præfecti, liberationem pollicita, si de futuro conjugio pactum intercederet, pro nihilo habitis captivi de uxore superstite prætensionibus. Præcedente itaque matrimonii pactione, puella modum elabendi ostendit, seque profugo Comitem adhibuit. Domum ubi rediit Comes, primùm ipse ad conjugem ingreditur, rem exponit, & libertatis suæ promotricem recipi contendit; quâ in re non difficilem uxorem Turingicam reperit, quæ Saracenicam illam introductam amicè coluit, & habuit. Hæc vicissim (erat enim formosior, sed sterilis) sobolem ex Turingicâ conceptam fovebat, diligebat, ac si propria ipsius fuisset.

Tandem quod reliquum vitæ fuit Andreæ, datum fuit tranquillitati publicæ, jurisdictioni & condendis legibus civilibus. Factis igitur honestissimis sacrosanctisq; legibus, & Regum qui suc-

ſucceſſuri erant ſaluti, dignitatiq; conſuluit, & cavit Hungarórum libertati in decretis, ad quæ omnes Reges, qui legitimum & inculpatum imperium habere volunt, jurare debent. Etſi Regum aliquis ullo unquam tempore contrà faceret, certam haberent ſtatus & ordines privatim aut publicè contradicendi, aut etiam reſiſtendi facultatem, haud formidatò læſæ Majeſtatis crimine, quod nullum admitti poſſet in eum, qui officii ſui, ac jurisjurandi limites relinqueret. Ita diuturnum & fœlix quietumque habuit imperium Andreas, ac dum regnaſſet annos 34. vitæ ſuæ clauſit periodum an. 1235. ſepultus in Monaſterio Egers ordinis Ciſtercienſis.

*In Decretis Andreæ ſinguli Reges Hungariæ jurant.*

*Moritur Andreas Rex.*

Bela IV. ſucceſſit, quem præter Colomannum fratrem, Haliciæ, & Lodomeriæ Regem novum, expulſo Daniele Ruſſo conſtitutum in Hungariâ, Pater Andreas ſucceſſorem conſtituit. Gubernatio ipſius primis ſtatim annis durior, nec ſatis humana viſa eſt, illiusq; tempore adeò triſtia fœdaq; fuêre. Pleroſq; enim amicos Patris, quos viventi illi obſequentes, ſuis autem cupiditatibus non ſatis obtemperantes cognoviſſet, in vincula conjecit, alios mulctavit exilio, utrorumq; conjuges & liberos acerbè habuit. Proceribus ſellas ſenatorias ademit, & ſe præſente ſtare juſſit. *Præſtat autem in novello principatu ſeu regno, cavere ne ſubditi impotenti faſtu aut ſævitiâ aut inhumanitate vexentur aut irritentur. Facile enim tunc ſeditiones & quidem periculoſiſſima naſcuntur.* Hic Cumanos ſeu Cunnos, quos pleriq; aut Hunnorum reliquias, aut certè affinitate aliquâ conjunctos ſentiunt, per Tartaros Batto duce ſuis expulſis ſedibus hoſpitio excepit, quod Stephani atq; Ladislai, & ſi qui præterea Reges ſtudioſiſſimi pietatis Chriſtianæ habiti eſſent, exempla maximè imitari vellet. Cuttenum inquam (*a*) Cumanorum Regem à Tartaris profugum, cum totâ gente, quæ ſupra quadraginta millia continebat, religioni Chriſtianæ initiatum, in Hungariâ & tandem cum toto populo Chriſtianiſmum profeſſum, non ſolùm opimis circa (*b*) Tibiſcum locis collocaverat, ſed & civitate donârat, ut Hungarus & Cumanus nullo diſcrimine haberetur. Sed hoc Belæ licet honeſtum & utile videbatur eſſe conſilium, neutri parti fœlix fuit. *Vt enim ſocietas infida, nunquam bonâ fide coaleſcit, & qui extranei ad partem duntaxat regionis poſſidendam admittuntur, fiunt inſidiosè tandem illius totius dominii affectatores*; Sic hæc Cumanorum & Hungarorum commixta politia, malis auſpiciis facta, primò æmulationem ex innatâ gentis Hungarorum magnanimitate (ob quam cauſam Rex Palatinum conſtituerat Judicem Cumanorum) & impietate Cumanorum, qui nomine magis, quam re Chriſtianam fidem colerent, peperit, mox interminatum odium, ac bellum civile perpetuum, ut ad hanc noſtram ætatem, ex tam amplâ & copioſâ, militariq; gente Cumanorum, præter nomen inane ſuperſit nihil. Cuttenus inter principia belli ab Hungaris cœſus. Cumani ex civibus hoſtes facti pejora damna Hungaris intulerunt, quàm Tartari. Battus ſiquidem perſequens Cumanos in Europâ, ſecundis ubiq; victoriis uſus, cum quinquies centenis millibus venit in Hungariam altero agmine duce Peta in Poloniam tum bellis inteſtinis ardentem progreſſo: inde in Sileſiam & vicinas provincias. Battus ultra Iſtrum ex parte una, Cadano duce, Bulgariam Raſciam Serviam, ex alterâ ipſe Hungariâ toto triennio depopulatus eſt, ac uſq; ad Auſtriæ limites penetravit. Bela omnes Hungarorum copias ad oppidum Peſthum contraxit, quò frater quoq; Colomannus Rex Halitiæ in auxilium venit, & hoſte ad Vaciam jam graſſante, translatis caſtris ad Agriam ad flumen Savum, cum hoſte conflixit, majori animo quàm fortunâ. Multitudine enim hoſtium ferè obrutus, cœſis ſuis, ipſe in curſum concitato equo effuſus, vitæ, ſalutiq; conatus conſulere, vix effugiſſet cœſo equo, niſi Andreas Forgachius aliàs Ivanka Ghymeſſii dominus, qui cum fratre in tanto diſcrimine Regi comes eſſet, ut Regis ſuâ contempta ſervaret vitam, equũ quo veheretur, ipſe ducto citiùs Regi obtuliſſet, nobilem & viribus integrum, fratre factum adjuvante: quod dum magnis animis exequuntur, cadere equis ipſi, cæſuſq; eſt alter à Tartaris. *Adeò vile corpus eſt iis, qui gloriam ſequuntur* Andreas quòd valeret pedibus, raptus per vices, à reliqua turba equitum amicorum ſervatur.

*Bela in Illyricum ſe contulit.*

*Bela contra eoſdem apparatum. Forgachii Andreæ Forgachii præclarum facinus.*

*Bela profugus in Thuroocz conſiſtit.*

In eo prælio clariſſimi Principes, quorum nomina non ſunt in annalibus poſita, perierunt, Rege interim peregrino habitu circum fines Poloniæ, in comitatu Thurocienſi præcipuè latitante, ubi caſtrum Thuroz apud veteres illius ætatis, eo quoq; nomine clarum habebatur, quod tùm Regi, tùm pleriſq; eo bello profugis, & fugæ, & ſalutis certiſſimum præbuiſſet aſylum, cujus in hunc uſq; diem veſtigia & rudera ſuperſunt: ædificium nempe quoddam, turris inſtar, in loco excelſo *Zimo* appellatum, quod virtutis Forgachianæ memoriam conſervat: Iwanka namque fundamenta munimenti illius jecerat.

Pari fortuna cum Bela uſus eſt Poloniæ Rex Boleslaus, qui cum intra fines Regni ſui, ob Tartaros magnis agminibus ſubſiſtere non auderet, ſecuritatis cauſa in Hungariam & ipſe fugit. Mirum qua fatorum diſpoſitione fuerit, ut hi duo vicini Reges ſimilibus caſibus jactarentur. *Regum quoq; res, arcanis quibusdam impulſibus, per annos & menſes, nunc ſecundâ, nunc adverſâ vertuntur fortunâ, & miſerum ſpectaculum præbetur, dum Principes potentes, uſq; adeò coarctate fugâ ſibi conſulere coguntur.*

Ab hoc veluti naufragio Bela in Illyricum ſe contulit, mari Adriatico, quam Danubio



*(a) Cumani in Hungariam recepti.*

*(b) Circa Tibiſcum ſedes figit.*

*Odia inter Hungaros & Cumanos.*

*1240. Tartarorũ Hungariam populantium numerus an. 1241.*

*In Illyrico vires repârat.*

fortunam reliquam credere malens, ibique reparatis viribus, atque auxilio, à Pontifice & Romano Imperatore frustra implorato, Cuttano grassanti in Illyrico occurrere conabatur. Verùm Duces Tartarorum fame ex vastitate triennali ortâ, rebus fœliciter gestis, & diviti prædâ in sedes suas redierunt. Bela verò auxilio Crucigerorum, unà cum Magistro Rhodi, qui militiæ & ordinis sancti Joannis Hierosolymitani fuit, navibus, milite juxta oppidum Segenium exoneratis terrestri itinere pariter, & copiis militaribus, Comitum quos Frangepanes nominant, adjutus rediit in Hungariam, metu hostium non planè deposito. Ubi ad fines Austriæ venit, reperit hostem Fridericum qui nuper simulatione amicitiæ magnam auri partem fugienti ab hostibus Belæ extorserat. Verùm Deus & justus mars, de violato jure hospitii, Friderici victoriam Belæ concesserat. Victus enim ad Novam Austriæ Urbem, & ex vulnere mortuus postremus Austriæ Ducum hæres.

*In Hungariam venit auxilio Frangepanum.*

*Friderico Austriæ Ducem hostem inveni.*

Hic igitur recordari libet fatalis illius tempestatis S. Coronæ, qua vel Principum Hungarorum negligentiâ, vel populorum iniquitate, nihil fœdiùs, nihil tristiùs in totâ antiquitate reperitur. Nec hic afflictissimus Hungariæ status, quo ferè ad internecionem nominis Hungarici progressum est, inter tardas mutationes, quæ semper periculosæ sunt, est reponendus, sed inter summas, ac citas illas conversiones. Quis lectorum hujus temporis Tartaricam incursionem non exhorrescat? Quæ Polonis licet Silesiis, ac Moravis communis fuerit, tamen præcipuè Hungaria, summa nominis sui clade eam expiavit, ut verissimè conqueri possim de sceleribus ætatis illius, quod nimirum apud gentem nostram religio S. Coronæ domesticis odiis, ac simultatibus, otioque læsa senesceret, vel quod Dei sapientia experimentum fatalis necessitatis immiserit, ut non solum prosperis rebus ac decoris trophæisque, sed & adversis cladibus, ac stragibus enitesceret. Et hæc erat Belæ IV. & Regni Hungariæ fortuna in primâ hac Tartarorum in Europam irruptione.

*Tartarorum in Hungariam incursio.*

Cœterùm quomodo, aut quo in loco est, hac Tartarorum incursione, conservata Corona, altum est apud nostros scriptores silentium. Nec enim si localem, motoriam aliquam & ambulatoriam (ut ita loquar) custodiam apud Regem & Palatinum (quod illo tempore fuisse usitatum ex pluribus argumentis judico) fortita fuisset, insigne hostium periculum evadere potuisset: Verùm facilis est persuasio, illam in altâ illâ Vissegrad, aut sede regiâ Budæ, quæ duo præcipuè loca, ab impetu hostium, ac insidiis, divinitùs conservata fuêre, repositam, respexisse gentis suæ clades, luctumque indoluisse Barbarorum crudelissimas rapinas, sacrilegia, cœdes, castrorum incendia, adeòque spectasse tristem sui imperii Tragœdiam, satis tamen firmâ spe reparandæ possessionis suæ, ac (ut loquuntur) jurisdictionis, ac boni imposterùm successus argumento, quòd in tutò cœlitùs defensa, nihilque tale ab injuriis hostium passa, castigatis calamitate civibus, pristina Regni fœlicitas reditura esset.

Post hanc Regni ab hostibus afflictionem (quam veniâ politicorum quendam pulcherrimi corporis paroxysmum appellarem) Bela Hungariæ reliquias, mirâ fœlicitate, ac prudentiâ recollegit, ruinas restauravit, quandoquidem, naturâ ipsâ regionis Hungaricæ fertilitate & commoditate rerum adjuvante, concordia justitiæ nutriculâ usus, quietem publicam sartam, tectam conservando, brevi prolapsam, & bello Tartarico effœtam Hungariam, excidioque propinquam, pro virili parte restituit, & ad prioris status imaginem redegit. Tandem togâ quam sago potior, inter bonos Principes numerat diuturnitatem imperii pace (regnavit enim triginta nunc annos) confirmasset, senio confectus est fortunæ casibus vexatus, denique etiam morte triumphavit.

*Bela IV. moritur an 1275. sepultus Strigonii apud Minores.*

(*a*) Bela defuncto STEPHANUS V. fœlix sed non diuturnu[illegible] imperium Hungariæ tenuerat, patre adhuc regnante non solùm ad gubernacula regni capes[illegible]da eruditus, sed bellis maturè ad virtutem exercendam adhibitus. Bellum enim Bohemicu[illegible] paternis quamvis auspiciis gesserit, quod pater ob Fridericum dextro marte cœsum, (*b*) requi[illegible]ndo Austriam, Otthocaro Bohemiæ Regi, qui eandem Austriam per conjugem Margar[illegible]tham acquisiverat, movit; tamen infœlici Marte illud confecit, clade suorum ad Diam fluvium, qui Moraviam ab Austriâ Hungariam versus dirimit, eò quod flagrantissimo impetu, sed non pertinaci Bohemos aggressus fuisset, acceptâ. Alterum tandem bellũ Stephanus melioribus auspiciis, nec eâdem belli fortunâ, quæ Patri fuit, adversus eundem suscepit. Otthocarus enim, frustrà fœdere quod priùs à Bohemis læsum esset, Stephano objecto, & injurias Moravis illatas, nequicquam velut pares relatas accusando, comparatis brevi copiis, simulatâ in Moraviam profectione, subitò in Austriam convertit, in qua classem præterea in Danubio paratam hab[illegible] aqua Posonium ex improvisò oppugnaret. Nam audierat in arce urbis, bonam thesauri Regii partem à Bela, adhuc repositam esse. Celeri itaque itinere Posonium, & præsidio & commeatu (propterea quod præter opinionem obsidio Rege Bulgariæ bello occupato acciderat) destitutam urbem, fluxa civium fidé, Germanorum necessitudine prævalente, deditione capit. Arx diutiùs ab Hungaris defensa, quia situ alto firmior & rebus necessariis instructior

*(a) Stephanus V. Rex Hungariæ an. 1275.*

*(b) Ejusdẽ bellum Bohemicum primum. Secundum.*

*Otthocarus Bohemus Posonium dedi-tione capit.*

ctior erat, cæso ibidem præsidio, vi tandem capta; aurumque & argentum, quod contra opinionem Regis Bohemiæ exiguum erat, à militibus direptum.

*Bulgari rebelles domantur*

Jam Stephanus Bulgariâ, quæ rebellaverat domita, Bodo Metropoli ipsius expugnato, Regeque Bulgariæ in obsequium redacto, ac Mysiâ universâ in triumpho ductâ, veniens ad Jaurinum diutiùs morabatur, ob navium inopiam, quibus ultrà Danubium, quâ parte Posonium jacet, copias suas transferret. At Otthocarus classe abundanti exercitum suum transmisit, usque ad Jaurinum & Raab fluvium, ubi Stephanus castra posita habuit. Hic fluvio solùm propter altas ripas, & impervium alveum interjecto, Stephanus velitariis certaminibus semper victor extitit, magno Bohemorum detrimento, adeo ut Otthocarus extra ordinariam pugnam, & ne quis amplius à signis excurreret prohibuisset. Jam ponte fluvium straverat Stephanus, quo Bohemis occurreret, dum Otthocarus præoccupato ponte, partem copiarum transmisit, quarum pars ponte interrupto mergitur. Otthocarus deleto magno numero exercitus, rediit inde Viennam, Stephanus victor Budam.

*Stephani ad Jaurinum cum Bohemis certamen.*

His rebus gestis sicut, fama *nihil ignorari de probis viris patitur*, non solùm domi nomen, sed & apud exteros gloriam comparavit Stephanus, verùm gloriæ hujus successum invida mors, ac intempesta intercepit, quæ si in fata diuturniora consensisset, nomen Regis optimi, & fortunatissimi assecutus, magnam lucem Monarchiæ *S.* Coronæ attulisset, præsertim cum ex hoc Stephano, novum stemma Regum Neapolitanorum cum genere Hungarico commixtum defluxerit, datâ Mariâ filiâ sua in matrimonium Carolo Claudo, Caroli filio, qui Regnum Siciliæ acceperat. Qua de re in sequenti Centuria dicetur. Excessit ergò Stephanus rebus humanis tertio regni anno, magno suorum desiderio.

*Stephanus V. moritur 1278. sepultus in insula Budensi.*

(*a*) LADISLAI IV. filii, Stephani V. administratio, licet bello fortunata ac domi aliquamdiu quieta fuit, & eo fœdere belli multum celebris, cum ipsum Rudolphus (*b*) Imperator non solùm ad bellum contra Othocarum Regem Bohemiæ incitavit, sed ut arctiori quodam vinculo sibi conjungeret in filium adoptavit. Tandem ob impiam ac infamem degeneremque Regis vitam, Monarchia *S.* Coronæ tanquam Rege suo contra decus, & sanctitatem ejus vivente, multum à laude sua defecit, magnamque labem, ac ignominiam à fœda voluptate Regis accepit, Fœderis verò bellici cum Rudolpho ea occasio fuit.

*(a) Ladislaus 4. Rex Hungariæ Rex.*

*(b) Fœdus cum Rudolpho Imperatore init.*

Otthocarus, qui annum jam vigesimum secundum Austriâ ambitiosè magis, quàm justè potiebatur, Imperium Rudolphi detrectabat, legatis ejus malè tractatis, & nonnullis ad portas suspensis. Rudolphus armis Austriam omnem in deditionem accepit, Viennâ exceptâ, quam obsedit: ipsum verò Otthocarum intercessione amicorum, (nam & Regem Hungariæ amicitia sibi junxerat) in gratiam accepit, dato feudo Regni Bohemici, & Moravici, si ab Austriâ abstineret, & filio Vencesilao nuptiis filiæ suæ promisso. Hæc conventa cum non servaret Otthocarus, redintegrato in Austriam Bello, Imperator arma resumit, invitato ad societatem Ladislao pactorum violationem detestante & Hungaris, quod ipsi Bohemorum multo tempore hostes ob Moraviæ fines iisdem lite intercedente fuissent. Ladislaus denique avitæ cladis memor, gloriam recuperare cupiebat. Adductis ergò aliquot Hungarorum millibus, & præterea viginti millibus Cumanorum, hic non solùm belli tyrocinia fecit Ladislaus, quando præclaram operam in ipso prælio fortiter se gerentibus in ordines distributis Hungaris Imperatori præstitit, sed etiam ad decus victoriæ societate suâ, & virtute Hungarorum non minimum contulit, id quod cæteri scriptores silent. Illud referunt, Cæsarem Hungaris ab impetu in hostem, & effusione sanguinis imperasse, nec cohibere potuisse: laudatos denique à Cæsare Hungaros, & Ladislaum cum summâ gratitudine dimissum, quòd ejus auxilio in possessione Austriæ permansisset. Eo exitu bellum hoc terminatum est. Imperator nihilominùs in filium Otthocari æquior, quàm Otthocarus in Imperatorem fuit. Vencesilao enim Regum Bohemiæ reliquit, datâ ei filiâ Judith, quam antea ex pacto desponderat, Austriam verò captam Alberto filio tradidit, quam huc usque posteritas ejus tenet, accessionibus Regnorum, ditionum amplissimarum, & honoribus ad summum in Europâ fastigium evecta, Romanorum Monarcharum, augustis, & sacris titulis toto orbe celeberrima, quos magnitudine rerum gestarum, & Imperatoriis virtutibus præclarè illustravit, ob excellentia in Rempublicam Christianam merita, digna reputata, quæ à plurimis jam annis non interruptâ serie aliorum Regnorum adjunctis insigniis Romanorum Regum dignitatem (tot Imperatoribus productis, quod vix familia ulla) sustineret.

*Occasio fœderis.*

*An. 1262.*

Hæc [illegible] Imperatoriæ rudimenta Monarchia *S.* Coronæ fecit, cum Domo Austriacâ, cujus Rudolphus Imperator primus est conditor, fœlici necessitudinis omine, quando sequentibus sæculis, ad gubernacula Monarchiæ ejusdem faustis auspiciis pervenerat Majestatem, ipsius non solùm integram contra quosvis hostes conservando, sed etiam Romani Imperii societate, atque gloriâ amplificando. Ex hac societate enim Imperatoris, non solùm nomini suo plurimùm fecit accessionis Ladislaus, sed & regno suo tantùm otii, ac quietis comparat, vicinitate Rudolphi integrâ, ut annos aliquot regnum in pace conservarit. Verùm

*Hungarorum primũ experimẽtum militare, cum domo Austriacâ.*

*Ladislaus voluptatibus indulget.*

posterioribus annis, ut difficile est, in summa potentia tenere modum, indulsit voluptatibus atque libidinibus, ac incidit hic Ladislaus (ut Nero primo quinquennio bonus Imperator, mox cœtero tempore Tyrannus) in gravem hostem domesticum. *Nec enim tantum ab hostibus armatis periculi metuendum, quantum à circumfusis undiq; voluptatibus; quippe ad extinguendum vigorem animi multum possunt, omneque ejus robur, indolemque virtutis corrumpunt, ingenium labefactant, consilium eripiunt.* Duxerat Ladislaus uxorem Caroli Siciliæ Regis filiam, sed captus illecebris concubinarum, ex Cumanis mulieribus, amori illarum impiè & indignè indulsit. Qua de causa victor nuper Cumanorum rebellantium gentis impiæ sceleratum mancipium factus est. *Proh quàm multas mundus naturæ vias lubricas ostendit: Sæpenumero enim victi à victoribus armis superantur: Ipsi verò victores de victorum deliciis vitiisque pereunt.*

*Regis boni vel mali mores servant, vel perdũt Rempubl.*

Tota igitur Monarchiæ S. Coronæ ob profanatam ignominiosâ voluptate Regis Majestatem compago conquassari visa est, tum quòd Principes ac populi in Rege suo rem pessimi exempli viderent, tùm quod illi morbi gravissimi esse solent, qui à capite fluunt. Fecerat quippe ex Monarchia S. Coronæ Regnum voluptatis, & libidinis, in quo virtuti nullus esset locus. Quâ occasione Pontifex anathemate suo à Rege contempto (Ladislaum enim improbè viventem anathemate ferierat) effecerat apud Hungaros, ut antiquatis ritibus Cumanorum, externum etiam promissarum barbarum, & capitis cultum, nimirum comarum luxuriantium ab effœminatis Cumanis acceperant, commutarent. Unde originem suam traxit opinor rasura capitis, & barbæ, quæ etiam hodie apud gentem nostram in usu est, vix illud ad ornatum, & honorem Hungaris impositum, cum etiam apud Hebræos rasura barbæ & capitis, ignominiosa fuit; Nam Anon Rex filiorum Ammon Legatos David contumeliâ affectos volens, decalvavit, & rasit, eos, ac dimisit, uti legitur Libro 2. Regum capite 10.

*Mos rasura capitis & barbæ apud Hungaros.*

*Tartari secundo Hungariam vastãt.*

Impium denique Regem infœlicitas gubernationis consecuta est, quando Deo ita sinente, Tartari genus crudele, denuò in Hungariam redierunt, usque ad Pesthum maximis cladibus affectam, igni ac ferro, usque ad ultimum ferè exitum redactam, adeo ut Nobilitas ad summam egestatem, etiam rusticationis labores adjunxerit, & pro quadrigis bobus vectoribus, aut equis, bigas hominibus tractas, miseria ac calamitas invenerit, digno insuper titulo ac nomine currus Ladislai annotârit. Ita plerunque *unico bello atteruntur & exhauriuntur ditiones, ut totâ postea vitâ sarciri detrimenta nequeant.* Tandem patronus S. Coronæ, hoc est, divina potentia evigilans ac indignata impiis moribus & amoribus, prædictum Regem ferre non potuit. Jamque priùs furiæ infernales ubique consiliis ipsius adsunt, donec illum in stygiam mergant paludem. Ab ipsis enim Cumanis quos in deliciis habuit interfectus, digno Dei judicio, ut qui peccati occasionem ipsi dedêre, amore in odium converso, pœnarum acerbi fuissent vindices. *Discant ergo Principes intuitu alienorum peccatorum sua emendare, & exemplis antiquis prudenter sibi cavere, ne voluptatibus decepti, ex mediâ delectatione hauriant venenum.*

IV. *Ladislaus à Cumanis interfectus apud arcẽ Keresze an. 1291. sepultus Chanadini.*

*(a) Andreas III. Rex Hungariæ.*

*(b) Andreas II. ducit uxorem Beatricẽ filiam Aldobrandini Marchionis Estensis.*

*Andreas III. dictus Venetus, quia ibidẽ natus & educatus fuerat.*

*Vienna in custodia habitus.*

*Bellum Austria infert.*

*(a) Post Ladislai fatum*, quod meruerat, Tragicum, ANDREAS III. VENETUS successit, Nepos magni illius Andreæ Secundi, qui (ut supra initio hujus Centuriæ dictum) rebus magnis gestis, cum è Regno Palestinæ, cum Venetâ classe rediisset, ad Estensem Marchionem veterem (*b*) amicum & hospitem divertit, ubi hospitio Regio exceptus, sortis suæ memor, ut qui uxorem in absentiâ suâ obtruncatam intellexisset, Beatricem ejus filiam, ob formam & morum elegantiam secundis nuptiis uxorem duxerat, ea mortuo Rege Andrea, totque liberis ipsius maribus superstitibus, verita, ne quid sibi gravidæ gravius accide[illegible], si de Regnis inter fratres certamen ortum esset, ad patrem rediit, fide prius factâ summatib[illegible] aliquot se gravidam esse, suamque sobolem si incolumem peperisset, inter regios liberos [illegible]merandam. Nec multò post, exactis aliquot mensibus filium peperit, cui Stephano nom[illegible] datum. Is jam cum ad primos adolescentiæ annos pervenisset, præmaturâ dominandi libidine, regno arrepto ejicere suis sedibus avum vano incœpto est conatus. Ideò rejectus, variâ fortunâ jactatus, ad Jacobum Aragonum Regem sororis maritum fugit. Unde Venetias velut tempestate delatus, ex Tomasinâ Maurocenâ filium sustulit, hunc Andream III. Venetum cognomento. Cum verò Ladislaus Rex ob libidines, & adulteria Hungaris invisus esset, Andreas in spem Regni venit, qui dum Hungariam peteret, fato ambiguo captus, ad Albertum Imperatorem ducitur & Viennæ aliquot dies in liberâ custodiâ habitus, cum jurejurando pacem se culturum, & Agnetem Alberti filiam ducturum affirmasset, simul dati[illegible]ur, & biennio post, Ladislao à Cumanis interfecto, in Regem eligitur & coronatur. Gubernatio ejus & brevis fuit, ob intestinos motus ambigua.

Principiò statim à Keöszeöghiensibus præcipui nominis Dynastis in Hungariâ & aliis nonnullis incitatus, dissimulatâ eorum memoriâ, in quæ & ipse, & cum eo aliquot Hungari incurrerant, affinitati renunciat, bellum movet, oppida quædam, & Arces Austriæ vicinas occupat, agrosque Neostadium usque populabundus pervagatur. Albertus igitur comparato exercitu

ercitu in eum movet, cumq; Andreas majores, & ipse vires comparat, tandem seditionem dominantem intelligens, uti eam extingueret, pacem cum Alberto facit, pactisq; renovatis celebrat cum Alberti filiâ nuptias, post quas sex annis regnando, contempsit contra se molitiones Bonifacii Pontificis, ac motus Hungariæ pullulantes compescebat.

*Pacem cũ Alberto Austriaco facit, & conjugio animum adjicit, ductâ illius filiâ Agnete.*

(a) Mortuus ex angore animi Andreas, ad decus & gloriam Hungariæ comparatus, nisi fata invidissent, qui ultimus D. Stephani hæres, æmulari virtutem avi cœperat egregiè, sed violentum Centuriæ hujus, quod (si ut fieri solet) viam aliis ad imperium mutationemque Regni moliebatur, complementum superare non potuit; Ideo sub uno nomine Andreæ principium & finem esse oportebat.

*(a) Moritur Andreas III. an. 1301. Regni II.*

Hæc est tertia Centuria Monarchiæ S. Coronæ, primæ illi, quam Idæam & exemplar reliquarum meritò constituimus, longè dispar, & dissimilis. Etenim in D. Stephano Monarchia hæc, & fœlicia auspicia, & fortunatos progressus continuatâ familiæ ipsius serie, fecerat, pietate, fortitudine, victoriis, bellis, domi forisque floruerat, intermixtis licet, plerumque domesticis seditionibus, ac civilibus calamitatibus; triumphans porrò virtute *S.* Coronæ in Andrea Tertio, velut circulari quodam complemento, triumque seculorum ambitu constitit. Cæterùm crudelissimo mox Tartarorum bello deformata & misera, suam Majestatem à pace & favore Coronæ receperat, sed diminutam, ac deficientem à pristinâ laude, & gloriâ. Et brevior hujus diminutionis, ac compendiosior via non fuit, quàm remissio antiquæ virtutis, dissensio civilis, ex Cumanorum infœlici societate; & accessit iterata Tartarorum Tragœdiæ scena, post quam tenui in ipso fine alexipharmaco refocillati Hungari, spiritum planè resumpsissent, nisi scelerata Regis voluptas divinitùs punita emolumentum remediale contempsisset, ac sacræ Coronæ pœnas persolvisset. Reges habuit quinque, paucos scilicet numero & virtute.

*Diminutio Majestatis Regnorum.*

# CENTURIA QVARTA.

PRincipum hujus Centuriæ necessariò ab illa in Regno rerum dubietate ponendum est, quando Monarchiam *S.* Coronæ, ut cætera humana omnia mutantur, labuntur, ac fluunt, præcipuè verò Imperia summa, summæ quoque varietatis orbe circumagantur, vicissitudini fatali subjici, atque non nisi per collationem quandam fati ad statum priorem redire oportuit.

Andrea igitur rebus humanis exempto, nova subinde controversia, de *S.* Corona enata est. Bonifacius enim Pontifex Hungaris etiam tum Regem Carolum Robertum obtrudebat, cum Rex Andreas in vivis esset, quod ad Carolum magis jus successionis, quàm ad Andream Venetum cognomento pertineret: Quippe Carolus Ladislai Quarti Regis sororem aviam suam nuncupabat. Sed plerisque Proceribus, vehementer hic ritus novus, ratum habendi quicquid Romanus Pontifex, etiam in ipso Rege declarando constitueret, displicebat, quod nimirum libertatis suæ in electione Regis jacturam facerent, quam nimirum per ipsius Pontificis authoritatem, censuram, & anathematis severitatem labefactari Hungari existimarent. Tempore igitur comitiali indicto, ad ferenda ex more suffragia, circiter decem continuos dies acerrimè Pontificis sententiæ reluctatum est: Nominantque illi, & eligunt Vencesilaum Regem Bohemiæ & Poloniæ, assentiente populo continuo delecti Proceres, qui gratulandi causa irent in Bohemiam, ibique Vencesilaum ab omnibus ordinibus salutent Regem Hungariæ. Legati cum beneficium per se maximum luculentâ insuper oratione extollerent, rati Vencesilaum cupidum, cum gaudio illud accepturum, responsum non pro animi sententiâ accipiunt. Gratias nimirùm accuratè egit, quod se dignum duxerint, quem Regem Hungariæ appellarent, sed sibi nullo ampliùs regno opus esse, cum duo ista quæ possideat, plus satis oneri sint. Nec ullis argumentis ab hac sententiâ dimoveri potuit, modestiæ nè an moderationis affectus magnanimo exemplo? Hungari frustrati ad extremùm exorabant, ut filium Vencesilaum daret illis Regem. Cunctatur & hic Vencesilaus non vanâ ratione quod unicum & tener[illegible] gentri committere nollet. Vicit desiderium Hungarorum, qui Vencesilaum in Hungariam, mox Albam Regalem deductum, more solenni *S.* Corona exornarunt.

*Bonifacius Pontifex Hungaris Regem dat*

*Hungari libertatem Electionis contra Pontificem tuentur.*

*Vencesilaum Regem Bohemiæ, & Poloniæ eligunt.*

*Qui regiam axioma in Hungaria recusat.*

*Vencesilaus Boemus, Rex Vngariæ.*

Hæc societas Monarchiæ *S.* Coronæ cum Bohemis inita, cùm antea fœderibus, & affinitatibus, satis probata, & luculenta fuerit, & si non permansit hac vice durabilis, & constans, maximum tamen fuit Dei beneficium, quando inter has duas vicinas gentes præteritis temporibus gravissima bella, insignes clades peperissent. Hoc facto Hungarorum incitatus Pontifex, acriùs

*Pontifex*

*ob rejectũ Carolum malè contentus.*

acrius fulminabat, & pars quæ factioni Caroli adhærebat, auxilio Alberti Imperatoris, missis Hungaris, sævis afficiebat Moraviam injuriis. Quare Vencesilaus de filio sollicitus fuit, quomodo illum de Regno Hungariæ factionibus, ac seditionibus pleno abduceret, in quo præter Regis nomen inane, potestatem regnandi modicam haberet, partim ob teneram adhuc ætatem, multò magis ob quorundam Principum præposteram ambitionem, qui imperare potiùs, quàm parere assueti erant. Accesserat metus, ex vitâ filii dissolutione, quàm inerti otio, vinoque, ac prodigis epulis ferè quotidie transigebat, ne ab hac assuetudine postea temperare nollet. Ergo inter hæc à nuntio filii discrimina, & Caroli majorem factionis vim referente, territus, forti coacto exercitu, magnis itineribus ad Pesthum Danubio à Buda Regni Metropoli diremtum accessit, positisque commodè castris, Budam ad filium mittit, ne Danubium trajiciat, nevè secùs in conspectum parentis, quàm coronatus Coronâ illâ Hungaris sanctâ veniat. Assentientibus (sed minùs providè quod eventus ipse docuit) Proceribus, jussa obit filius, coronâque capiti suo accomodatâ ad amplexum parentis admittitur, quam Vencesilaus quasi diligentiùs post cõtemplaturus, seponens, reddere Hungaris recusavit, periculorum prætextu usus, quodque ubicunque Coronam, ibi & regnum Hungariæ esse putandum existimaret. Et sic ipsam, unà cum filio, tertio regiminis anno, in Bohemiam abstulit.

*Ad Pesthũ cum exercitu venit.*

*Filium unà cum coronâ Hungaricâ aufert.*

Atque hæc erat profectio prima Coronæ, veriùs peregrinatio quædam, in quo prætextu societatis abrepta, extra oleas patriæ, in potestate Bohemorum, non sine magno periculo permansit. An verò laudem, aut vituperium meretur Vencesilaus, qui nuper insigni modestiâ regnum recusasset, nunc nullâ vel religionis, vel societatis Hungariæ ratione habitâ, aut quocunque id prætextu fieri possit, ad explendam fortè animi cupidinem, quæsitis nimirum artibus, Coronâ potitus, eandem extrà Regnum recepit: an verò Hungarorum injuria ac discordia accusanda est, qui, dùm nullo fortè studio conservandæ Coronæ ducerentur, aut non magnam tuendæ dignitatis ipsius rationem haberent, tàm iniquam conditionem admiserunt, ut sacrum illud ancyle peregrinis manibus committerent. At violentia hæc Bohemi, nullâ parte vim & Majestatem S. Coronæ minuit: Cæterùm vencesilaum tandem ob abreptam, & viliter æstimatam Coronam, ad duriorem casum reservatum, pœnas tandem luisse credimus, quando in civitate Marcomannorum Olomucii pluribus confossus, ab ignoto Sicario vulneribus, periisset.

*Prima Coronæ ex Hungariâ abductio.*

*Vencesilaus Hungariæ Rex Olmucii confoditur die 3. Aug. an. 1307. ætatis 18.*

Peregrè constitutâ Coronâ, continuatæ Comœdiæ ludos faciebat in Hungariâ fortuna, quando secundum abitum Vencesilai, Hungari veriti ne Pontifices Romani, sub velamento religionis, jus & facultatem Regis imponendi sibi aliquando arrogarent, urgente suis modis ad Carolum recipiendum domesticis, denuò in unum consulunt, ut novum sibi Regem Budam adducant, quem Carolo ejusque factioni apponant: placuitque Ottho Bavariæ Princeps vel quoque illo nomine, quod ex filia Belæ IV. Elisabethâ progenitus esset. Nec is regnare recusat, si modo intellexerit, Vencesilaum ultrò regnum resignaturum. Ad explorandam igitur voluntatem ejus, Ottho affines & cognatos suos misit in Bohemiam, cum grandi pecuniâ, qua si res prosperè cederet, Coronam statim à Vencesilao redimerent, illamque secum in Bavariam afferrent. Nec caruit res eventu: Vencesilaus enim, tàm nobile tamque opulentum Regnum nullo in pretio præmioque suo, sed in mero planè beneficio reponere voluit, largitus promptissimè Otthoni gratuitò Coronam, cum omni jure, quod filius in regno Hungariæ acquisiverat. Quis non miretur munificentiam atque liberalitatem Regis Bohemi, quam in cœlesti thesauro exercuit? & ambitionem quandam ex nuperâ modestiâ suspiciat; ne mirum naturam Imperii avidam, atque dominandi cupiditatem habere [illegible] leretur, imperium gratuitò donare. Ottho Coronâ potitus venit in Hungariam, & Albæ p[illegible] oribus eam ostendit: quam ubi conspexêre in Otthonis partes, etiam quidam ex factione C[illegible]oli concesserunt. Itaque à Benedicto Vesprimiensi & Antonio Chanadiensi Episcopis in loco solito coronatus est, non planè omninò ad illum veterem ceremoniæ modum ac consuetudinem.

*Qui Coronam cum omni jure regali à Bohemo gratuitò recipit.*

*Eam in Patriam retulit Ottho.*

*Ottho Rex Q. Vesprimiensi, & Chanadiensi Episcopus coronatus.*

Ottho tandem post Coronationem fortunâ sibi adlubescente, cum insigni ac Regiâ comitivâ Budam & alias partes Regni invitabat, ostentatâ de industriâ in capite S. Coronâ favorem, ac studium, venerationemque tacitè venabatur, dumque remotiores partes Hungariæ & Transylvaniam ingredi cuperet, quo Diadema securiùs tutiusque secum asportare posset, vanâ prudentiâ, & timore, tornatili inclusam lagunculâ, cuidam ex aulicis commisit, qui non conscius quod eâ pretiosum quippiam contineretur, parùm [illegible] [illegible] uestri alligârat, sollicitus, cum in itinere decidisset, posterò demùm die diligenter quæsita, circa crepusculum vespertinum reperta fuit. Dignum profectò admiratione, quòd in via publica complurimis commeantibus visa non fuerit: Providentiâ Divinâ illud evenisse judico, ne nimirum S. Corona privatis quorundam manibus macularetur, aut perniciem aliquam incurreret. Portentum hoc amissæ Coronæ significabat imperium Otthonis in Hungaria non fore diuturnum.

*An. 1306. Corona per Otthonis aulicum amissa. Casus ille Otthoni ominosus.*

Igitur Ottho in Transylvaniam penetravit, facilè sperans à Ladislao illius provinciæ præfecto

fecto (quem Vaivodam appellant) obsequium. Verùm ille ex levi causâ offensus, vel partium Caroli sectator, Otthoni non solum Coronam eripit, sed & in Arce quadam captum retinuit, nec in libertatem redire passus est, donec jure Majestatis quod ex Coronâ habuit renunciato, sacramento etiam promitteret memoriam injuriæ perpetuo obliterandam. Relegatur itaque ad Russos, ubi à vicinis Borussis Germanis agnitus, ope horum tandem, ad suos rediit, eoque (a) pacto rem in sacram Coronam commissam expiavit. Non enim oportet liberorum Regnorum publica ornamenta, privatim usurpare, velut proprii juris æstimare, iisque ad ambitionem, & popularem gloriam abuti, quodque solenne est, vulgariter habere, cum nulli mancipio dentur regna omnibus usu, & certo privilegio divino. Enitet quoque hic sanctitas in Coronâ nostrâ, & divina in reprobandis flagitiosis Regibus lex. Nam quod Ottho avunculum Alberti Austriaci Imperatoris Comitem de Hairla interfecerat, non potuit diu labem hanc S. Corona in Rege Hungariæ intueri, quin detractâ Majestate, ipsum Regno exturbasset.

*An. 1308. Corona Othoni à Transylvano eripitur, ipse in carcerẽ detruditur & Regno cedere cogitur.*

*(a) Ottho Hungariæ Rex, relicto regno in Bavariam redit anno 1309.*

In hoc excessu Otthonis ex Hungariâ, finis erat istius in regno dubietatis, quando Hungari electionis discordiâ, velut malo veneno, patriæ non leves tumultus accerserent. Pace jam ab externis hostibus factâ utebantur, & quod caput bonæ spei est, corona sese alienâ potestate vindicabat, volentibus superis, ut hujus præclaro judicio discordiæ patriæ esset ultimus finis. Quem autem dolor non acerbet, quando altiùs considerat, quam in fausto peregrinationis fato Corona primùm latebras Bohemiæ ingressa, mox in Bavariæ angustias profecta, imperii sui axiomate secum habito, demùm in Transylvaniam velut ditionem fidei suæ avaris manibus se explicaret, ac fœliciter inde etiam à Transylvano Vaivodâ rediret, qui obsequio Regni adductus, post multa Principum monita eandem Reipublicæ, ac communi bono reddidit.

*Coronam Vaivoda Transylvanus restituit.*

Tandem ergò dum Carolus, penes quem summa factionis præcipuè inter principes capita fuerunt, varias fortunæ vires expertus, postquam spe pacis, magnam omnibus Hungariæ Provinciis dedisset, veluti mercedem eximii laboris insignia S. Coronæ accepit. Imperium Caroli fœlix, ac quietum domi, forisque fuit, quamvis à bello civili initium & victoriæ & pacis fecerit; Ne enim promissa pacis fœlicitas sine sanguine civili constaret, impedimento fuêre plerique veteris factionis Principes, qui imperii Hungarici summam, Gallico aut nomini datam indignè ferebant. Ac proinde veteri factionis nomine, libidine turbandi accensi res moliri novas nunquam desistebant. Imprimis verò Matthæus Petri filius (qui etiam Palatinus Regni fuit) proximis solicitatis ad defectionem magnos motus excivit, mors quoque Amadii (Leonhardum fuisse ajunt) Hungariæ Palatini ipsi imputata fuit: Hanc ergò perfidiam mox armis vindicavit Carolus, devictoque & sublato ad Cassoviam, non sine Hungarorum sanguine (b) Matthæo Palatino, regnum continuâ pace, absque turbinibus quibusvis floruit, pietatis, & clementiæ Regis laude maximâ.

*Carolus Neapolitanus fit Rex Hungariæ an. 1310. Albæ regali coronatus. Matthæus Trenchiniensis, regni Hungariæ Palatinus.*

*(b) Matthæum Trenchinium factiosum tollit.*

(c) At humani generis inimicus & præsertim Regnorum Alastor inter domesticos, & in ipsius aulâ Carolum sœvum Ministrum excitavit quendam Felicianum, qui pacati regni odio motus, ausu immani stupendoque cœdem Regi, Reginæ & filiis ad mensam genialem. Verum frustratus conatu, divinitusque protectis Regibus, sceleratus ille Felicianus, parricidialis facinoris, atroces cum totâ familiâ luit pœnas.

*(c) Felicianus quidã ex familia Zaachorũ Regem cũ familiâ regiâ occidere tentat.*

(d) Bellum deinde, dum nimiam quietem Martialia quorundam Hungarorum, ingenia, ferre non poterant, ac instigantibus Transylvano Vaivodâ, & ejus complicibus, contra Valachiæ præfectum Bazaradum movet, qui licet supplex Regi, & fidem, & obsequium promittendo bellum deprecaretur, tamen quod insolentiâ verborum Regi illuserit, eventum belli experiri voluit Carolus, sed infelicem ac fatalem. Redacto enim ad magnam famem exercitu, Carolus summâ coactus necessitate, accepto sacramento obsequii, à Bazarado, ac tutò redeundi potestate sibi permissâ, perfidiæ plusquam barbaræ scelus evitare non potuit, dum ille cum (e) exercitu angustias montium subito impetu occupat, magnâ legionum Cumanarum strage, & cœsis ad internecionem Hungaris, Rege ipso cum paucis Proceribus elapso, ac non nisi divinâ ope liberato. Atque hoc eventu evadunt bella levibus causis, privatisque Regum offensionibus & injuriis excitata, quas sicut præterire magni animi est, & excelsi, ne unum atque alterum verbum, leviter elapsum, gravi civium vulnere expiatur; ita publicarum offensarum oblivisci, ignaviæ est, & detrimenti maximi, in utroque tamen ardens vindictæ cupiditas frænandæ, ne tum deprecantes, & implorantes pacem superbæ aggredimur, à lætâ hostis humilitate ipsi opprimamur, Regium est enim, *parcere subjectis, & debellare superbos.*

*(d) Bellum Caroli in Valachia anno 1330.*

*(e) Carolus Rex Hungariæ casus à Valachis, vix fugâ elabitur.*

Hæc clades Transalpyna parum quidem laudis, & gloriæ detraxit, quod non tam suo consilio, & arbitrio, quàm quorũdam inquietorum Martis filiorum, operâ ac persuasione expeditionem hanc susceperat: Verum fortuna seqvens, quàm præclarè, & fœliciter actiones veluti pedissequæ comitabantur, non solum cladis hujus memoriam obscuravit, sed etiam accessione Regni, gloriâque illustravit maximâ. Primus enim hic Carolus Galliæ ac Neapolis Regibus

ortus,

*Gentis Hungaricæ in Regno Neapolitano successio*

ortus, non solùm plurimum decoris Galliæ fastigii ad lucem sacræ Coronæ attulit, sed & gentis Hungaricæ successionem in Regno Apuliæ, aut Neapolitano dato Andreæ filio per adoptionem Caroli Roberti optimis suis consiliis sancivit; ita ut pari ratione beneficioque, quo ille Regnum Hungariæ Apuliæ, & Galliæ assecutus est, eodem Regnum Galliæ & Apuliæ, ex Hungaricâ laude cumulata auxerit, & confirmârit: Ut non immeritò Monarchiæ S. Coronæ, hanc mutuæ necessitudinis & conjunctionis gloriam, ac laudem divino, ac humano favore contigisse agnoscamus, quando omne imperium, & Magistratum à Deo esse, & ad dispensationem divinæ providentiæ pertinere scimus.

*Carolus processus judiciarii in Hungariam introduxit. Controversiarum decidendarum antiqua apud Hungaros ratio.*

*Per examen ferri candentis.*

*Per aquâ ferventê.*

Postquam in Apuliâ Andreâ adoptione, Rege facto fœliciter rem transegisset, ad tranquillitatem Imperii tot annorum restabat Carolo cura summa justitiæ, sine qua vera tranquillitas nulla est, judiciaque sine justitiâ, & veritate consistere non possunt. Et quamvis Hungari, ad Caroli usque tempora habuerint jus quoddam Regni, partim ex Regum Decretis, ac legibus publico consensu firmatis, ac privilegiis partim judicum Regni ordinariorum sententiis, deniqúe consuetudine ipsâ, firmatum, tamen deerat adhuc aliquid ordinis ad complementum hujus juris municipalior confusioque quædam erat judiciorum, & decisionum in casibus quotidie incidentibus. Fuit, ut unum ex multis addam, apud gentem Hungaricam investigandæ veritatis inter partes controversas ratio talis, quod litigantes de quocunque facto, per Comites & Pristaldos (qui fuerunt olim executores judicum in Capitulis) in capitula ad examen ferri candentis mittebantur, quod alterutra pars ceremoniis præmissis levando, si comburebatur, rea pronunciabatur, sicut illa, quæ portavit ferrum, justificata. Ob hoc, ferrum illud judiciale appellatum, ferrum examinis, & probationis. Quam quidem probationem non licebat alibi facere, quam in sedibus Episcoporum, Varadini potissimùm & majoribus Præposituris, ut Posoniensi, & Nitriensi. Erat & alia ferventis aquæ probatio, ad similem dirimendarum controversiarum usum adhibita. Sacramentum item juris jurandi super sepulchrum, S. Regis Ladislai coram Capitulo Varadiensi præstari solitum, hanc probationis ceremoniam ex veteri lege traxisse videntur antiqui Hungari, ubi Zelotypiæ lex talis fuit Num. 5. ut vir conceptâ contrà uxorem suam thori suspicione, quæ testibus argui non posset, adduceret eam ad sacerdotem: Sacerdos autem præberet ei aquas amarissimas, in quas maledicta congessit: Quas cum biberit, & polluta est, & contempti verò adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur, eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. Verùm maxima hic institutorum diversitas. Lex enim Zelotypiæ expresso mandato divino innixa & approbata fuit, deinde non in quibusvis litibus, sed duntaxat in solo Matrimonii casu valuit, denique in tali causâ, quæ ad judicium solius sacerdotis deferebatur: Consuetudo verò temporis ejus apud Hungaros superstitosè potiùs, nec ullo mandati divini fundamento introducta, quod ubi non est, & aliquid in naturâ præter communem cursum fieri videmus, illud artificio alio, quàm divino evenire judicatur; Deinde hoc parvi sanè in omnibus obscuris differentiis observatum, & judiciis forensibus. Cœterùm eo ritu probationis, usi fuerunt Hungari per annos trecentos quadraginta, ab anno scilicet nongentesimo, sexagesimo nono, à nativitate S. Regis Stephani, usque annum millesimum tercentesimum nonum, quo Carolus est coronatus, qui abolitâ hac ceremoniâ, Deo invisa, processum judiciarum, & usum processuum in causis inchoandis, prosequendis, discutiendis, & terminandis, ex Galliæ regno, in Hungariam induxit, tam salutari successu, ut in hunc usque diem observetur.

*Carolus hanc ceremoniam abolet.*

Enituit ergò corona, regnante Carolo, præcipuâ corporis [illegible] gemmâ, justitiâ nimirum, jurisque civilis salutari constitutione, quam qui contemnit, non r[illegible]dò judiciorum vincula revellit, sed etiam utilitatis, vitæque communis. Quo nomine Car[illegible]s præclarè de omni posteritate meritus, apud vicinos Principes magnam virtutum suarum dispersit famam. Tantaque in Carolo fuit authoritas, tàm propensus omnium erga ipsum amor, ut vicini Reges Bohemiæ Joannes & Carolus filius, Poloniæ Loctecus, & Casimirus filius, Rutthenorum Dux Locha, qui multis annis inter se habuerant, & foverant controversias, ejus unius arbitrio rem omnem decidendam permiserint, quos ille ad oppidum Vissegrad in Hungariam evocatos, bonis conditionibus reconciliavit, omnemq; litem inter eos sustulit, addito velut pignore hujus reconciliationis, amicum se futurum servanti leges, quas ille tulisset, hostem verò violanti. Inter alias hæc non postrema fuit, ut Loctecus, & [illegible] æ Joanni debitam, in solidum statim adnumeraret, atque de tota Silesiâ eidem cum omnibus Ducibus concederet. Atqve ab eo tempore Silesia in potestate Bohemorum est; Johannes vicissim ne amplius titulum Regis Poloniæ usurparet, nevè ullo posthac tributo Loctecum oneraret. Magnum profectò decus hoc est sapientiæ proprium, conciliare sibi animos hominum, & ad usus suos non solum adjungere posse, sed etiam suâ potentiâ & authoritate, summis quoq; gratificari Regibus.

*Concordiâ inter Reges Bohemiæ, & Poloniæ conciliat an. 1335.*

*Silesia quando in potestatem Bohemorũ cessit.*

Rebus

Rebus igitur domi forisque fœliciter gestis, quiete Monarchiam S. Coronæ amplitudine novem Regnorum, non nudis solùm hominibus, sed veris integris possessionibus, diffusam illustravit, utpotè quæ non solùm intra Majestatem Regni Hungariæ coërcuit, sed & per Præfectos suos, Legatos & fiduciarios adjectis vectigalibus administravit.

*Carolus Rex Hungariæ possedit, regna novem putà Dalmatiam, Croatiam, Serviam, Bulgariâ, Lodomeriâ Comaniâ: Ramiam, Bosnam, & Russiâ.*

Hæc & aliâ præclara virtutis & gloriæ monumenta, Monarchiæ S. Coronæ reliquit Carolus, cui vires in bello, prudentia in consilio semper adfuerunt: fœlicissimus hoc uno etiam, quod ut conatus optimi Regis nunquam à bonâ fortunâ vacui, cassique fuêre, ita splendor S. Coronæ (*a*) iniquitatis temporum nullam maculam accepit, fœlicitasque illius nullam habuit vicissitudinem malis tempestatibus obnoxiam. Tandem excessit rebus humanis magno gentium desiderio Carolus.

*a) Carolus Rex moritur 1342. 17. Kal. Aug. sepultus Albæ regali.*

(*b*) Ludovicus successit tàm patris fœlicitate, quàm propriâ virtute insignis, in quo nimirùm & fortunâ, qua humano judicio (*c*) bellicæ actiones præcipuè administrari putantur, quæque rebus famam pretiumque constituit, & virtus quæ cœlesti ope ac suffragio nititur symbolum quoddam mirabile constituerunt. Quæ duo ubi similiter conveniunt unâ, facilè choragii instar comitantur, amor, exercitium, oportunitas, tempus, judicium. Quibus omnibus adjutus Ludovicus, non solùm fœliciter Monarchiam sacræ coronæ excoluit, sed & miris modis amplificando in supremo honore fœlicitatis fastigio collocavit. Inde enim quod domi pace conservatâ, foris in tot expeditionibus fortitudinis bellicæ, præclara trophæa consecutus fuisset, omnium Regum Hungariæ maximus evasit, & Monarchia S. Coronæ sub ipso supra omnia Europæ fastigia, summâ virtutis, & fœlicitatis gloriâ effloruit. Ejus quippe gubernatio non solùm Hungaricæ virtuti, & nomini honesto apprimè salutaris, sed & reliquis Provinciis christianæ Reipublicæ summè utilis extiterat, quando Rex rebus fortissimè gestis, insignis, & à cujus salute, velut filo pendebat multorum status Regnorum, non solùm suis rectè profuit, sed etiam hostibus imperii Monarchiæ sacræ Coronæ præfuit. Et quoniam Regis hujus res gestæ, à scriptoribus immensâ materiæ varietate celebrantur, placuit titulis solùm bellorum, quæ pro dignitate Monarchiæ *S.* Coronæ forinsecùs gessit, recensere.

*(b) Ludovicus Rex Hungariæ an. 1342.*

*(c) Fortuna virtute & trophæis insignis.*

Constituta igitur ritè Monarchia *S.* Coronæ, id omni contentione egit, ut domi concordiam alere, & foris in bellis gerendis laudem cum singulari prudentia referre posset. Itaq; imprimis intestinam, quodam modo illam, quæ ex defectione Transylvaniæ & præsertim Saxonum orta erat, discordiam Coronæ perniciosissimam è medio tollendam censuit, ne scilicet sibi magna animo & salutaria volventi, quicquam domi noxium, quod esset, obstaret, ne nimirum interim dissensio civilis Rempublicam conficiat, & perdat, ipse verò sine ullo labore ex hostibus victoriam reportet. Sancitâ igitur hic concordiâ, & Alexandro Transalpinæ Valachiæ, in gratiam recepto, fidelitatisque sacramento obligato, bellum imprimis Polonicum occurrit, quod non tàm affinitatis gratiâ, & Casimiri (hujus sororem Elizabetham, in uxorem duxerat) studio susceperat, quam religionis christianæ amore, quam Litvania pietatis christianæ expers odio habuerat, in quo obstinatam gentem militiæ instrumentis, id est, ferro igne fortiter mulctatam in fide continuit.

*Bellum Litvaniæ irreligiosæ infert an. 1343.*

Bellum Bohemicum deinde accedit, maximè ob Regis Joannis ambitionem, & violatam fœderis, Carolo Patre Ludovici arbitrio, sancitam, actionem. Gessit illud fœliciter Ducibus præcipuis Nicolao Zechii, & Petro Poharnik, liberatâ Cracoviâ obsidione & Poloniâ Bohemico hoste depulso, victoriam obtinuit, cujus perpetuo beneficio singulariter Hungarico obligatam fecit Poloniam.

*Ejusdem bellum Bohemicum an. 1344.*

Tartaricum in Transylvania, & apud *Siculos*, quos Tartari infestabant, prospero eventu gestum Duce Andreâ Vayvodâ, quando cœsis Tartarorum copiis, dux Adamus captus & interfectus est. Victoria hæc tantùm momenti habuit, ut multis deinde temporibus ab immani incursione hostis abstinuerit.

*Tartaricum an. 1352.*

Bellum sociale Croaticum, adscito Bosniæ Principe in belli societatem (quem & Regem Bosniæ creaverat) quo perduelles *S.* Coronæ plerosque victos ad obsequium & fidem Regni Hungariæ reduxit.

*Croaticum.*

Bellum Dalmaticum longè illud difficillimum ob Isaderam Dalmatiæ (quæ Hungarici juris semper erat) Metropolim: in quo ingenti conflato exercitu, Jaderam à Venetis occupatam, & septimò ad verum & legitimum *S.* Coronæ imperium redeuntem defendit, ac Venetos qui plurimùm negotii maritimis copiis facesserant, terrestri prælio fudit ac devicit.

*Dalmaticum.*

Bellum Neapolitanum primum, velut causâ justissimum, ita potentiâ hostium, ac temporis diuturnitate longè maximum. Andreas etenim Ludovici frater, Rex Apuliæ inaudito conjugis Johannæ scelere serico laqueo necatur: ideo ad vindictam de sceleratis sumendam ingressus Italiam cum validissimis legionibus Ludovicus Regnum Apuliæ in potestatem redegit, ac Joannem expulit, ac Neapolim caput Regni cum triumpho init, ubi summâ lætitiâ Principum, ac populi Rex *Siciliæ* ac Hierosolymæ salutatur. In sceleratos, ac reos criminis læsæ Ma-

*Neapolitanum primum anno 1349.*

*Regnum Apuliæ ad Hungariâ pertinens.*

*Ludovicus fit Rex Siciliæ.*

Majestatis severè quidẽ animadvertit, autoribus parricidii capite mulctatis; Sed non sine magnâ clementiæ laude, quando paucorum sanguine placatis, cœteros hujusce parricidii insimulatos in gratiam recepit, illumque severitatis adhibuit modum, ut nec vindictam sivisset superare scelus, nec culpam insultare legibus.

*Secundum Italicum.* Bellum secundum Italicum causâ non diversum, quam priùs habnit, sed potentia hostium rebellantium validiùs, quando parricidæ totius Italiæ viribus adnixi Hungarorum in Italia imperium abrogari contendebant. Reversus igitur cum magna Procerum multitudine Ludovicus in Italiam, Urbes præcipuas à fide deficientes, Theanum, Barletum, Barium, Canasium, Lucerium, Salernum, partim vi, partim deditione recepit; ubi illa non solùm bellicæ virtutis infinita decora consecutus, genti Hungaricæ magnitudinem Italiæ quondam rerum dominæ, nunc Imperatricis virtute, non inferiorem ostendit; sed etiam Monarchiæ S. Coronæ Majestatem, ac gloriam continuato victoriarum successu, omni expectatione majorem comprobavit.

*Venetum an. 1352. Ludovicus Venetorum equo albo non contentus.* Bellum Venetum priora comitatur longè potens, & magnitudine, & virtute à Ludovico gestum, non utilitatis solùm, honoris, ac tributi causa, sed juris Monarchiæ S. Coronæ in Dalmatiâ. Occasionem præbuit Venetorum insolentia, qui licet pro regno Dalmatico equum album, annui vectigalis loco, publico nomine Ludovico dare vellent, tamen Ludovicus, jus non tributum quærens, inito cum Leopoldo Austriæ Duce, & Carrariis in Italiâ fœdere, innumerabilibus copiis in Adriaticum tractum, ac Venetam ditionem ductis, magnam ejus partem cum oppidis, ac castellis occupavit, Taurisco obsidione cincto, Jadrâ, & totâ ferè Dalmatiâ recuperatâ.

*Ejus bellũ Litvanicũ anno 1355.* Bellum Litvanicum, aut Sarmaticum non per Legatos, sed per se ipsum gestum, quod gens, effera non modo finitimos Christianos, verum etiam Russiæ regnum, quod antiquo jure, sub nomine Halliciæ, & Lodomeriæ ad Hungaros pertinebat, assiduis incursionibus infestaret. Quare universam Litvanorum Provinciam occupavit, Duce capto, & ad fidelitatis obsequia redacto, pacavit, ac per Hungaros Præfectos Georgium Zudar, Emericum Bebek, Joannem de Zapolya, gubernavit.

*Bellum Romanum an. 1357.* Romanum bellum, quo plerosque Italiæ Principes, non solum ad imperium & obedientiam coëgit, & revocavit, verùm etiam rejectis Tyrannis Italiam perturbantibus pacem constituit. Administravit hoc bellum per Hungaros Legatos, & equitum Magistros.

*Venetum secundum an. 1358.* Venetum secundum, quod Ludovicus cum confœderatis suis, tantâ fœlicitate variis prælijs ac pugnis Marte favente confectis, gessit & perfecit, ut audaciam Venetorum ad hanc necessitatem redegisset, quò tandem coërcitâ ambitione, pro suis, & imprimis pro manibus patriæ suæ dimicare cogerentur, qui priùs occupandis alienis rebus, animum intenderant; Et quod summa belli & pacis fuit, Venetis non solum Dalmatiam eripuit, sed etiam ad solutionem annui tributi coëgit.

*Bulgaricũ an. 1358.* Bulgaricum, quo rebellantem Bulgariam cum Duce capto, & in carcerem conjecto domuit, ac rursus in potestatem suam redegit.

*VVallachicum.* Transalpinum, ubi cladis paternæ, ac propriæ nuper acceptæ, jacturam Ludovicus per Nicolaum Garam Palatinum ita resarsit, ut Valachi severas perfidiæ plusquàm Barbaricæ pœnas darent, impositisque Severino oppido, & Terchio præsidiis, faciliùs imperio suo fide incorruptâ parerent.

Hæc est idæa quædam tot bellorum Ludovici, quæ tanta magnanimitate, ac fœlicitate gessit, ut propter ipsius victorias, omnis Europa præcipuam claritudinis inclytissimæ gloriam & gratiam Coronæ consecraret, atque condecoraret, variis monumentis, atque trophæis. Victoriæ verò quibus contra quosvis hostes usus est, divinæ præsentiæ, curæque de S. Coronâ, deque Monarchiæ ipsius imperio argumentum præbent. Deinde septuagesimo primo anno, supra millesimum tercentesimum Hungarici imperii vigesimo nono, Ludovicus deficiente in Casimiro affine suo masculinâ Regum prole, consensu procerum, ad Regnum Poloniæ evocatur, quod tenuit annis duodecim, primus ipse externi sanguinis in Polonia Rex, Litvanos à se pacem rogare coëgit. *an. 1371.* Is quod propensiore erat animo in Hungaros quàm Polonos, Hungaris adjungere Russiam constituit, Polonis, à quibus subacta fuerat ademptam. Obtinebat eam Dux Russiæ, appellatus Uladislaus, Dux Opuliensis, jure hæreditario à Ludovico donatam. Ejus loco Uladislao dedit Dobrinensem ditionem atque Ru[illegible] autem Præfecturas ab eo recepit, & Hungaris attribuit. Quod valde Polonis displicuit. Non diu tamen Hungari Russiæ possessione gavisi. Post mortem namque Ludovici Hungari, Præfecturas Russiæ tenentes, Cremniciam Olesensem, Grodlum, Lopatinum, & Striatinum Arces cum territoriis suis, Lubecto Lucensium Duci, acceptâ ab eo magnâ auri, & argenti vi tradidere, qui deinde ab Elizabethâ Ludovici uxore infamiâ notati, bonisque mulctati, & partim capitali, partim carceris pœnâ castigati fuerunt. Ubi autem Russiæ, quæ in ditione Polonorum Regum

gum tum erat, ita Podoliæ quoq; Hungaros Rex Ludovicus præfecit. Theodorus Dux Podoliæ ac Dominus de Munkatium hodie jure ſpectat ad duos Comites Eſterhazi *Munkatio* fuit, cujus Literas eo titulo in Archivis Regni Poloniæ extare Cromerius ſcribit. Tandem Ludovicus in Hungariâ exiſtens, mater in Poloniâ defuncta, cum à Polonis conſtituendæ Reipublicæ gratiâ ſollicitaretur, quod auram Polonicam ſe ferre poſſe recuſaret, Polonis Budam Comitia indicit, ubi in frequenti eorum conventu, licet extra Regnum ſuum difficulter pedem extuliſſent, Triumviri conſtituti, qui in abſentiâ Regis Regnum adminiſtrarent, quorum unus Uladislaus Opulenſis Dux paulò ſuprà nominatus fuit: Quod non longè ante mortem contigit, cui poſtea viciniores Polonis Comitia Zolium indicit, ubi ſucceſſorem filiam ſuam in Regno Poloniæ deſignat. Talibus quæſitis nominibus, atque compoſitis rebus, (poſtquam omnia quæ ad præſentem S. Coronæ dignitatem, ac fœlicitatem pertinent fortiſſimè peregit) nuntium mortalitati miſit, magno civium dolore, & deſiderio, quem triennali luctu deplorarunt, quod is ſolus eſſet, qui perpetua in Hungaricis pectoribus monumenta promereretur. *Pulcherrima iſta omnium facinorum Coronis, optare cunctos ut vivere potuiſſet: & per magni hominis eſt ſic ſe adhibere in ſummâ poteſtate, ut nulla alia poteſtas, ab iis quibus præſit, deſideretur.* Suſcepit ex matrimonio duas filias Mariam & Hedvigdem; quarum utraque in regali ſede patri uno, & eodem anno, ſucceſſêre, illa in Hungariâ, hæc in Poloniâ. Tantum decus poſteritas Ludovico mortuo in exultatione liberorum ejus, & quidem eorum, qui per ſexum Regni incapaces videri poterant, rependit.

*An. 1378.*

*Ludovicus mortuus Tyrnaviæ quò conventum Hungaris edixerat. Triennio deploratur.*

Fuit Hedvigis apud matrem in Hungariâ educata, quæ ubi proficiſceretur in Poloniam, Caſſoviæ ſubſtitit, ad quam primores Poloni egreſſi, pacta cum Reginâ & æternum fœdus cum Hungaris inierunt. Nimirum ut Hedvigis in Poloniam veniens, de ſententiâ conſilii matrimonium iniret; quod ſi ea deinde nullis relictis liberis decederet, ut Maria ſoror, cum ſuâ poſteritate ipſi in Regno Poloniæ ſuccederet, itidemque idem jus eſſet Hedvigi, ſecundum Mariæ mortem in Hungariâ.

Regalem Hedvigis ubi jam tenuit dignitatem, Iagello Litvaniæ Princeps matrimonium ejus affectavit, cui ſpes quidem data, ſed quod Barbarus eſſet, ſub nullo Deorum cultu, baptizari debuit, ex ſacroque fonte Uladislai nomen levavit, & quarto poſt die unctus, Diadema Regium novum (Poloni enim quòd legitimâ & antiquâ Regni ſui Coronâ, per Eliſabetham matrem Ludovici aſportatâ, in Hungariâ hoſpitaretur, novam conflaverant) ſuſcepit, jam Hedvigis maritus. Hic Litvaniam cum Samagitiâ, & eâ parte Ruſſiæ, quæ in ditione ejus, & conſanguineorum ſuorum erat, Poloniæ jure ſempiterno adjunxit, & in unum corpus redegit: quin & Valachiam ſeu Moldaviam imperio ſuo adjecit. Nam poſt mortem Ludovici, Valachia ſeu Moldavia defecit, ab Hungaris. Igitur Uladislaus-Jagello veniens ex Litvaniâ in Poloniam, Petrum Moldaviæ Palatinum cum Proceribus ipſius ſolenni jurejurando in fidem & clientelam accepit. Firmavit deinceps fœdus (cujus diplomata in archivis Polonicis extant Cromero teſte) cum Mircio Transalpinæ Valachiæ Palatino Regis Hungarorum fœderato, quo inter cœteras conditiones, cautum fuit, ne (ſiquidem Hungari, & Poloni æterna fœdera ſibi dixerant) alteruter altero inſcio Hungarorum Regi bellum inferre auderet.

MARIA itaque conſilio publico habito, movit animos Hungarorum procerum, ut ſibi imperii axioma jure electionis ob maxima Ludovici patris merita deferrent. Dubium, fuitne iſta Mariæ electio ad dignitatem S. Coronæ, quæ alias, nec priorum Regnm memoriâ, nec poſteriorum temporum recordatione caput muliebre unquam attigerat, quandoquidem conſueto more, dextri (ſicut ſuo loco dicetur) brachii, S. Coronæ tactu, Reginæ hoc nomine ſalutantur; Maria verò more virorum in capite coronata fuerat. Auſpicia Regni Mariæ fuerunt primò fœlicia, quamdiu omnia ex conſilio & ſententiâ Senatus, ac procerum mutuo conſenſu res adminiſtraret: Verùm poſtquam Senatu ſpreto, proceribusque quorum favore, ac memoriâ meritorum Ludovici ad Regni faſtigium pervenerat, aut contemptis, aut odio habitis, res penè omnis ad arbitrium unius authoritatem Nicolai Garæ Palatini redacta eſt, primò ſimultates inter principes enatæ, mox æmulationes, ac odia arcana, ad manifeſtam tandem defectionem eruperunt, & Reginas in extrema pericula, carcerem, ac tandem Mariam in jacturam vitæ præcipitarunt. *Ad deceptionem enim & dejectionem Principis, non eſt compendioſior via, quàm ſi is ex alieno, & imprimis ex unius duntaxat conſilio & virtute pendeat.* Breve igitur Hungaros tædium & ſatietas fœminei imperii cœpit (quod *honeſtiùs maribus Principibus, quàm fœminis quantumvis egregiis* [illegible]) & [illegible]es ad tumultus civiles ſpectaret, nec quicquam Regina, ex ſexus imbecillitate & conſilii inopia alienationi animorum medelæ adferret, enata eſt perfidia, & initium ſumpſit à remotioribus Croatiæ, ac Dalmatiæ partibus Italiæ vicinis & præcipuè ab Epiſcopo Zagrabienſi, Italâ gente nato, & favore Ludovici ad hanc dignitatem poſito, Stephano Simonthorniay, Joanne Croatiæ Bano, & Joanne Crucigero Equite, Auranæque Antiſtite, qui omnes plurimis aliis (*ut eſt fœcunda ſeditionum materia*) in ſuam partem attractis, de Carolo in (*a*) Hungariam ad Regnum evocando concludunt, reque ſilentio obductâ decernunt Epiſcopum Za-

*Maria Rex Hungariæ an. 1382. In capite præter conſuetudinem coronatur. Adminiſtratio Regni ex conſilio pluriũ ſalutaru.*

*Conſilia cõtra Mariã à Priore Aurana, & aliis primatibus inita.*

*a) Carolus parvus ad Regnum Hungariæ evocatur.*

*An.1385. Carolus Rex Neapolitanus, fit Rex Hungariæ an.1384.*

Zagrabiensem ablegandum in Italiam. Quam ille factionis Princeps legationem, sub specie singularis devotionis, votique exolvendi causâ Romam se proficisci simulando, promptè suscepit, simul ex arbitrio Procerum peregit. Carolus cognomento Parvus, etsi in Italia multis victoriis clarus, Rex Majestate sui Regni Neapolitani, si æquo æstimationis libramento rem pensasset, sorte imperii avitici, atq; gloriâ partâ contentus esse potuisset, tamen dominandi libidine accensus, ac speciosis Legatorum (ne dicam adulatione quadam coloratâ) argumentis & rationibus deceptus, in Hungariam, uxore, & amicis in Italiâ dissuadentibus, iniquis auspiciis venit, & primo sub prætextu conciliandi discordes animos Hungarorum, visendique Mariam Reginam, & componendi simultates ortas inter Reginam & Proceres, Budam ingreditur. Verùm animum ambitiosâ modestiâ, & velamento tectum tandem prodidit, quando Comitiis Regalibus indictis sub gubernationis nomine, ac titulo sedem Regiam occupavit, & Reginam Mariam jure regni potiori Procerum consensu gaudentem, in Regem Hungariæ proclamatam, & coronatam, ob testimonium imbecillitatis sexus fœminei apud Hungaros, traductam, regno se abdicare, & ad privatam redire fortunam coëgit, maximo cum vilipendio meritorum meritissimi de Regno Hungariæ Ludovici, ob quorum respectum præcipuum, inauguratio Mariæ secuta fuerat, & ignominiâ, ac dedecore Mariæ, quæ licet fœmina, parem tamen cum Regibus Hungariæ Coronationis prærogativâ obtinebat dignitatem. Itaque Procerum conjuratorum ferè authoritate, ac persuasu Rex eligitur & promulgatur. Corona in cujus tum arbitrio & potestate posita fuerat, incertum est apud Scriptores: verisimile est tamen, illam in Vissegrad, in potestate Mariæ Regis & matris Elizabethæ extitisse, quam haud dubiè, partim minis, ac terriculamentis communis consensus, partim artibus, & favore amicorum extorsisset, atque capiti suo, per Strigoniensem Antistitem imponi mandavit. Ut enim Carolus neglectâ pietate, & charitate in sororem suam, quam & natura, & jus sanguinis postulabat, & Ludovici Regis maximæ virtutes, ac meritorum ratio exigebat, (facinus adeò incredibile, & prodigiosum) eam regno spoliare ausus est; Sic pro minimò duxit hanc sacræ Coronæ dignitatem, Deorum & hominum favore apprehendere; quod non nisi fato suo misero deinceps expiavit. Ac occultavit tùm S. Corona suam vim, quando alio prodigio divinitùs ostensum est inauspicato coronatum fuisse Carolum.

*Mariam Reginam jure Regio privat.*

*Corona tunc temporis in cujus potestate fuerit.*

*Prodigium in coronatione Caroli ominosum.*

Etenim cum ex more antiquo Regum Hungariæ, præferebatur ipsi D. Stephani vexillum cum cœteris expansis Regnorum insignibus, præcedente que Procerum & Antistitum choro, absolutâ Coronatione, è templo prodiret, id cum arduum & sublime jactaretur, ad postes templi sensim allisum in varias partes laceratum concidit, verâ talis prodigii interpretatione, quòd Deus, jus S. Coronæ malo dolo occupatum, gravatè ferret, & sequentem facti prodigiosi calamitatem, velut pœnam sceleris irrogaret. *Imperia ergò summa nonnisi piè ac religiosè occupentur, quicunq; boni sunt, & sapienter rebus attendunt Principibus, ad sucipienda publica regna invitis numinibus non festinent, ne scilicet cum vitæ periculo, gloriæ jacturâ, ac dedecore illa relinquere cogantur, quæ cum injuria alterius acquisiverunt.*

*Legitima Regni possessio gubernantiũ securitas est.*

Carolus profectò præproperæ festinationis ad Regnum, & læsæ Majestatis S. Coronæ pœnas persolvit, cujus nempe leges, ambitu, pravâ calliditate, simulatione patrocinii, injuria sanguinis contra Mariam violasse creditur. Nec enim multò post Coronationem Reginarum, (quod dolore, & angore, qui etiam in virili pectore ex tali casu facilè, oriri poterat, dedecus ablatæ potestatis, æquis animis non ferrent) consilio, cum Nicolào Gara communicato, arte ad amicum colloquium vocatus, lethali vulnere affectus, ac [illegible] dum abducto, atque plagæ pharmaco indito, Vissegradi (unde fortè Coronam rapuerat) de[illegible]re animi magis, quàm corporis confectus moritur, & corpus illius sine pompâ conditum, & c[illegible]ssum nescio quomodo regalis miseriæ spectaculum fuit: *quandoquidem in novo Principe invi[illegible] regni præter jus occupati, facit omnia illi infida, & infesta, etiam inter ipsos ejus domesticos. Itaq; tutissima est Regum securitas, legitima adepti Principatus ratio.* Si enim aliquando Alexander Macedo post magnos triumphos, & longa bellorum studia, in Euphrate animi gratiâ navigans, & casu quodã in medio flumine Diadema amittens, hominẽ qui illud adnatans exceperat, & referens, (quia aliter non potuit) capiti imposuerat, quod indignè eo caput suũ (licet nullâ regnandi ambitione, ipsâ necessitate) redemivisset, capite privavit; quid existimandũ an Regum ille maximus, qui sibi soli jus, exaltandorũ Principum reliquit, impunè superbos regalis eminentiæ invasores tolerabit, ut non tandem casu gravissimo nec nõ meritissimo inde protrudantur, & terræ allis[illegible]mittant. *Nam cujuscunq; rei exitus, ab antegressis pendet causis, quas nos quidem molestiæ vitandæ causâ, quæ indè existit, libenter obliviscimur, vindicta verò suis pugillaribus inscriptas custodit, ut quemadmodum quisque sementem fecerit, ita & suo tempore metat.*

*Coronam temerè capiti impositam Alexander Macedo morte vindicat.*

Post crudele fatum Caroli, fiduciâ melioris fortunæ resumptâ, Reginæ quasi in tuto positæ, victoria de omnibus hostibus sibi certò destinatâ triumphare se putabant, dum insperato cœco fortunæ vindicantis abreptæ turbine, ac miserabili casu involutæ,

lutæ, à perduellibus Croatis, quorum Princeps fuit Johannes Croatiæ Banus, in itinere triſtem captivitatem ſubire debuerunt, Gara Palatinus, & Blaſius Forgacz comites earum interfecti. Nec priùs hæc fortunę atrocitas deſœvit, quam matrem (*a*) planè ſubmerſiſſet in flumine, Bozota, dicto ſuffocatam: Filia verò melioribus fatis reſervata, cum tanto rerum triumpho denuò ad imperium reſtituta, ac priſtino decori reddita, (*b*) non ſolum civiles diſſenſiones ſedando, discordiam ad ſalutarem quetis, ac tranquillitatis finem redegit, ſed & Majeſtate Regiâ, & authoritate ſuâ in Sigismundum (*c*) translatâ futuræ Regni fœlicitati optimè conſuluit; tandem (*d*) dum non diu amanter cum marito vixiſſet, ſine liberis è vivis exceſſit.

*Regina perfactioſos in carcerem detrudi. n-tur.*
*(a) Mater in fluvio ſubmergi-tur.*
*b) Filia regno reſti-tuta.*
*(c) Nubit Sigismun-do Imp.*
*(d) Mori-tur ſine prole.*

Hæc eſt quarta Monarchiæ S. Coronæ Centuria, cujus virtutem ac fœlicitatem, ſi absque capite ipſius turbato, id eſt principio rerum dubietatis, quò diſputabat variis artibus, & caſibus fortuna, ad quam nimirum gentem inter tres Bavaricam, Bohemicam, & Italicam Gallicamvè dignitas Coronæ ſe accommodaret ſpectes, duorum Regum Caroli, & Ludovici, veluti luminum, & colluminum Coronæ imperium conſiderando, verè illa imago quædam primæ Centuriæ propria cenſeri debet.

Habuit hæc Centuria Reges ſex Vencesilaum, Otthonem (quos alii interreges nominant;) Carolum Ludovicum, Mariam, Carolum parvum, celeri profectò in hac ipsâ familiâ curſu, ac imperii decurſu, ut veriſſimum ſit, quod teſtimoniis Hiſtoriarum comprobatur, *ultra quintum gradum, decus imperii, in nullâ familiâ manſiſſe.* Hic verò in tertio deſiſtit, in Mariâ nempè, quæ ut finem imponit huic Centuriæ; Ita mirabili DEI judicio ſummæ, ac florentiſsimæ Monarchiæ S. Coronæ in familiâ Neapolitanâ decore extincto, reliquiarum genenris D. Stephani imperium conſumavit.

*Maſculinũ genus D. Stephã. in Mariâ extinctum.*

# CENTURIA QVINTA.

ORdimur *Quintam Centuriam* Sigismundo Imperatore, quod nimirum primus in ordine reliquiis generis D. Stephani conſumptis, atque Italiæ, aut Neapolitanæ familiæ gubernatione ſublatâ, Monarchiam S. Coronæ regendam ſuſcipit. Hunc adhuc Ludovicus ſuperſtes, ex auguſto genere Imperatoris Caroli Quarti prognatum, ejusque fratrem, quod virili hærede careret, ob præclaram indolem adoptaverat, ac generum delegerat, non niſi conſenſu Principum Hungariæ. Elizabetha verò Ludovici relicta, Mariæ filiæ ſuæ contra Matrimonialia obligamina Ludovici Mariti ſui, alium præter Sigismundum optavit maritum, nimirum Ludovicum Valeſium Galliæ Regis fratrem, jamque ultròque miſſos fuiſſe legatos, illinc ut Ludovici nomine prorsùs tranſigeretur, hinc ut ſponſum in Hungariam adducerent. Quo intellecto, Sigismundus incitantibus cum Hungariæ Proceribus, Elizabetham, & Mariam in arce quadam animi gratiâ commorantes, obſedit, eaque ratione coëgit Elizabetham, ut Mariam ſibi, in uxorem daret. Gallus cum ſplendido Comitatu, jam uſque in Campaniam progreſſus: ubi in Hungariâ res mutatas intellexiſſet, non ſine animi dolore ad fratrem rediit. Poſthæc Maria Comitiis habitis, publico Procerum, ac populi arbitrio ſacrum diadema, ſceptrum, ac totum Jus Regni Sigismundo reſignavit. Id quod etſi factum in priori Centuriâ, poſtremis ipſius annis, tamen Imperium Sigismundi & authoritas ipſius, non niſi priſtinæ diſcordiæ civilis, ac læſæ Majeſtatis, authoribus, a[illegible]erduellibus partim ſublatis, partim in ordinem redactis ſtabilita, in hac Centuriâ verùm [illegible]ræ Coronæ aſſecuta eſt.

*Sigismundus gener Ludovici.*

*Regni inſignia à Maria Regina reſignata accipit anno 1386.*

Novum igitur genus [illegible]ovam familiam Regum Monarchia S. Coronæ ſortita eſt, tàm facilè, & abſque omni bello, quod interdum talem controverſiam dirimere ſolet, ut prius præclaros ſucceſſus habuiſſe, quam initiis cœpiſſe expertum ſit. Etenim ſi quis ex circumſtantiis inſignem hanc translationem S. Coronæ, ac imperii Hungarici in familiam poſteritatemque Sigismundi, contempletur, ac conſideret, quomodo abſque diſſenſione, & difficultate civili abſque ſanguine ſucceſſerit, meritò vim fatalem, ac Dei providentiam occulto gradientem itinere, & transferentem Regna de gente in gentem, de genere in genus, & abdita difficiliaque producentem admirabitur, in mutatione hujus centuriæ, & illud agnoſcet, quod plerumque occaſiones mutationum publicarum, quantumvis leves, videantur eſſe, ſubitæ tamen iſtæ, & repentinæ, tandem temp[illegible] inducunt.

Quod igitur fœlix fauſtumque Monarchiæ ſacræ Coronæ fuit, author novæ familiæ Sigismundus, excepto, ex manibus Mariæ Diademate, ac in capite repoſito gubernationem Hungariæ ſuſcepit; mox multis impeditam difficultatibus, periculis ſummis obnoxiam, ac bello novo contra Europæ hoſtes, infœlicem ſed ad laudem invictæ magnitudinis proficuam, pacis, ac religionis gloriâ, cum in Hungariâ, tùm certè in Imperio Romano utilem, ac com-

*Sigismundus Imperator, fit Rex Hungariæ anno 1387.*

mendatam, adeò ut dubius sim majoranè decora & ornamenta S. Corona, acquisiverit, in regimine ipsius, an verò damna, & clades, ab hostibus acceperit.

*An. 1388. Valachos rebelles, ad obsequiũ reducit. an. 1389.*

Pace primùm domi constitutâ, parricidâque Joanne Croatiæ Bano, sociisque triginta duobus, inter quos Stephanus Icorat de Hedervarâ fuit, supplicio affectis (qui enim atrocia in alios commiserunt, tandem & ipsi à Deo, aliis in eos suscitatis, puniuntur) primi Valachi, cum Duce suo Stephano, nuntio obsequii misso, quod mulieris imperium turpe sibi duxerunt, ab Hungariâ defecerant, quos Sigismundus faustâ expeditione aggressus, Duce victo, ac profligato, post ad gratiam magnâ animi demissione prostrato, in fide & obsequio confirmavit.

*Halicia & Lodomeria ab Hungaria avelluntur.*

Circa hæc tempora Russia, (sub qua Halliciæ, & Lodomeriæ regna) per Hedvigen Poloniæ Reginam, ab Hungariâ alienata est, ejectis Hungaris & Croatis, arcium per Ludovicum institutis, Præfectis. A quo tempore Reges Hungariæ, inani titulo Halliciæ, & Lodomeriæ gaudent.

*Transalpini infideles à Sigismundo victi.*

Nec multò post Transalpinos rebelles, Duce Alexandro adjunctis Turcis, quibus in societatem belli admissis, primum ab illâ plagâ religionis, libertatisque Christianæ emersit exitium, non solùm fortiter acie vicit Sigismundus, sed etiam captâ Nicopoli (cui maximè Valachi confidebant) impositis Hungarorum præsidiis, universam provinciam pacavit.

*Noxium societatis Turcica exemplum ediderunt.*

(a) Hæc erant fasta victoriarum Sigismundi primordia, quibus tùm primùm Hungari virtutis suæ famam contra Turcas illustrarunt. Jam enim divinâ ita permittente potentiâ emersérat ab inferis destinatus S. Coronæ hostis, ac sacramento æternæ malitiæ, an militiæ profano obligatus, ad persequendum, & perdendum decus, & dignitatem ipsius, tanto affectu, & effectu, ut à condito mundo in nullâ unquam Monarchiâ, tanta rabies, tamque effera impietas, atq; furor planè infernalis extiterit: cum quo ad hoc usq; tempus S. Corona acerrimum non solùm pro Regni salute, ac incolumitate, sed etiam pro gloriâ, & decore divino bellum gerit.

*(a) Hungari primò contra Turcas militant.*

*(b) Græcorum discordia Turcam, in Europam invitat.*

(b) Huic inprimis in Europam ac tandem Hungariam adventui Turcis præbuit improvidam occasionem Græcia illa infœlix. Nam cum illa duabus omninò factionibus discors laboraret, duobus ex Augustali Imperatoriâ familiâ de Imperio decertantibus (Cantacuzenus enim Calo-Joannem generum suum persequebatur) eorum viribus impotens, ad Amurathem primum Turcarum Imperatorem confugit, societatis belli præmiis oblatis, qui etiam & duodecim millia electorum equitum Turcicorum in Græciam misit; quibus Græcia in tranquillum statum redacta quidem est, sed Turcæ pulchritudine Græciæ visâ, demum redeuntes facilè persuaserunt Amurathi, ut illuc ire cogitaret, quemadmodum & stipatus sexaginta hominum millibus conditionem accepit, solùm in occasionem dilatandi imperii sui intentus, totq; annorum bellis, ac instauratis factionibus inter Græcos, satagens rerum suarum, utraq; parte victâ, ac Græciâ per partes primo, mox toto imperio occupatâ, fines imperii ac victoriarum trophæa, ad ipsos Monarchiæ S. Coronæ terminos protulit. Trajectis enim Hellespontiacis angustiis, Callipolim, in Chersoneso, & aliquot vicina Hellesponti oppida, dehinc Philippopolim, & quæ supra Hebrum est Adrianopolim cœperunt, ac per Thraciam, quæ alias Romania est, excursiones usque ad montem Rhodopen fecerunt, circa illud tempus, quo Carolus IV. bello contra filios, defuncti Ludovici Bavari, & Fridericum Marchionem Misniæ, occuparetur, porrecto quasi hosti domesticis discordiis, victoriæ palmario, quod bella Christianorum, pax Turcarum essé consveverunt.

*Discordia Christianorum Turcæ imperium dilatat.*

*Bulgaria, & Servia infestatur à Turcis.*

*Marcus Crajovitius trucidatur an. 1373.*

*c) Bosnia, Croatia, Sclavonia populatur.*

*Superbum barbari responsum ad Legationem Sigismundi.*

*Qui copias in Europa Provinciis cogit.*

Paulatim jam Turcæ Mœsiam superiorem inferioremq; quas Serviam Bulgariam Serviamq; aut Rasciam appellant, atq; alia insuper Regni membra carp[illegible]re & lacerare cœperunt Duce Bajazethe, qui Amurathi successerat, finiũ imperii sui promove[illegible]orum cupidissimo. Is in pugnâ Marcum Crojovitium cognominatum, injurias vindicaturum [illegible]m omni Bulgarorum, ac Servianorum Nobilitate trucidavit; Deinde Græciam Athenas us[illegible] & Regnum Bosnæ, cũ Croatiâ (c) & Sclavoniâ populationibus infestarunt. Ad eum cum legati à Sigismundo venissent injuriam quærentes, quod à nullo Hungarorum lacessitus in alienis grassaretur, Bulgaros infestans Hungaris subjectos (sed quod jus apud Barbaros) Bajazethes responso paulisper dilato, dũ magnam partem Provinciæ occupasset, suspensis variis armorum generibus fulgentibus, atq; ad cõspectum eorum legatis admissis, dùm inquit ista quæ cernitis à nobis geri possunt, jus quoq; habemus, non ad Bulgariam modo, sed ad Croatiam, Dalmatiam, & ipsam Hungariam. Commotus his Sigismundus, maximum in Hungariâ fortium virorum habet delectum auctis copiis, ex Angliâ, & Lucẽburgâ, tùm præmiis, tũ precibus. Adhæc multi volu[illegible]riâ arma sumpserunt. Galliæ Rex Carolus ejus nominis VI. insignem equitatũ auxilio mi[illegible]rat, ductore Joh. Principe Burgũdiæ, qui unà cũ suis Burgundis omnia contra impios hostes, pro Christianis experiri paratus venit. Obsederat imprimis Sigismundus Nicopolim Urbẽ in ripâ Istri positam, victoriis Trajani & Hadriani celebrem, bonâ spe conceptâ, brevi se dominum urbis futurum, dum Bajazetes Imperator veritus ne Europâ ejiceretur, ex omni suâ, & vicinorum Principum, ditione coactis circiter ducentis millibus, in agro Nicapolitano his occurrit. Præmiserat Bajazethes more

suo

suo velitum octo millia, secuturus cum reliquo exercitu. Galli cum Turcicos milites irruere viderent, summâ festinatione miserant jam exploratores, qui dum visis solis velitibus modicam esse turbam arbitrarentur: Galli repentè magnis animis ad pugnam properant. Jam illis in procinctu Sigismundus Rex nuntiavit, ne quid præcipitanter agerent, dum ille per alios exploratores certiùs rem agnosceret. Consilium hoc ab Hungaris profectum, utpotè qui cognoverant morem hostilem in prælijs, visum utile & omninò sequendum. Sed Connestablius Galliæ, partim vanâ animi superbiâ, & fastu, quod prior ipse rogatus de sententiâ, non esset, benè sapienterque à Rege Hungariæ dictum, interpretari superbè, ac malignè cœpit, putans omninò statutum habere Hungaros, ut Gallis, in acie depositis, omnem victoria laudem Hungaris adferat, partim ex privatâ æmulatione, ac invidiâ erga Principem, qui sub ipsius auspiciis, nuper parvâ manu fusis hostilibus copiis, prædâ insigni auctus, victoriam retulerat; se nimirùm Galliæ Regis vices in exercitu gerere, suamq; authoritatem in rebus gerendis, & primam esse debere, & summam: contemptâ Regis Hungariæ sententiâ, ab aliis plerisque probatâ, non expectato sociorum auxilio, in hostem progressus est. Quo facto, reliquos etiam, quantumvis invitos, pudore ac desertionis infamiâ coactos, se cum traxit: Ita Galli paucissimi, inter tot millia Turcarum, in summis angustiis strenuè primò supra modum se gessêre, sed oppressi multitudine, exitum calamitosum sortiti sunt, partim cœsi, partim Proceres ferè omnes, ob armorum ornatum, atq; splendorem capti, barbaris magnum, ab eis emolumentum expectantibus. Inter quos, fuit quoque Joannes Burgundiæ Ducis Philippi filius. Rex Hungariæ ut videt Gallos, non expectatâ occasione, temerè pugnare, multum detestatus fastum, levitatem, & æmulationem Gallorum, quibus victoriam eo die hosti peperissent, passim omnibus fugientibus, fugit & ipse parvâ naviculâ, cujus ministerio Byzantium ad Græcorum Regem delatus, incidit tandem in Classem Venetam, atque ita ex Italiâ in Regnum sese recepit miro Dei artificio, *qui unctos suos per se regnare facit, & citra voluntatem suam, ex fastigio, in quo beneficio ipsius colloeati sunt, præcipitatos non vult.* Periclitabatur hoc fugæ casu cum Sigismundo inter alios Striborius, genere Polonus, qui cum extrema vestigia prementibus Turcis erepto spatio navem ingredi non potuisset, ita ut erat armatus in Danubium se projecit & enatavit, clarusque postea Sigismundo Regi fuit, luculentis ab eo auctis opibus, & bonis, multarumque Arcium possessione, ad fluvium Vagum, & ultra Album montem: Cujus insignia hodiè etiam in Arce *Holich* opere antiquo sculpta extant. Ita Sigismundo fugâ Constantinopolim delato, Uladus Transalpinæ Palatinus, quod enecatum putaret, in fidem & clientelam Uladislai Regis Hedvigisque Reginæ Polonorum, ultrò concessit. Cœterùm eo prælio capti ex primoribus, Joannes Dux Burgundiæ, Philippus Artheſius Comes Eusii, Magister equitum Galliæ, Joannes Maingre dictus, Buckaldus, & alii quidam circiter octo, qui Bursiam ablegati fuere. Princeps Burgundiæ cum viginti quinque Nobilibus captivis, ducentis aureorum millibus redemptus rediens, multa à Bajazethe Turcarum Imperatore, ad patrem, & Regem Galliarum dicta nuntiatavè retulit, quibus Gallos resumptis viribus, ad arma sibi denuo inferenda sub magnanimitatis specie, formidoloso tamen consilio hortatur, cui obstringere eos, ut hoc non liceret jure belli integrum fuisset. Annotans Gallicarum rerum scriptores Joannis liberationem, hoc modo evenisse. Physiognomus quidam in Aula Bajazethis fuit, ex eo hominum genere, qui ex habitu, & dispositione corporis, de hominis ingenio, moribusque judicare solent. Is contemplatus captivum, svasor fuit Bajazethi, ut Joannem incolumem dimitteret; fore enim ut domum reversus, maximas turbas cieret, quibus bona Europæ pars peritura esset. Bajazethes perditissimis Christianorum studiosissimus, hominem accepto lytro dimittit. Verùm ille in Galliam reversus, ferales cum Ludovico, Aureliano Duce, exercere cœpit simultates, ob regni Gallici administrationem, quam hic & ille, per desperatam Regis valetudinem gerere volebat; hic quod frater Regis esset, ille quod patruelis & ætate grandior. Atque sic crescentibus in dies odiis Joannis in Ludovicum exarsis, quem Lutetiæ à cœnâ domum redeuntem interfici curavit, eoque facto præter id quod semina discordiarum inter Burgundicam domum, & Reges Galliæ sparsit, non ita Europæ (quemadmodum Physiognomus prædixerat) quàm capiti suo ruinam accersivit, dùm per fidem circumventus, in loco pacificationi destinato, à familiaribus Ludovici, anno à morte ejus duodecimo interfectus est.

*Connestablius Galliæ præcipitantiâ victoriam perdit.*

*Proceres plurimi capiuntur.*

*Sigismundus fugit parvâ naviculâ.*

*Captorũ præcipuorũ nomina.*

*Princeps Burgundiæ, & Nobiles 25. lytro liberantur.*

*An. 1407.*

Post pugnam Nicopolitanam porrò Bajazethes Constantinopolim obsedit, eamque cœpisset, nisi Tamerlanes Anatoliam invasisset, cui occurrere cum valido exercitu necesse habuit. Ergò cum Tamerlane ad Stellam montem, Pompeji magni victoriâ, & Mithridatis calamitate celebrem, prælio commisso Bajazethes captus fuit, & ad Tamerlanem deductus, humaniùs habebatur; exacerbato tandem victoris animo, ferreæ caveæ inclusus, per devictam Asiam in Triumphi pompâ circumductus (pervastaverat enim Tartaricus hic Tyrannus Asiam à Tanai usque ad Ægyptum & ad Parthos) Tamerlani, quoties equum conscenderet, scabelli

*Bajazethes Constantinopolim obsidere tentat.*

*Capitur à Tamerlanis exercitu, ad Stellã montẽ.*

*Captivus crudeliter tractatur. Expirat miserâ morte.*

vicem præbuit, ac vinctus, micas sub mensâ Tamerlanis rodere cum canibus debuit; Conjunx verò filia Lazari Despotæ seminuda potum ministrabat. Miseriis tandem & ignominiâ ad extrema consilia adactus, caput ferreæ caveæ illisit, & inglorius expiravit.

Pro hoc Tamerlanis officio quo Constantinopolim à Bajazethe obsessam vindicavit Græcorum Imperator imperium Græciæ Tamerlani offerebat. Cui ipse impar esse hoc tantis laboribus respondit, pretiosius lucrum se aucupari, honorem, nimirùm gloriam & famam; voluisse in potestate Græcorum adserere Constantinopolim, Urbem antiquam, magnificam, & amplissimam, ut nomen suum æternâ laude, apud posteritatem viveret, se non adeò vilis projectæque animæ, ut voluerit amico periclitanti opem ferre, studio postea imperii illius occupandi. Magna certè in barbaro, animi moderatio, quàm etiam in humanioribus ingeniis admirari oporteret, siquidem arma tenenti insolens potentia, & jus belli nihil moderabile suadere potuisset. Ipse tandem Tamerlanes anno abhinc sequenti, relictis duobus filiis moritur, qui dum de successione bello intestino confligunt, facillimè hæreditaria regna amittunt. Terror Turcarum Tamerlanes fuit, eo tamen mortuo, revixit ille Turcarum pavor in Georgio (*a*) Castrioto sequenti mox anno nato, qui magnas Turcis facessere solebat molestias.

*An. 1402. magnus Tamerlanes moritur cujus deniq; Filii bellis intestinis regna amittunt.*

(*b*) Post casum Bajazethis, Mahometes regnum arripuit, mox in Asiam profectus, loca omnia quæ Tamerlanes occuparat, recipit, ac sedem imperialem, quæ Prusæ erat, Adrianopolim (*c*) transtulit. Sigismundum Imperatorem ad Columbatium devicit, ac primus suæ gentis Danubium trajiciens Bosnam (*d*) sive Mœsiam superiorem cœpit. Casus hosce & Turcicos in christianis provinciis progressus, prædixit Cometa ingens, luridâ, & funebri, oblongâque caudâ, qui diebus aliquot accensus, ab hominibus ominosè conspiciebatur. Nam (ut Cic. lib. 2. de Nativit. Deorum loquitur) ab ultimâ antiquitatis memoriâ notatum est, *Cometas semper calamitatum prænuntios fuisse.*

(*a*) *Georgius Castrio tus terror Turcarum natus.*

(*b*) *Mahometes Bajazethi succedit.*

(*c*) *Adrianopolia sedem imperii constituit.*

(*d*) *Bosnã capit.*

Infœlicis belli Hungarici, causam alieno ex crimine ortam, casumque miserandum, Hungari quidam in perfidiam & seditionem verterunt, ac imprimis Nicolaus Marczalthey Palatinus. Ideo Rege Sigismundo (*e*) in potestatem redacto, eum carceri in arce Soklos obscuro, & octoginta passus profundo inclusum, semestri captivitate constringunt. Quàm periculosæ plena res est aleæ committere prælium. Ibi enim Dux præter bonum publicum authoritatem suam, existimationem, & salutem fortunæ ludibrio exponit. Ita sanè fit, ut victoriam quisque, etiam ex gregariis sibi, vel saltem ejus partem adscribere non vereatur, audiuntur exprobrationes, ut olim Pompejus miseriâ nostrâ magnus: Si verò infœliciter res cedat, nemo infamiam propriam ducet, omnes dedecus belli Duci attribuunt, quâ ratione authoritatem, & existimationem illius suprà modum versis, sæpè in rebellionem animis extenuant. Capto Sigismundo, Proceres Hungari ineunt fœdus cum Polonis, quo cautum est, ne alteri, contra alios, Regibus suis opitulentur; Nam & Sigismundo quem fortè liberatum iri præviderent, asperiùs aliquid in animo contra Polonos insederat.

(*e*) *Sigismundus Rex carceri Soklosiensi includitur.*

Is enim spe Polonici Regni excidit, tùm quod ejici Polonos, cum cibum sumpturus erat, patiebatur, tùm quod sacerdotium quoddam in Poloniâ, repudiatâ Procerum voluntate Boëmo contulerat. Cœterùm Stiborius, partibus, capti Sigismundi, multùm commodavit, propterea quod armis Polonorum, & Boëmorum superiores Hungariæ partes, Poloniæ & Moraviæ finitimas in fide ejus continuit, adversariorum plurimas munitiones cœpit, & proceres quosdam captivos in vinculis habuit; in quam rem ab Uladislao Rege decem millia marcarum polonicarum accepit mutuas, pro hisque novam Marchiam quæ ad Sigismundum pertinebat oppignoravit. Cujus rei monumentum in Archivis Polon[illegible]s extare Cromerus scribit. Tali fortunâ uso Sigismundo, Hungari Ladislaum de Duracio, C[illegible]roli parvi pridem in Hungariâ cœsi filium, ad regnum invitant. Sed ille nimis cautus, & sag[illegible] quod & sæpiùs interitus patris acerbissimus ob oculos versaretur, tam diu tergiversabatur, donec Sigismundus, divinâ ope, suorumque fide adjutus, non solùm captivâ sorte liberatus, sed cum triumpho, & magno Hungarorum fidelium gaudio in Hungariam receptus est, digno conjuratorum metu, ne pœnas defectionis luerent. Sed varia fuit Sigismundi captivitatis causa, recens in animis plerorumque memoria severitatis, qua in castigatione Johannis Bani & aliorum triginta duorum perduellium usus est: De illis enim supplicium sumpserat, quæ res sinistrarum de ingenio Regis cogitationum, occasionem præbuit, & metus futurorum, expulso amore in rebellionem erupit. *Videant itaque Principes, ne summâ potentiâ, ad summum rigorem, & severitatem abutantur.* Sit enim, ut ob Magistratus severiorem animadve[illegible] obsequio sese opponant, principes verò pœnas non evitent. Nam crudelitas certissimum signum futuri casus, qui etsi differtur, & serus ad pœnam proper[illegible] Deus, tamen sæpè in articulo mortis debitum exolvunt, ut exemplum est in Ludovico XI. Galliarum Rege, qui in suos crudelior (duos enim principes, ducem Nemorensem, & Connestabilem capite mulctaverat) antè mortem in stuporem, & extasin rapiebatur, amissa vi intelligendi, & facultate loquendi, plenus suspicionibus,

*Ladislaus de Duracio ad regnum vocatur. Sigismundus liberatus.*

bus, & timore, ut quem multi serviliter metuebant, à multis sibi cavebat, & illa incommoda pertulit, ac cruciatus, quibus alios affecit. *Ideo debent benefactorum præmia ad multos, vindictæ malefactorum ad paucos pervenire:* ut ipse Sigismundus deinceps severitatem in supplicio dictorum Nobilium adhibitam, salutari laude clementiæ, commutavit, mitiora imposterùm de se promittens. Nam si benè de eo cogitamus, qui alienis exemplis suos excessus corrigit, *optimè profectò sperandum est, de eo, qui in susceptâ ad frugem viâ, & emendandis vitiis, se ipso utitur ductore ac Magistro* Hoc verò modo discessit Sigismnndus à priore modo, quod contumaciam hanc, civium pœna saltem bonorum coërcuit, quæ & ipsa gratiam Regalem adeptis, vel se à crimine læsæ Majestatis purgantibus, restitui pleno cum jure permisit, pro donatis competente compensatione ordinatâ. In nullius corpus sœvitum, aut caput; Hamum videlicet istum cruentum Rex suspensum tenebat, ut illo vastum piscem, cuncta in Regno vastantem facilius caperet. Est enim ut præclarè inquit Antonius Gvevarra. *Ignoscere multis propter unum Christiani, sed plures castigare ob delictum unius Tyranni.* Is erat Transylvanus præfectus Stephanus Ladislai filius, non prioribus agminibus, quàm ipse Rex stipatus, ideoque satis à vi aperta tutus. Ad hunc inescandum, & intra parietes excluso satellitio attrahendum, ars fuit adhibita, quâ succedente, caput illi amputatum; & ad tumultum sedandum corpus in plateam projectum, ne frustra satellites pro mortuo contenderent; *Iustissimè omninò proprio privatur capite, qui multa vult esse in Republicâ capita, nam uno diademate duo capita tegere, & imperium pluribus partiri, grave est & perturbatione plenum.*

*Stephano Transylvaniæ Præfecto caput amputari facit anno 1404.*

His tantis rebus & aliis exercitus Sigismundus, novam ad Monarchiam *S.* Coronæ, sociatamque cum Cæsaris insignibus dignitatem, primus ipse adjunxit fatis fœlicibus auspiciis, & illo Dei potentissimi consilio, ut Hungari tantò justiùs, & securiùs, apud Imperii Romani Principes, contrà perpetuos nominis Christiani hostes, qui eadem ipsâ tempestate exorti, Hungariæ imperium, illiusque appendices, affligere cœperant, haberent auxilium. Etenim si socii adjungantur, (*a*) qui non mediocri valeant potentiâ, & in proximo habitent, fidemque societatis servent, tutiùs divinâ adjuvante gratiâ imperium contineri potest.

*Sigismundus Augustalem dignitatem cum titulo Regis Hungar. conjunxit an. 1410.*

Eo anno Uladislaus Polonorum Rex ad Prussicum bellum, quod eidem ibi cum Crucigeris intercessit, proficiscitur: Ideo equestris ordinis Poloni & Nobiles, qui in aulâ & ministerio Sigismundi erant, beneficentiâ ejusdem non contemnendas facultates & possessiones ob merita sua in Hungariâ consecuti, cognito eo quòd Sigismundus Crucigerorum causæ faveret, quâ via in violationem fœderis Polonici iri posset, relictis possessionibus, & Sigismundi ingentibus pollicitationibus repudiatis, Uladislaum secuti sunt.

*Fœdera & societates gentium utiles.*

Ipse *S*igismundus acri surgente Crucigerorum cum Polonis bello, ne quid deinceps, in partium offensionem admittere cogeretur, *S*tiborium ad Crucigeros de pace legatum mittit. De qua cum mitia, & tranquilla verba fecisset, ita eum Magister increpuit, Polonus, inquiens, cum sis *S*tibori, quæ in rem Polonorum sunt loqueris. Unius cum eo sententiæ fuit commendator Mevensis, Comes, Vendensis, annis & usu rerum prudentior, qui pacem suadens, communem cum Martem, dubiumque belli eventum dictitabat. In quem etiam Vernerus Elbingensis commendator gravius invectus: poteras inquit, cum isthoc animo domi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere. At ille: Ego inquit quæ recta, & utilia judico in medium consulo, sed tamen si his aliter videbitur, ita me Deo propitio geram, ut genere meo dignum est. Tu vide ne sis dictis ferocior, quàm factis fortior. Ita repudiatis pacis consiliis, Uladislaus animo invito cunctabundus, adhibito teste Deo mansuetudinis suæ, quam cum furore erga Christian[illegible] commutare nollet, & vel iniqua pace justum bellum redimere cuperet, castra promove[illegible] super hæc omnia duos à Crucigeris, quibus tota ferè Germania viros ministrabat, missos [illegible]udibrium cunctationis gladios, accepit, fœlicis omine victoriæ, quam sibi armorum traditio portenderet, tumque commisso summa vi prælio, hostem castris exuit, fudit, profligavitque. Cœsa feruntur Crucigerorum eâ die quinquaginta millia, in quibus Magister, & commendatores omnes, paucis exceptis. Capta ad quatordecim millia populi, vexilla quinquaginta unum, quæ & hodie in Basilica Cracoviensi extant suspensa. Ita qui oblatam pacem insolenter rejiciunt, violatâ placidi numinis sanctimoniâ, rarissimè furorem triumpho explere permittuntur. Itaque tutissimè semper fuit, ex pacis consiliis mitescere, quàm maximâ cum spe dimicare.

*Stiborius Vayvoda Transylvanus vastat Poloniam.*

Fervente in Polonia bello, *S*tiborius Transylvanus Vayvoda missus à *S*igismundo Cæsare cum Bohe[illegible] (Hungari enim fœdera cum Polonis prætendebant) ad vastandam submontanam Poloniam, sed copiæ *S*tiborii, Polonis ad primum nuntium concurrentibus, præda graves ad Oppidum Bartpham deprehensæ, profligatæque sunt. Et vastavit ea manus deinceps finitimam Polonis Hungariam, tandem pax inter Reges confecta.

*Hernoia socius Turcarum bellum suscitat.*

In dignitate Imperatoriâ cum plurima gereret *S*igismundus, absentiâ ejus Hernoja *S*palethi Dux fretus, Bossenorum, aut Rascianorum communi studio adjutus, in societatem Turca-

rum desciverat, bellumque in suis finibus perfidiæ nomine suscitaverat. Restitêre triumviri Hungari, Johannes Gara, Johannes Maroth, & Paulus Chupor, copiisque coactis contra hostem Turcarum auxiliis validum confluxêre, sed iratâ victoriâ, pari utrinque clade, & quod dolendum est Triumvirûm captivitate, quam Joannes Marothus & Gara fœliciter evaserant, Chupor atroci morte extinctus periit. Hæc clades Bosnensis, ex societate Turcarum profecta prima est, quæ Bosniam sibi tali beneficio obnoxiam tandem in potestatem ac miseram servitutem Turcæ redegit, cujus causam facilè cognoscimus. *Postquam enim auratum limen tenet Erynnis, non solùm in populis & Ducibus nulla est fides, sed etiam sub velamento præstitæ fidei, perfidiæ suæ patrocinium quærunt & decipiunt.*

*Veneti jus mercatorium ad Dalmatiã prætendũt. an. 1412.*

Ita Sigismundus Imperator pacato Imperio, Monarchia S. Coronæ domi quieta, sed foris ab hoste petita, præsertim Turcis, & deinde Venetis inquietatur, qui insigni mendacio Dalmatiam à Ladislao Rege Apuliæ, contra Sigismuudum, usque ad Jaderam evocato, sed nullum jus Regni Hungariæ habente, sibi divenditam jactabant, atque astu mercatorio magnam ipsius partem occupabant; quin & Uladislaum Poloniæ Regem ad bellum Sigismundo inferendum missis Legatis sollicitabant, quingentorum hastatorum stipendia promittentes, si armis eum aggrederetur. Quod tamen optimus princeps pro singulari suâ in fœdere servando constantiâ, non solùm recusavit, sed & renovavit vetera cum Sigismundo fœdera, colloquio Lublovillæ inito. Posthæc Budam Sigismundo petente Uladislaus profectus, honorificè ab eo exceptus, ac Coronâ, sceptro, & pomo aureis, Boleslai Chrobi gladio & insigniis Regni, quæ Elizabetha Ladislai Regis Poloniæ filia Ludovici mater in Hungariam asportaverat, donatus fuit, quæ Cracoviam ingrediens publicè sibi præferri jussit. Quo facto præclaram Sigismundus transmisit liberalitatis ad posteros gloriam, quod nimirum talia Regiæ dignitatis symbola, quæ multorum affectatorum desideria accendunt, ultrò absque ulla Martis violentiâ restituerit. Postmodum reversus in Poloniam Rex, in Russiam abibat, quò cum Legati Sigismundi venissent octuaginta millia sexagenarum Pragensium ab eo mutuò acceperunt, oppignorato ipsi Scepusiensi tractu, cum tredecim oppidis, arce tamen Sceputiâ exceptâ.

*Sigismundus Regni Poloniæ insignia Vladislao Budæ restituit an. 1413.*

*Tredecim oppida oppignorata.*

Deinde Constantiense Concilium coëgit Sigismundus, cui Concilio Uladislaus missis Legatis judicium causæ suæ, cum Crucigeris commisit. Pollicebatur autem Sigismundus, non defuturum se, ubi causæ Regiæ contra Crucigeros; eique vicissim rerum Hungaricarum curam commendavit. Ac fecit quidem Uladislaus amici officium. Nam cum Turcæ Hungariam infestarent, Bosnamque à Sigismundo priùs recuperatam, ipsi iterùm eriperent, fusis profligatisque Hungaris, Uladislaus missa ad Turcas gravi, & minaci Legatione, sex annorum inducias inter eas gentes, captivis Hungaris Proceribus liberatis, confecit. Prospere postea rem contra Turcas gessit, aliquoties Nicolaus, Petri Macedonis filius, absente Sigismundo, eâ ætate clarus, & bellicarum artium Magister, qui singulari certamine illum, quem Turcarum Imperator Regio nomine Bosnæ præfecerat, devicit, exercitum ipsius insigni victoriâ profligavit, multisque aliis cladibus Turcas affecit.

*An. 1418.*

Anno abhinc quarto Sigismundus à Uladislao arbiter inter se, & Crucigeros constituitur, colloquio ad civitatem Cassoviensem dicto, de contumeliis, damnis, & injuriis, quas ab illis acceperat. Quod Crucigerorum Legati recusabant. Quare Cæsar irritatus, arma se cum Uladislao contra eos conjuncturum jurejurando interposito pollicebatur. Quâ de causâ remittere ei Uladislaus pecuniam, quam mutuam dederat, Scepusiumque mox reddere cogitabat, nisi proceres Poloni idem impedivissent. Lactatus inde inanibus Cæsaris promissis fuit Uladislaus, nec Prussicam expeditionem intermisit.

*Amurathes II. Serviam occupat. Georgium Despotam socerum suum expellit. Filium ejus oculis privat. Moritur Sigismundus anno 1437.*

Turcæ nihilominus deinceps etiam partim armis, partim au[illegible]ii prætextu, patrocinii ac societatis venditatione provincias sacræ Coronæ rapiebant. Amurathes enim II. ut vindictam de Constantinopolitano, ob necem parentis sumeret, Thraciam & Græciam igni ferroque depopulatus est: Deinde in Serviam, & Rasciam irruptione factâ, coëgit Georgium Vucovichium Despotam regionis, ut ipsi filiam Irenen in matrimonium traderet: Verum non curatâ affinitate, mox hostiliter rediit. Quare Georgius ad Albertum Sigismundi successorem deinceps confugit in Hungariam, Georgio filio terras paternas defendente, quem Amurathes captum ære ignito oculis privavit. Tandem Sigismundus ætate gravis, ac multis senectutis incommodis obnoxius de genere humano meritissimus, rebus humanis excessit, diuturnitate regiminis nulli Regum Hungariæ comparandum. [illegible]gnavit enim annos quinquaginta unum, etsi conjungatur sponsæ Mariæ gubernatio quinquaginta quinque, rarissimo Regum exemplo & notabili. Non est verò præter utilitatem Reipublicæ, diutius ab uno gubernatore regi. *Crebræ enim gubernatorum mutationes exitiosæ, quod non Reges, novos plerumq; mores, & sæpiùs deteriores important*, unde illud: *Novus Rex, nova lex. Fiunt autem Magistratuum vices ab irato Deo, qui propter delicta populi, mutat Principes, & propter virum prudentem,*

*tem, & intelligentem durabile est imperium.* Fuit autem Sigismundus præcipuè literarum, & literatorum amantissimus, quos generis tantum vetustatem jactantibus longè prætulit. Interrogatus à Principibus, qui literas oderant, cur homines obscuro genere natos tanti faceret, respondit, se jure illos colere, qui cœteris singulari munere divino antecellerent. *Prov. 28.*

Illos enim à Deo solo posse creari, verùm in suâ potestate esse, ut titulis claros quosvis & quandocunque placeret, faciat. Elegans est, quod narratur de ipso, quomodo cùm in Comitiis Basiliensibus Georgius Fiscellinus excellentissimus jurisconsultus, non ita pridem in ordinem equestrem adoptatus, & Nobilitatis titulo, ob excellentes doctrinæ dotes ornatus, locum inter Nobiles, non autem inter doctos occupasset, eum in hæc verba corripuerit. *Stultè agis*, inquiens, *quod literis militiam præfers. Nam ego mille equites uno die creârim: Doctorem verò unum, mille annis non effecerim.* De gubernatione solitus est etiam dicere: Mirùm esse cum omnes alieni sint ab exercitio artium ignotarum, solam imperandi provinciam neminem recusare, quæ sit omnium difficillima. Compererat enim multis casibus jactatus, nullam esse molem rerum gerendarum ita arduam, & periculosam, atque gubernationis & imperii. Non tantùm autem doctos coluit, sed & ipse mediocriter eruditus fuit, ingenii excellentissimi, sapiens fortis, & magni animi heroicique, in bellis licet minùs propitiâ fortunâ versaretur. At verò honestiùs est, ad posterorum memoriam dici optimum Principem, quàm felicem. Illud enim est virtutis, hoc fortunæ. Ut bello infœlix, ita & conjugio, prima enim Maria Ludovici Ungarici filia conjunx fuit, quam primo à nuptiis anno amisit: altera Barbara Hermanni Comitis Ciliæ filia, profligatissimæ pudicitiæ mulier, ex qua Elizabetham suscepit, Alberto Austriaco desponsatam.

*Ejus sapienter dictũ.* *De gubernatione graviter.* *Conjugio infœlix.*

*Successit* ALBERTUS Archidux Austriæ, quem Sigismundus datâ in uxorem filiâ Elizabethâ, ex dictâ Barbarâ Ciliæ comitis filiâ, adoptaverat, & Hungaris in Regem commendârat, à quibus & receptus est, quandoquidem jam antea Dux belli contra Turcas in Hungariâ factus, magnum animi vigorem ostenderat, spemque insignis virtutis promiserat. Ex hac electione Alberti S. Coronæ Hungaricæ lumen in Austriacam domum illatum. Uno verò, & eodem anno Albertus bis in Regem, & tertiò in Imperatorem electus, (*b*) ac coronatus est. Sed non imperavit toto bennio, ita repentè occidit, qui brevi ad summum potentiæ creverat.

*Albertus austriacus Rex Hungariæ anno 1438.* *Regium nomen in Hungariâ ad familiam Austriacam transfert.* (*a*) *Fit Rex Hung. Cal. Ian. Rex Bohe. 6. Maji Imper. 20. Martii.*

(*c*) Dum Alberto dignitas Imperialis, à septemviris Romani Imperii offerretur, fortunæ huic impedimentum objicere nolebant Hungari. Ante inaugurationem enim in Regem Hungariæ teste Austriaco Historico Gerardo de Roo (quæ historia prodiit ex bibliothecâ Serenissimi quondam Archiducis Ferdinandi) Albertus Imperiale axioma se non affectaturum, nec si ultrò offerretur absque Hungarorum consensu acceptaturum sanctè promiserat. Verebantur namque Hungari, ne absente ipso, & imperii negotiis distento, Hungariæ Regnum Turcarum injuriis, & rapinis expositum, relinqueretur, id quod Sigismundi tempore experti erant. Sed obstaculum Fridericus, Alberti patruelis, Styriæ Princeps, Hungarisque vicinus facilè amovit, ut etiam reliquis Principibus cognatis ad imperium aditus pateret.

(*c*) *Imperialem dignitatem ex consensu Hungarorum suscipit.*

Fuit Alberto Rege custos Diadematis sacri Georgius de Paloch, quo defuncto Albertus Rex ocyssimè Strigonium se contulit. (*d*) Ipsa verò Regina thesaurum recognoscendo S. Diadema surripuit & cuidam ex pedessequis occultandum commisit. O sortem sacræ Coronæ mirandam. Quis enim non commisereatur, & doleat astu fœmineo Regni sacrum insigne auferri, rapi, ac indignæ ancillæ sinu occultari? si factum hoc prodigii cujusdam loco considero, interpretari, & ariolari haud possem, nisi ab eventu horum temporum statum Regni Hungariæ compararem. (*e*) Quid similiùs ad fortunam Hungariæ, cujus decorem cum adjunctis sociorum Regnis, omnibus virtutum ornamentis admirabilem, crudelitas Asiatici prædonis rapuit? fraus ejusdem sub specie amicæ necessitudinis corrupit, cujus vigorem ambitio, instabilis quæ planè res est, quia incipit semper à fine, prava & inscia veræ majestatis, labefactavit discordia contemptis legibus concordiæ civilis, ac amore patriæ extincto confudit? Quibus omnibus novitas hæc factæ mulieris fraudis novationi rerum, quæ non caret perturbatione, & omnibus calamitatibus, *adjecit quasi pondus gravissimum, & complementum omnium malorum* significavit.

(*d*) *Elizabetha Alberti conjunx furtiũ Coronæ committit.* (*e*) *Omen infaustum ablatæ Coronæ.*

Nam etsi gubernatio Alberti futuræ fœlicitatis maximam spem animis hominum injecisset, tamen fatali calamitate Bosniæ notabilis fuit in Hungariâ, & brevitate imperii improspera. Jam enim è publicis discordiæ malis ac intestinis seditionibus Turcarum creverat potentia, ut in Hungariæ fines ac[illegible]etur, quando Amurathes morte Sigismundi auditâ, Serviam Rasciamque Georgii Despoti regiones, qui sub tutelâ sacræ Coronæ vivebat, latè populando, & oppida diripiendo, Senderoviam quarto lapide ab Albâ Græcâ dissitam, arcem nimirùm fortissimam obsederat. Reliquerat in illa Georgius pater Stephanum filium, dùm interea ipse ad ditiones in Hungariam à Sigismundo pro Albâ Græcâ donatas profectus, & ab Hungaris opem implorans, aberat, qua filium à metu, arcem à periculo liberare posset. Non deerant

*Senderovia ab Amurathe obsidetur.*

1788
1408

erant Hungari, nec ipse Albertus Cæsar: Nam ut in bellis audax, ita etiam promptus erat, & quantâ potest celeritate, nec expectatis majoribus copiis, castra inter Tibiscum & Danubium munit, eo undique auxilia properare mandat. Turca terrorem apud suos dissimulans, & validiùs Urbem oppugnat, ac magnâ vi expugnat, victoriâque partâ, insignia crudelitatis, ac impietatis exempla edidit, simulque firmatis præsidio locis audito Cæsaris adventu retrocessit. Albertus frustra hostem abeuntem desiderans, ortâ deinde in castris seditione, exercitum dimisit, non tàm eâ remotus, quàm quòd ex ventris profluvio multos miserè absumi videret. Quâ lue ipse quoque, & ex æstu nimio, & immoderato peponum esu, morbo immedicabili exorto, mortuus in pago ignobili Nesmil ad ripam Danubii, quinque ferè milliaribus infra Strigonium, multùm à Christiano orbe deploratus, ac desideratus, exangue ipsius corpus Viennam Austriæ devectum. Ita Deus sæpe occasionem rei benegerendæ domesticâ aliquâ clade, morbis, seditione temperat, quo magis dejiciantur Principum animi, & ab eo uno pendeant: Itemq; Magistratus discant non uni tantum rei, aut parti, sed omnibus maturè prospicere.

*Albertus Rex moritur anno 1439. die 27. Octob.*

Statim ab obitu Alberti Cæsaris non minore dolore, & ipsa Elizabetha Regina, fraude simili capta est, qua sacram Coronam rapuerat. Illa quippè Regni Proceres ad se vocat per Patris Sigismundi Albertique memoriam, & præclara ipsorum merita obtestatur, ne se viduam, ne conceptam ex illorum Rege prolem negligant, sed utriusque ratione habita, de creando Interrege idoneo consilium ineant. His auditis Proceres statim Comitia creando Regi indixêre, quæ ubi haberi cœpta, placuit Uladislaum Poloniæ Regem accessêre. Sine morâ expediuntur legati Johannes Sirmiensis Episcopus, Matthias Gereb Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Banus, Joannes Pereni major, & Ladislaus Palochius cum splendido Comitatu. (a) Interea autem in arce Comarom parit Regina filium, (b) & duæ mox apud Hungaros exoriuntur factiones, Germanica & Polonica, quæ utriusque incommodo, Regno etiam exitio fuêre. Factio Germanica ex Proceribus Ladislao Posthumo addictioribus, de coronâ illi imponendâ, antequam Polono Regni possessio traderetur, sollicita consilium init, constabatque non in aulâ solum, sed in aliis Regni partibus summatibus, apud quos Sigismundi & Alberti memoria effecit, ut nefas esse ducerent eorum hæredem avito Regno defraudari, propter quod ad Legatos (c) in Poloniam Veredarius cum literis missus fuit, ut siquidem Reginam peperisset, re infectâ in Hungariam redirent. Princeps partium Ladislai fuit Dionysius Zechius Strigoniensis Archiep. & Cardinalis. Fiunt ergo mox præparationes ad coronationem: Elizabetha subtractam coronam ex latibulis suis profert, ac ad solitum locum subdolè reponit. Inde eâ productâ, Zechius Cardinalis, Ladislaum (d) in matris gremio vagientem, necdum quadrimestrem in Regem Hungariæ initiavit, sacramque ei coronam imposuit. Juramentum à Rege præstari solitum Udalricus Comes Ciliæ nomine pueri dixit, moxq; alii protensis, ad coronati pueri caput manibus, fidem & obsequium juravêre. Vagitus pueri, ac gemitus matris, & tristes spectatorum affectus, ex eventu deinde ominosa erant.

*Vladislaus Polonus ex Comitiis ad Regnum accersitur per legatos.*

*(a) Nomina Legatorum.*

*(b) Elizabetha parit filium an. 1440. 8. K. Martii 21. Febr.*

*(c) Legati revocantur ex Polonia.*

*(d) Ladislaus Posthumus, quadrimestris coronatur Rex Hungariæ an. 1440.*

(e) Inventa est hoc Nativitatis Ladislai anno ars Typographica, sive novum per Typos scribendi genus, quod Joannes Gutenbergius, à se excogitatum velut magnum ac penè divinum totius orbis beneficium nostræ quoque ætati & utilitati commodavit. Vetustius multis annis hoc inventum quidam opinantur, sed usum ejus intermissum, quem hæc tempora ex seculorum neglectu, quasi postliminio reduxerint, magno Ecclesiæ, & politiæ beneficio, ut per quod medium, lux doctrinæ cœlestis longè latèque propagatur, ad posteritatem quasi per manus traditur, politica disciplina discitur, quæ cavenda vel sequenda in majoribus majorum velut in speculo proponens.

*(e) Ars Typographica inventa.*

At quàm magnus optimi illius inventi abusus: cum enim multos teneat scribendi Cacoëthes, non omnes ad ædificationem scripta sua evulgant, sunt qui ad morum corruptelam, ad detractionem, infamiam alterius, unde sæpè tantum cietur turbare, ut ab impressione Typographi (qui nullo delectu, quæstus gratiâ, quævis imprimunt) ad pressuras Rerumpublicarum perveniatur. Dubius itaque sum, si abusui usum tollere liceret, an non hæ Typographorum tabernæ denuò ad tempus claudendæ essent, vel saltem nimia scribentium, & exprimentium licentia, sub leges honestatis decoris, & utilitatis redigenda.

Peractâ coronatione Regina futuri temporis discrimina, animo quasi prædivinans, denuo ad astum conversa, insidias S. Coronæ struxit non irrito conatu. *Quæ enim mulier quantumvis Princeps se semel dominandi libidine polluit, ad on[illegible] [illegible] dominationis retinendæ gratiâ se se prosternit, & exercet.* Ad arcem ergò Vissegrad cum Principibus proficiscitur, eo prætextu, ut Corona Conservatorio reconderetur; Verùm ipsa (pessimæ matris pessima filia, mater enim pudicitiæ, filia fidei prostitutæ fuit, illa marito, hæc regno infidelis, loco Coronæ suppositiium quid in arcam, præstigii successu freta recondit, subductâ gemmâ, quàm unà cum filio, Friderico III. Imperatori tradidit. Facinus illud quomodo patratum

*Elizabetha novũ furtum Coronæ admittit. Eam & si-*

tum ſit, verbis Auſtriaci Hiſtorici, cujus paulò ante facta mentio, referam. Solebant inquit (a) Hungari Coronam ſuam pannis ſericeis involutam in capſulam reponere, eamque Procerum aliquot ſigillis conſignatam, multis ſeris includere. Regina igitur quæ hoc noverat, cuidam ex pediſſequis faſciculum quendam eo modo ex pannis convolutum, jam antea dederat, cui neſcio quid rei, quod & pondere, & tactu Coronam referebat indiderat. Huic puellæ (ex Frannavennorum gente eam fuiſſe perhibent) inſpectantibus Hungaris Corona cum pannis datur, quæ magna cum calliditate pro verâ adulterinam protulit, quæ capſulæ incluſa obſignata eſt. Hactenus Gerardus Roo qui ſe ex manuſcripto codice habere ſcribit. Eſt ſanè grande hoc facinus: nec hic Reginæ ſexus imbecillitas, aut filii, ne quis præter ipſum alius, regno inaugurari poſſit, amor patrocinatur, quandoquidem cum fraude hac ipſius conjuncta fuit diffidentia in cauſa imperii, ſui filii, quem non divina providentia, ſed humano arbitrio, eoque mutabili conſtitutum Regem exiſtimabat. Ancilla iſta propter obediendi heræ ſuæ ſtudium, fidelitatemque digna quidem commendatione eſt, laudabiliùs tamen feciſſet, ſi non per infame hoc facinus, obſequium, & fidem ſuam teſtatam reddidiſſet, nomenque nobilis, & olim in Auſtriâ celebris familiæ ad poſteritatem aliâ laude transmiſiſſet.

*lium Friderico Imperatori tradit.*

*(a) Aſtus Elizabethæ in auferenda Corona.*

Verùm quanto periculo perfuncta eſt Elizabetha, in aſportandâ ex Hungariâ Coronâ? erat hoc ſecretum apud noſtros majores, pauculaque quædam etiam apud plebem ferebantur, ipſo nimirum ſileutio damnabant mulieris audaciam. Accepi autem à viro noſtræ gentis, ac nobilitatis præcipuæ, qui bonâ fide narrabat, ſe à majoribus audiviſſe, Reginam Elizabetham patrato facinore, celerem inde moviſſe greſſum, ac anxiam, & timentem, ne ſcilicet rei illius notitia, quovis fato aut fortunâ ſe inſinuaret in mentes hominum, non recto itinere ac regio tramite, cum Coronâ fugiſſe, ſed variis hic inde circuitibus ac ambagibus itinerando uſam, perveniſſe tandem in Inſulam *Rabakeoz* in Comitatu Sopromenſi, ubi conſcientiæ metu, ac ſubitâ formidine perculsâ, deflexit in Caſtellum *Miháli* nuncupatum, propè arcem *Kapu*, nunc Comitis ubi ſpecie quietis, ac recipiendarum virium ex jactatione itineris moraretur; interim ad quemlibet rumuſculum ſuſpenſa, jamjam exiſtimabat veſtigiis inhærere Hungariæ Coronæ raptæ indagatores, ac vindices. Eâdem igitur fœmineâ aſtutiâ ex caſtello curavit exportari Coronam ad viciniſſimum portæ locum ſpeculatorium, ac in ſalicem miram concavitate, ac internâ vacuitate, foramine valdè exiguo relicto imponi, clancularioadhibito cuſtode, nobili de familiâ *Ládoni* caſtelli poſſeſſore, qui theſaurum oculis pernicibus tuebatur: ipſa verò Regina ex caſtello proſpiciens, inter ſpem, ac metum manibus complicatis eventum rei quemvis infauſtum deprecabatur. Latuit igitur Corona S. in fatali ſalice illâ aliquantiſper, dum Regina velut perfuncta ſummo periculo, ac jam exploratis per omnia vicinam uſque ad Auſtriam inſidiis ſublatâ inde Coronâ fines Auſtriæ ingreſſa fuiſſet.

*Elizabetha quomodo peregrinatur cum Corona.*

Igitur Corona unà cum infante in manibus Friderici Romanorum Imperatoris exiſtens, Uladislaus Legatorum perſeverantiâ victus, qui diſerta ſe mandata habere aſſeverabant, ut etiam ſi Regina marem peperiſſet, nihilominus Uladislao Regnum deferrent, rapto agmine citus in Hungariam venit (quibusdam ex Legatis eum comitantibus, cum cœteri prius in Hungariam revertiſſent, quos Regina redeuntes comprehenſos, cum omni comitatu ſuo in vincula conjecit) ſtudioque partium Budam ſtatim receptus, id ante alia egit, ut celerrimè Rex Hungariæ coronaretur. Data igitur fide publica Ladislao Gara ſub cujus tutela arx Viſſegrad cum ipſa corona fuerat, ut ſecurè Budam veniat, eum à ſe non priùs dimittit, quàm de arce concederet illis qui repetendæ in Albam regalem Coronæ, ſubmiſſi erant. Aſportant illi arcam ſignis optimatum Regni obſignatam, cœterùm corona vacuam. Qua re vehementiſsimè perculſi, turbatique omnes ordines præ ſtupore, ac admiratione ambigunt, quidnam facere deberent, perſuaſum omninò habentes Regem Hungariæ non niſi Coronâ illâ ſanctâ coronari poſſe. Deſumptam igitur ex ſimulachro D. Stephani Regis Coronam, quod in ſacello Albenſi poſitum erat, Regi Uladislao viro fortiſſimo imponunt. Poſtridiè ex univerſorum ſuffragiis conſtitutum, ut hæc eadem Corona S. Stephani, cum ſacris induviis, pro futuris Regibus initiandis diligenter reconderetur, ſi antiquam recuperare non liceret. Aſſerunt (a) nonnulli hujus quoque Regis coronationem *Dionyſium Zechi*, à quo Ladislaum Poſthumum coronatum diximus, peregiſſe: ſed coactè. Licet enim vocatus publicam fidem acceperat, non tam [illegible] eſt, priusquam Uladislaum Polonum coronaret. At qualis fuit hæc coronatio, ut pote nec genuinâ, nec uſitatâ, & nec auſpicatâ, ominoſaque, poſtquam ſtatus Hungariæ infœlix, afflictus odiis, diſſidiis, ſtudiis diverſorum Regum bellisque inteſtinis æſtuabat, atque omnia interregni incommoda patiebatur, eventus oſtendit, manifeſto violatæ abſentis Coronæ argumento. Nam quod in ipſam committitur, in omnium fertur injuriam damnumque. Non deſunt ex hiſtoriographis, qui affirmant Ladislao Gara conſervatore connivente Coronam ſurreptam fuiſſe, qua de cauſa publicis convitiis, & pro-

*Vladislaus Polonus in Hungariam venit. Coronam in Viſſegrad inveſtigat.*

*Coronatur non genuina Regni Coronâ.*

*Lex de aſſervandâ Coronâ S. Stephani.*

*(a) Dionyſius Zechi & Ladislaum Poſthumum & Polonum coronat.*

*Poloni coronatio nō ordinaria.*

*Ladislaus Gara conservator Coronæ capitur.*

& probris affectus, captusque perhibetur; liberatus tandem post triduum Regis deprecatione, quem fortunæ non fidei jacturam fecisse significavit: amotus tamen est Præfecturâ Vissegradi, surrogato in locum ejus Vincentio Sciamutuleo. (*a*) Oportet profectò conservatores Coronæ singulari prudentiâ, sagacitate, ac invicta magnanimitate, præditos esse, nè non solum quovis modo decipiantur, sed & tempore periculi, bellique omne virtutis animi, & corporis robur, in tutelâ thesauri tanti exerant, & depromant.

*(a) Conservatorum Coronæ officii magnitudo.*

*Elizabetha Uladislaum inescare contendit.*

Labante jam Procerum fide, & rebus desperatis, Regina Comitem Ciliæ in captivitatem conjicit, propositoque amplo, præmio, quendam ex suis fidis eò adduxit, ut Budam profectus Uladislaum veneno inescaret, qui spe amplioris remunerationis rem Uladislao aperit, liber tandem dimissus, sive quòd Rex non crederet, Reginam tanti facinoris autorem, sive ob spem futuræ reconciliationis, dissimularet: Verùm (*b*) Proceres parricidium detestati, quatuor equorum caudis alligatum distrahi curarunt.

*(b) Facinoris minister discerpitur anno 1441.*

*(c) Elizabetha Regina moritur.*

(*c*) Utut sit, absentia hæc Coronæ magno fuit Monarchiæ suæ dignitàti, ac fœlicitati præjudicio, Regina profectò morte immaturâ, contempta, ac deserta penè ab omnibus, justas facti sui pœnas luit, sed neque gaudere filii imperio ac concordiâ publicâ, quæ ferè inter ipsam & Regem confecta erat, potuit. Post cujus obitum Hungari, penè omnes, ad Polonicam societatem, Uladislaumque defecêre, quæ res magna ejus partibus momenta attulit.

*Iohannes Hunniades Corvinus.*

*Terror Turcarum*

Atque ita domi tandem pacis quadam similitudine factâ, Hungari non immemores suæ fortitudinis, totam belli molem in Turcas convertunt, nacti nimirum Uladislaum Regem fortem, & animosum. Produxerat etiam tunc fortuna Hungaris solito faventior Johannem *Hunniadem* Corvinum, Transylvaniæ Præfectum, qui rem bellicam contra Amurathem Turcarum Tyrannum, ne quicquam susceptas hostilitates seponentem, ex animi fortitudine, & fœlicitate administrabat, ut solus ferè ex Christianis, ferocissimæ genti terrorem incuteret, primusque ille Hungaros doceret, quomodo Turcæ acie frangi, superarique debeant, multaque Turcarum millia, paucis admodum copiis instructus funderet. Ejusdem operâ factum, ut bonam partem Mysiæ, Serviam, & Rasciam ab Amurathe interceptam Hungari recuperarent. Corvini auspiciis & victoriis Uladislaus insistens, majori stipatus exercitu in hostem profectus, qui reliquum Rasciæ infestabat, atque Transylvaniam Belgradumque (sive Albam Græcam quàm Georgius Vucovichius, eò quod clavis Hungariæ esset, pro aliis cum Imperatore Sigismundo permutârat) obsederat, & summâ vi oppugnârat, magnâ eum clade affecit. Corvinus præterea Mezitem Bassam, Ducem exercitus bellicosissimum cum filio interfecit, & Sciabadinum alterum Bassam trepidè fugere coëgit, ac tribus hostem insignibus prœliis, per id tempus vicit, qui & obsedione Belgradi turpiter discedere coactus erat, adeo ut Amurathes pacem ultrò à Uladislao imploraret: quam siquidem intestinis bellis paternum Poloniæ Regnum fluctuare nunciaretur, & Fridericum Cæsarem adversarium haberet, à cujus amicitiâ plerique Hungari non erant alieni, in decem annos cum Asiatico Tyranno confecit, Hungaris in Evangelium Christi, Turcis in suum Coranum jurantibus. Pacis conditiones Uladislaus victor tulit has. Ut Amurathes totâ cederet Serviâ, eductis præsidiis, ex iis arcibus, quas adhuc tenebat, redderet Georgio Despotæ liberas fortunas, abstineret imposterùm ab injuriis, non repeteret Moldaviam, nec amissam Bulgariæ partem, sed Bulgaria roganti Amurathi integra relicta fuit. Hujus facti sui pœnitentiâ ductus, instinctu Eugenii Papæ & Cardinalis Juliani, qui in frequenti Principum consilio disseruit, pacem nec recètè, nec ordine factam, atque adeò irritam esse debere, violatæ pacis prætextum esse posse, quod inconsultis aliis Principibus confœderatis, non licuerit Uladislao cum hoste omnium communi, pacem aut fœdus ullum facere, fidem utrisque datam Christianis, quàm Turcis servare, æquius esse cum illis, quàm cum his fœdus, antiquiùs, & sanctiùs intercedere, Uladislaus in Turcam centum millia habentem ducit, dissuadente Hunniade, & Principibus plerisque & Draculâ Valachiæ montanæ Regulo, eum dehortante, ne cum tam paucis, hostium cœdi se objecisset, qui etiam duos velocissimos equos, duosque juvenes viarum peritissimos ipsi miserat, quasi futuram cladem prædivinans, quò periculum vitæ evadere, urgente necessitate posset, cognitum habens, sæpe Turcam majores Christanis copias, secum venatum ducere. Habebat Uladislaus ad quindecim millia equitum ex Hungaris, & Polonis, peditatum ex cruce signatis, non ita magnum: quem exercitum, Dracula quatuor millibus suorum hominum, Duce filio, auxerat. His copiis fretus, rejecto prudentis viri consilio, ad Varnam [illegible] idum, quod Dionysiopolim dixêre veteres, aciem instruit ibi aleam prœlii experturus. Amurathes opposita castra in eodem communit campo, Europæo exercitu ad Januas (ita munimentum, quo Imperatores Turcici, in bellis uti solent, ex ferramentis circularibus, scutis camelis, & præsidio corporis constans vocant) collocato. *Hunniades* dispositis turmis, & ordinibus, parte exercitus Regi attributâ, in Asiæ Ducem proficiscitur, cujus exercitum, Hungarorum impetum sustinere non valentem, fundit, fugat, & persequitur. Europæus Exercitus, adhuc ad Januas

*Multa præclara facinora edidit.*

*Pacem decennalem cum Turca facit.*

*Quam ex consilio Juliani Cardinalis violat.*

*Contra Turcam cum duplicentia Principum ducit anno 1443.*

ñuas ſtabat Imperatoris; qui diſſipatas Aſiaticas copias videns, fugit & ipſe, ſed collectis animis in caſtra revertitur; Hunniades victor, & miles direptis Imperatoris theſauris ad Regem rediens, cum diligenter monet, ut eo loci cum ſuis militibus ſubſiſteret, nec eos contra hoſtem progredi pateretur, ut ſi conversâ fortunâ hoſtis potentiæ cedendum foret, Exercitum viribus adhuc integrum pro receptaculo haberet: Se Europæas copias, in quibus Imperator eſſet, dum fortuna benigna eſt, aggreſſurum. Cum ventum eſſet ad manus concurritur, nunc his, nunc illis terga vertentibus, cecidit in eo congreſſu Carazies ſupremus Europææ militiæ Dux. Pulcherrimo virtutis Hunniadianæ ſpectaculo, ad invidiam rapti animi belli ſvaſorum, qui cum Rege loco peculiari conſiſtebant, datisque Regi verbis, vano & noxio fiduciæ incitamento, ad movendum contra hoſtem authores fuerunt: Otio nimirum ſuo, immortalem Hunniadis gloriam quæri, qui decus victoriæ cum nullo, ac ne cum Rege ſuo partiri vellet, vergere hoc iu Regis ignominiam maximam, qui in palæſtrâ ipsâ exercendæ virtutis heroicæ occaſionem ultrò amitteret, ſe quoque viros eſſe, & de ſuis vulneribus ſequi ſanguinem, Januarios milites illicò fugituros. Quibus & ſimilibus perſvaſus Rex adoleſcens, citato agmine contendit ad Januas, ubi Amurathes foſſâ munitus, ſtabat paratus ad prælium. Strenuè ſe opponunt, quos ad cuſtodiam corporis Amurathes habuit. Ibi ſemipartâ jam victoriâ, & inclinante Turcarum acie ferunt Amurathem Chriſti numen appellaſſe, ut ſi filius Dei eſſet, pœnas à ſuis violati fœderis exigeret, ſcribit enim F. Philippus Bosquierus Franciſcanus in Veg. Chriſtiano lib. 3. quòd Chriſtiani, tunc Imperatori Turcarum, Chriſtum in hoſtiâ obſidem dederunt: quem læſa fide, Turcarum Imperator è ſinu ſuo protuliſſet, invocaſſet, ac ultorem non ſervati fœderis inveniſſet. Quod ſi ita eſt ân gravius pondus ad perjurii pœnam accedere potuit: Quid enim illud fuit aliud, quam legitimum Sacramenti abuſum, horrendo abuſu prophanare, & quia crimen violationis conventorum communi conſuetudine in obſides redundare ſolet, an non fuit Chriſtum (etiam ſecundùm illorum placitum, qui in hoſtiâ conſecratâ, extra uſûm verum Chriſtum eſſe profitentur) ſub jus barbaricum prodere, Deum pro populo ſuo ſpondentem, ludibrio hoſtium exponere? Ideò & poſt hoc factum, mutatam belli fortunam affirmant, quando in prætorianorum phalange, fortiter Uladislaus pugnans, collapſo primùm ex vulnere equo occubuit, utitur ſanè in puniendis ſuis & malorum operâ Deus, cujus vindictæ, hanc cladem omnes adſcribebant. Caput Regis haſtæ infixum per Græciam atque Aſiam in ſignum victoriæ oſtendebatur. Epitaphium ejus tale legitur.

*Chriſtiani fœdus quali obſide firmarunt.*

*Die 11. Novembris. S. Martini occubuit inter medios Janizaros Uladislaus ad Varnam an. 1444.*

*Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,*
*Diſcite mortales non temerare fidem.*
*Meniſi Pontifices juſſiſſent, rumpere fœdus,*
*Non ferret Scythicum, Pannonis ora jugum.* (a)

Hic, & Julianus Cardinalis, Varadienſis, atque Agrienſis Epiſcopi fugientes periiſſe narrantur, cœno in paludibus ſuffocati: Julianus nudus repertus in viâ, multis vulneribus ſaucius; Sunt qui à ſuis judicant fuiſſe trucidatum, ut inauſpicati prælii conſultorem peſſimum. *Videant itaque conſultores, ne Principibus contra æqui, & honeſti rationes ſuadeant: Nam talia molimina improſperè cedunt, & illi qui paret, & qui conſulit*, unde tritum illud: *Conſilium malum conſultori peſſimum*; Polonis duo tantùm ex eo prælio evaſêre, Jannes Paſſovius, & Gregorius Sanocius: Corvinus rebus deſperatis fugâ ſalutem invenit. Atque ſic in ipſo ætatis flore, & curſu rerum gerendarum, præſtantiſſimus heros Uladislaus, cum flore Nobilitatis fortiſſimè occubuit, virtutis digno encomio, ſed & divinæ auimadverſionis exemplo, quo religio Sacramenti, ac fœderis æſtimanda doceretur. De numero cœſorum non exactè conſtat; ſunt qui affirment ex Chriſtianorum exercitu vix 5000. cecidiſſe, cum Turcarum ſupra triginta millia periiſſent. Unde victor Amurathes interrogatus, cur nulla lætitiæ ſigna oſtenderet? Nollem, dixit, hoc modo ſæpiùs vincere. Accidit hæc clades funeſtiſſima anno quadrageſimo quarto, ſupra milleſimum quadringenteſimum, nimirum poſt intervallum quadraginta novem annorum ab infœlici Sigismundi Regis ad Nicopolim prælio, quod annum 1395. notabilem fecit. Conſidero hic (quod & Lector ipſe in notabilibus rerum converſionibus, & caſibus ſæpiùs aliàs in hiſtoriâ ex collatione rerum & ſupputatione temporum aſſequetur) malignitatem numeri ſeptenarii, ſeptenariâ multiplicatione efficientis 49. quem fata in ciendis rerum mutationibus, arcanâ quadam virtute ſibi reſervarunt, inſtanteque illius periodo, ſæpè vel ætate hominum terminus imponitur, vel in Regnis memorabiles caſus contingunt.

*(a) Ejus epitaphiũ.*
*(b) Autor ruptifœderis periit.*

*Religio Sacramenti ſit ſacroſancta.*

*Cœſorum ab utraque parte numerus.*

Fuit in aulâ victoris iſtius Amurathis, Georgius Caſtriota, Ibanis Tryballorum Principis filius, cum Ibanes ab Amurathe bello exhauſtus, pacem tributho redemis-

*Georgius Caſtriota Epiri, & Albaniæ Dux.*

demisset, in obsidem cum aliis Ibanis liberis omnibus datus, & jam ob præclara facta Epiri, & Albaniæ Dux. Is in pugnâ quâdam ad Hungaros defecit, scriptisque nomine Amurathis Literis, Crojam patriam suam recuperavit, ac postea annis viginti quatuor res Turcarum vehementer afflixit (erat enim egregiorum facinorum celebritate facile primus: Propter quod & Scanderbeg appellatus) ita ut ad solam ipsius mentionem paverent. Fuit rei militaris peritissimus incomparabili prudentiâ magis, quàm magnis viribus, tot consecutus trophæa. Nam cùm supra sedecim pugnatorum millia, nunquam secum traxerit, quadragies tamen & ampliùs cum Turcâ confligens, superior semper prœlio evasit, parvâ quidem, sed ordinatissimâ acie terribilis, non planè dissimili virtute quàm Alexander, qui triginta millibus, orbis imperium subegit. Postquam verò Amurathes ad extremam ætatem pervenisset, ex voto quod in victoriâ Varnensi voverat, in sodalitium Eremitarum legis suæ successit, tranquillitatis gratiâ, filio Mahomete ex Irene Georgii Despotæ filia suscepto, admodum juvene sibi surrogato, qui postquam à Joannis Hunniadis, & Hungarorum invasione, quam cogitabant, sibi metueret, nihilque in obseqvio exercitus authoritas sua valeret, effecit apud patrem ut administrationem Regni reassumeret, & cum Hungaris decertaret.

*Turcis multa damna inferre solitus.*

*Amurathes fit Eremita.*

*Mahometi filio sceptra tradit.*

*Redit Amurathes ad regnum metu Hungarorum.*

Tandem in vanum recuperatione Crojæ tentata, furore quodam & dolore inde (a) correptus, discessit è vitâ. Primum hunc ordinem peditum Janizarorum (b) instituisse scribunt nonnulli. Sed fuit, & pridem jam ejusmodi peditum ordo, mox ab Otthomano Turcici Imperii fundatore, qui ex gente propriâ delegebantur satellites, quos Regis januas sive portas nuncupavit, ætas posterior januæ milites, & prætorianos vocabat.

(a) Schanderbeg moritur anno 1451.

(b) Is primus Janizarorum ordinem instituit.

His pro galeâ erat peculiare capitis tegumentum, colore album, ex lanâ densiore, gladiis impenetrabile; à tergo latior caudâ demissâ, à fronte ornabatur aureo vel argenteo cono pro cristis. Sagittis hastisque, & parvis securibus rem gerebant, hodie sclopetis oblongis, habitu laxo, & prolixo. Fuerunt in eâ phalange ab initio non plus quàm 8000. quem numerum successores, visâ ordinis hujus firmitate adauxerunt. Hodiè verò ab hac fortassis Amurathis ætate, pueri Christiani, ex quibuscunque terris peregrinis, & Græciâ imprimis & minori Asiâ abducti, linguâ Turcicâ primum imbuuntur, tandem ad discendam artem nauticam adhibiti, per millia in Januas Imperatoris citantur, quorum tamen selectiores ad 500. Imperator in aulâ Constantinopoli alit & erudit. Nam Turcicas belli artes diligenter addiscunt, post distribuuntur inter milites; & paulo post fiunt Janizari, semperque tam in expeditionibus bellicis, quàm alias proximè ad Imperatorem (ob id custodes corporis dicti) iter faciunt. In bellis tentoria sua figunt, ut se mutuò contingant, quam proximè apud Imperatorem. Inter hos nemini figere tentorium licet, quàm filiis Regis. Ibi thesaurus & cubiculum Imperatoris. Hi sunt illi quos nunc Janizaros appellamus sine dubio à janua, & Czar, quod videlicet januas Cæsaris custodiant, velut alii interprætantur, sint novæ gentis milites. Morem hunc cooptandorum peculiarium militum, ab Alexandro magno mutuatos esse Turcas, nihil est absurdum. Is enim in Macedoniâ, veteranis patribus tyrones filios succedere jussit, qui non solùm tyrocinia, verùm & incunabula in ipsis castris ponebant. Igitur & alimenta pueris statuta, & instrumenta armorum equorumque juvenibus data, & patribus pro numero filiorum (quod nunc faciunt Turcæ) præmia statuta, defunctorum Patrum pupilli, stipendia trahebant. Itaque à parvulâ ætate periculis, laboribusque indurati, invictus exercitus fuere, Græco nomine *Epigoni* dicti, qui juxta vel super alios nati & educati milites.

*Hunniades Gubernator Hungariæ.*

Post Uladislaum cœsum, CORVINUS in Gubernatorem seu Proregem electus, omni ope adnititur, ut convulsum Reipublicæ statum restauraret, *qua re nihil populo lætius, aut Principi novo favorabiliùs, si nimirum veterem Reipublicæ formam restituat, & sua cuique Magistratui, munia relinquat*; cumque hinc à Turcâ, illinc ab Imperatore Friderico metueret, utrorumque conatibus obviam ire statuit. Itaque legionibus novo milite repletis, in Mysiam superiorem profectus, ad Savum amnem magnâ cum celeritate hostem aggreditur imparatum, quo fuso fugatoque, victor in Hungariam redit. Mox de communi consilio ad Fridericum Cæsarem Lega[illegible] vatum Ladislai electionis ordinem exponerent, Regem simul, & Coronam expeterent, utque Regnum absque Rege esse diutiùs non posse, & S. Coronam non alibi quàm in Regno asservari nefas esse discerent.

*Turcas ad Savum amnem vincit.*

*A Friderico Cæsare Rex & Corona expetitur.*

*Coronæ domicilium esse in patriâ.*

Respondit Cæsar, Regem puerum esse, ineptum nunc, nec regendo populo idoneum, in tutelaque manere agnati, & consanguinei, ac præterea Cæsaris. De Coronâ cum planè dissi-

dissimulasset, urgentibus Hungaris ultrò citròque respondit, æquùm esse, ut Corona apud Regem, cui semel imposita est, maneat. Hæc cum intellexissent Principes Hungari, illicò bellum contra Cæsarem decernitur. Corvinus (*a*) itaque contracto duodecim millium exercitu, non jam precibus sed armorum terrore, quem satis terribilem, Friderico illatâ populatione incussit, ut Coronâ potiri potuisset, efficere aliquid volebat: Sed non aliud assecutus est, quàm ut obstinatiùs se gereret Cæsar, indignatione etiam in Corvinum conceptâ,

*Cæsar Regem, & Coronam dare recusat.*

*(a) Bellum contra Cæsarem Corvino Duce an. 1447.*

(*b*) Restitutus tandem Austriacis à Cæsare Ladislaus, ad Hungaros apud quos & natus, & coronatus, primùm divertit auspicia regni facturus, Posonisque non ultrà progressus, Regiis negotiis in Magistratibus mutandis & cæteris propriè ad Regem pertinentibus confectis, ad arbitrium Ulrici Comitis Ciliæ, cui Austriam gubernandam tradiderat, curâ Regni Corvino commendatâ, rursus Viennam (*c*) rediit; & non multò post, dictum Comitem (*d*) Ciliæ factorem suum aulâ Regia exulare jubet, quod Nobilitati Austriacæ gravis fuisset, qui cum quatuor tantùm Comitibus, aulâ abiens, in patriam suam concessit; Albertus Marchio Brandeburgensis, ne populares saxa in eum jacerent, ad portam usque tutum iter fugienti præbuit: quibus tamen manus prohibitæ fuerunt, probrosa maledicta congessêre. O fortunæ inconstantiam. *Ecce Austriæ caput, in quod omnium oculi respiciebant, unico Regis verbo, confusum abit.*

*(b) Ladislaus à Cæsare restitutus Posonium redit*

*(c) Viennã redit.*

*(c) Vlricum Ciliæ Comitem Præfectum Austriæ in exilium egit.*

(*e*) Incidit deinde Ladislai Coronatio Bohemica in sequentem annum & diem Simonis, & Judæ; quâ peractâ permissum fuit cuilibet, ut suo arbitrio, vel sub una, vel sub utraque specie communicaret.

*(e) In Bohemia coronatur. An. 1443.*

(*f*) Quo anno (doleo referens) Constantinopolis Orientalis imperii caput, & sedes, vetustæ sapientiæ monumentum, literarum domicilium, & arx Philosophiæ, illâque tempestate florentes Athenæ, post quinquaginta dies obsidionis, vi expugnata capitur, à Mahomete Turcarum Rege, Amurathis filio, biennio post susceptam administrationem Regni, nono à clade Varnensi anno pestifero illo climacterico, & à constitutâ Monarchiâ Romanâ quingentesimo supra millesimum, fatali illo & pluribus exemplis inclinatarum Rerumpublicarum pestilenti. Aliquot diebus Urbs à Christianis defensa fuit, ad extremum totis castris Turcicis inclamatum est vigesimo septimo Aprilis, ut omnes milites jejunium observent, cras in armis adsint, Urbem extremis viribus oppugnaturi, triduò jejunatum usque ad noctem fuit, tùm convivia mutuo complexu, tanquam ad extremum vitæ discrimen adjuturis agitata. Postquam, illuxit vigesimo nono Maji, qui tùm fuit dies martis, dato signo, undique Constantinopolis oppugnari cœpta, & capta est.

*(f) Constãtinopolis à Mahomete expugnata*

*Constantinopolis 29. Maji An. 1453. expugnatur 54. die obsidionis.*

(*g*) Imperator Græcorum Constantinus Palæologus fugiens in ipsis portæ angustiis cum cecidisset, oppressus calcatusque obiit. Adduxerat Mahometes ad magnificæ, & ditissimæ Urbis expugnationem, quadringenta hominum millia, promiscuæ multitudinis, potior tamen pars Christianorum fuit ex Græciâ, Illyriâ, Valachiâ, Rasciâ, Serviâ, Bulgariâ collectorum. Turcæ pauco numero aderant. Callidum Tyranni artificium, & miseranda nostra conditio, in eripiendo, vastando orbe Christiano, nostrâ ipsorum operâ utitur, ad ruinam patriæ nostræ armat humeros nostros, Christianam sobolem Deo dicatam, Ecclesiæ per baptismum insertam, sanguine filii DEI redemptam, ex societate filii DEI, sub signa sua cogit, ut cum Deo Ecclesiâ, ac Cœlo, more Gigantum bellum gerat, & à quorum corde prodiit, illos inclementer jugulet, perdat, & deleat. Talibus auxiliis etiam Philadelphiam Græcorum Urbem expugnavit. Athic tanto jacturâ major, quod Imperator ex duobus Christianitatis oculis (ut hoc mihi de suo Æneas Sylvius largiatur) alter ibi erutus, ex duabus manibus altera amputata creditur. Caput ejus lanceâ suffixum, spectaculo ferebatur. Ubi hoc notatu dignum, & velut fatale fuit, quod sicut Constantinus filius Helenæ, primus fuit Imperator Constantinopolitanus, ita alius Constantius Helenæ filius, ultimus esset. Verum itaque est, quod quidam dixit, In eis sæpè Regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant. Quadraginta hominum millia illic cecidisse referuntur, [illegible] quater millies millibus ducatorum æstimata. Tantum huic Urbi decoris adjecerat Constantinus Magnus dum Imperii sedem, Româ illuc transferret, ut altera Roma non immeritò dici posset. Scriptores vetusti, qui florentem viderunt, Deorũ potiùs in terris habitaculum quàm Imperatorum putaverunt. Nunquam profectò Græco nomini jactura major, quàm ibi contigit. Locus enim in quo Constantinopolis sita est, adeò amœnus, commodus, & fertilis fertur, ut diceres ibi Bacchum cum Cerere, Pomonam cum Florâ, pulchritudinem cum fœcunditate certare. Sed fortè majori cum affectu aspicimus, non

*(g) Constãtinus Imperator perit.*

*Iornander lib. 1. Constantinopolitanæ Vrbis Majestas.*

tàm delectari barbaros, tantâ soli gratiâ, quàm ubi arx disciplinarum fuit, & nidus Ecclesiæ, arcem esse blasphemiarum Mahometis, & speluncam Turcicorum latronum, qui ejectis Ecclesiis, & Bibliothecis, passim deletis, quarum sapientissima Græcia fuit foracissima (licet plurimi etiam Mathematum, facultatis medicæ doctrinæ legum ac sacrarum literarum, libri, inde quasi exilio in Italiam translati fuerunt, ex Italia in Germaniam, & Galliam) dolendam nobis antiquorum voluminum intulerunt caritatem, solius Callimachi fortassè jactura sufficeret, cujus libro amisso, quem de gentium originibus, & migrationibus, veterum Urbium Conditoribus, & legibus scripsit, multæ veteres historiæ interciderunt. Ubi antea Solones, Lycurgi, Aristippi civilem disciplinam præceptis & exemplis utilibus fundarunt, ibi iniquitas, & obscœnitas Tyrannis denique suam sedem posuit.

*Corona apud Cæsarem, Rege restituto.*

Latuit porrò sidus Hungariæ, Corona secretis Cæsaris Friderici adytis, eo videlicet captæ Constantinopolis tempore. An non judicio arcano ob id se alterius potestati submisit, patriâ excessit, ac in formâ captivitatis cujusdam se occultavit, quod patriam suam avitam, ex qua prodiisset, ut dicetur miserè deletam, contaminatam, & amissam, non ex fœlicitatis amœnitate, sed ex tristi fortunâ dolenter intueri, hocque signo, quam sibi casus Urbis celeberrimæ acerbus fuerit ostendere vellet. Rege deinde habito, Hungari, remissis animis urserunt restitutionem ipsius, de industriâ tacente Cæsare, qui tandem insigne aliquod compendium rerum per eam se facturum speraret.

Interim gubernatio Corvini erat prospera, domi quieta, foris victoriis florens, cui velut præclaram Coronidem omnium victoriarum clarissimam in defensione Albæ Græcæ imposuit.

*Mahometes Albam Græcam obsidet. An. 1456.*

Turcarum enim Imperator post devictam Constantinopolim, nihil jam viribus suis superius esse putans, Hungariæ Regnum invaserat. Itaque cum centum quinquaginta hominum millibus Albam Græcam (Taurinum olim, nunc Belgradum) nobilem Civitatem, portam nimirum Hungariæ durâ obsidione cinxit, facto per Tryballos, sive Servios itinere, quorum Dux Mahometem hospitaliter tractavit, mittendo munèra maxima, quod cogitaret, occupato Belgrado, se continuò armis Turcicis subjugandum. Obsessa Urbe (quemadmodum Laonicus Chalcocondylas refert) præcludendi fluminis opera datur (Belgradum enim Ister & Savus, ex utroque latere circumfluit) ne Hungari ex adversâ ripâ Urbem defensuri ingrederentur. Interim oppugnationi instat Turca, donec defensorum numerus excresceret. At Hungari naves, quæ Budæ erant, milite complent, secundo flumine Turcam aggressuri, quibus cœsis, illis nimirùm, qui adverso flumine ad vastandam regionem juxta Istrum ascenderant, naves nonnullas demersêre, captæ verò circiter viginti. Mox invento stratagemate, navibus ademptis, ædiculas viris vacuas imponunt, & contra Turcica castra properant, quorsùm aliquot incolumes Turcarum naves se receperant. Obtinebant jam flumen Hungari, & ferebantur in Urbem, Joannes Hunniades suorum agmine stipatur, & Joannes Capistranus. Turcæ indictâ die in Urbem impetum faciunt, Turcarum phalanx quorum Dux Carazies globo ictus occubuerat, scandit muros, ac in Urbem infunditur, nullo tunc resistente. Dato deinde signo, Hunniades ex insidiis instructâ acie, contra Turcas prodit, similiter & qui in arce erant. Cedentibus illis, acriter Hungari instant & Urbe non sine clade expellunt. Egressi postmodum Hungari in castra hostilia impetum faciebant, à mane usque ad vesperam, profligatisque iis, [illegible]ma Turcarum capiunt, centum miræ magnitudinis tormenta. Nec amplius imparitate virium congredi ausus Mahometes, accepto etiam ad oculum vulnere, magnâ animi desperatione, nocte intempestâ fugit, sed fugientem Hungari, ex consilio Hunniadis persecuti non sunt, tùm præcipuè quod castra Hungarorum labe pestilentiæ graviori affligerentur. Narrat idem author, Hunniadem in eo prælio vulnus accepisse, ex quo non multò post mortuus esset. Sunt qui peste extinctum affirmant. Mahometes ampliùs tantæ cladis ignominiæque suæ oblivisci non potuit, quin ad mentionem ejus barbam manu demulcens, & caput quatiens, pugnam diemque fuerit detestatus, qua cum christianis ad Belgradum certamen inierat. In hujus triumphi memoriam, institutum festum Transfigurationis Christi, quotannis sexto Augusti celebrandum.

*Festum transfigurationis institutũ. Corvinus moritur 4. Idus Sept. an. 1456.*

Hac ergo victoriâ incomparabili, Corvinus finem vitæ imposuit, non bello hostili, quod ab hostibus huc usque acerrimè continuatur. Fuit is in Hungariâ, Gubernatoris Regni titulo insignitus, dignitate quæ personis optimè de patriâ meritis, virisque ob præclara facinora illustribus edit. Donationes ipsius ad triginta duas sessiones colonicales extensæ,

*Gubernatoris Regni officium quale.*

tensæ, usus est sigillo regni, ad forum pertinente, Cruce signato, quod Budæ asservabatur, durante ejus vigore, usque ad legitimi Regis coronationem. Forma juramenti, ipsi, licet tot tantisque præclaris factis, omnem de fide suâ hæsitationem, ex animis hominum tollere potuisset, in generali Regni congregatione, instar terribilis cujusdam fulminis, horrendè præscripta fuit hoc modo.

*Deus te ita adjuvet, B. Virgo Maria, tibi ita misericordiam impetret, omnes Sancti sic pro te intercedant, DEI sanctissimum corpus in extremo tuo die ita saluti tuæ conducat, terra ossa tua ita suscipiat, & sic die tertiâ non ejiciat, in universum semen tuum sic non deficiat, in die Iudicii ita sanctum DEI vultum conspicere valeas, in æterno inferno ita non sepeliaris, sicut universa hoc regesto contenta, in profectum & utilitatem Regni conscripta, toto conatu determinatè retinebis, nihil in contrarium eorum facies, neque fieri procurabis.* *Iuramentum Corvino præscriptum.*

Horrenda quidem & stricta juramenti formula, sed illo seculo valdè usitata, fortè quod plurima ejus temporis perjurii exempla (ut diligens Lector consideratis iis, quæ circa Regum familias & Coronam âcciderunt, jam superiùs assecutus est) hominum inconstantiam, mutabiltatem & fraudem suspectam redderent. Nam non solum in maximis, & publicis obligaminibus hujus formæ præscripto utebantur, verùm in privatis etiam contractibus, & fundationibus mutui nexus, & candoris, ut ex literis Fraternitatis, & bonæ amicitiæ inter Joannem Hunniadi, & familiam Pongracz, ejusque posteros, qua ad amorem mutuum, & fraternam defensionem, & promotionem omnibus viribus & opibus præstandam obligati erant, eâ ætate initæ liquidò constat, quas Elizabeth post mortem Hunniadi relicta, & Michaël Szilagii frater ejus confirmavit, ac invocato Numine Dei vivi, & S. Trinitatis, super universis & singulis inviolabiliter observandis iis, quæ in causâ mutuæ amicitiæ, & fraternitatis, defensionis, & promotionis inter eos transacta essent; per beatissimam Mariam Virginem, ejusque virginitatem, Sanctum Paulum, & omnes Sanctos, & Sanctas Dei, sacratissimum corpus Domini manu tractum juravit, quod ita in extremo mortis ipsorum articulo (formalia sunt confirmationis verba) conduceret, morte turpissimâ, & subitaneâ non morerentur, altissimi Dei vultum post mortem intueri valerent, ad infernum non sepelirentur, semenque generationis ipsorum non deficeret, ut omnes firmitates ad perpetuò duraturam ratè, & firmè amicitiam observaturi essent: quòd si verò præmissam obligationem, vel totam, vel aliquo ejus in puncto frangere, & violare vellent, aut violarent, tùm Deus se ad detrimentum ipsorum, periculum æternum ita in hoc seculo, quàm post mortem in ipsis vindicare deberet. *An. 1404. Elizabeth Zilagii uxor Ioannis Hunniadii & Michael Zilagius avunculus.*

Quæ ex authenticarum literarum transumpto, ideò hic apponere visum est, ut appareret, quàm terribili sacramenti eâ ætate fides humana in minoribus etiam casibus firmaretur, & quoniam hodie ab eâ consuetudine discessum est, sciretur quo more & lege vixerit antiquitas. Ad rem. Bosnam non multo post ingressus Mahometes, Despotam Regionis, nomine Henri cum aliis Ducem Latic dictum cœpit, & decapitavit, filio ejus autem puero adhuc, circumciso Achmates nomen imposuit. *Mahometis in Bosniâ Tyrannis.*

Post obitum Corvini, Ladislaus, qui nuper audito hostium ad Belgradum adventu, Budâ, sub specie venationis egressus Viennam abiit, nihil præclari gessit, domesticas solùm Tragœdias vix superare potuit. Rediit Viennâ in Hungariam, & Albam Græcam veniens vestigia hostis fugientis spectavit, ubi Comitis Ciliæ antiqui hostis, ac æmulatoris Corvinæ domus provocantis cœsi, à Ladislao Johannis Corvini filio provocato, cœdem spectare invitus, adhibitâ animi moderatione debuit: Verùm deinde incitantibus plerisque virtutis Corvinæ invidis obtrectatoribus, præcipuè Ladislao Gara Palatino, obliteratâ præ cupiditate vindictæ meritorum Corvini memoriâ, & promissis sacramento confirmatis violatis, Ladislaus capite mulctatus. Scribit Commineus, ideò Corvini filios à Ladislao indignè habitos, quod pater ipsorum Joannes Hunniades, Ladislao parvulo existente, magnam usurparet potentiam, & generosos gereret spiritus, unde metuendum putasset Ladislaus, ne filii ad naturam patris accederent, ipsiusque vestigia secuti, Regnum sibi eripere tentaret. Propter hoc, alter quoque Matthias, Pragam in Custodiam missus fuit; quæ res magnam animorum à Rege alienationem peperit. Ita semper virtutis, & humani favoris dividuum fuit contubernium, ut paucas familias insignes, & virtute illustres, antiquis & nostris temporibus videre liceat, quæ brevi spatio, non expertæ sunt acerrimas cum vicinis inimicitias, magnam invidiam, periculosam inimicorum malitiam. Nam virtus & dignitas, in homine titiones sunt ad accendendum in plerisque contra ipsum invidiæ ignem. *Ladislaus Vienna redit in Hungariam.* *Ladislaus Corvinus, Victor, capite mulctatus.* *Matthias Corvinus Pragensi carceri includitur an. 1457.* *Virtus & hominum favor difficulter conveniunt.*

Ladislaus porrò Rex, consilio principum, conjugio votum dederat, delectâ in

*Ladislaus de Conjugio cogitãs moritur. anno 1457 Veneno inescatus, creditur.*

Conjugem Magdalenâ Caroli septimi Regis Galliarum filiâ, instrucbanturque Regiæ nuptiæ, maximo sumptu, & splendidissimo apparatu. Sed hos tantos cogitatus, has spes pulcherrimas, tantum rerum ordinem, immatura mors ac repentina Regis interrupit. *Incertæ vanæq; cogitationes hominum*, futurum quidque cœcâ caligine Deus occuluit, ipsi sibi gubernacula retinet universa, & magnis gaudiis dolores adhærescere sinit, velut hostiles enses lætitiam illam turbantes. Mortem ejus alii morbo, alii veneno imputavêre. Medici Germani, quibus potissima corporis ejus cura fuit, in Austriam reversi ex Bohemiâ palàm dixêre, quam primum Rex ægrotare cœpisset, se vocatos, manifesta mortis, ac veneni signa deprehendisse. Qui violentam mortem dicunt, Pogebradium Principem inter Bohemos criminantur. Comineus Historicus cum veteribus comparandus, sequentia in hanc rem protulit. Ladislaus è vita discessit, veneno sublatus è medio, Pragæ. Consuetudinem habebat iis locis cum fœminâ quadam Nobili, quæ graviter ferens illum in matrimonium ducere Caroli VII. Galliarum Regis filiam, contra datam sibi fidem, & promissum, in balneo pomum ei dedit, per medium cultello divisum, qui veneno tinctus erat. Laonicus Chalcocondylas à Laurentio Chedrachabare veneno sublatum scribit; existimo Hedervarium nominare Græcus iste voluit, nepotem fortè Stephani Hedervari, quem Sigismundus Ladislai Posthumi avus, inter alios Nobiles triginta duos supplicio affecerat. Nam & aliorum nomina, pro more peregrinorum scriptorum, citatus autor variè & perversè profert, Hunniadem enim Choniatem, Udalricum, Orlichum, Castriotum, Calciolum vocat, ut hic, si actum in Commentario meo agere non displiceret, meritò de obscuritate historiarum, vitiosâ citatione nominum factâ conqueri possem. Sed non multum moror cui causa interitus Ladislai attribuenda esset, sufficit constare, ipsum subitaneâ morte, & intempestivâ diem suum obiisse, in mediis deliciis, & præparatione ad nuptias, ad quarum gaudia admissus non est fortè ab ultore Deo quòd contra fidem datam Ladislaum Hunniadi supplicio affecerat, Matthiam quoque fratrem nullâ justâ de causâ carceri tradiderat, denique quis scit an Deus pœnam læsæ per matrem Elizabetham Coronæ etiam in immaturo Ladislai filii fato ostendere voluit; atque hic Ladislai exitus fuit.

*Comineus de morte Ladulai.*

Post hæc in Hungariâ mira rerum mutatio, & novus syderum influxus. Pulcherrima enim Monarchia S. Coronæ orbata Rege, ex nobilissimo sanguine ad mediocris generis hominem pervenit *dispensatore Magistro Deo, qui ex occulto producit ingenia, quæ virtutis beneficio magis quam patria æstimari oportet*. MATTHIAS enim, Joannis Corvini, aliter Hunniadis filius, ex carcere Regis Bohemiæ Georgii Pogebradii, in quem innocens inciderat, veluti alis mirabilis cujusdàm fati evolavit ad regnum.

*Matthias Rex Hungariæ prodit ex carcere Pragensi. An. 1458. coronatur an 1464. Reges populorum solus Deus constituit. (a) Regum fœlicitas ex legitima eorum vocatione.*

Dum enim consilia de supplicio ipsius agitarentur, moritur Rex, & non multo post Matthias captivus ipsi succedit, non aliter, quàm Joseph in aulâ Pharaonis, & Daniel in captivitate Babylonicâ, qui ex despectâ servitute in Gubernatorem totius Babylonis evasit, *ut manifestum sit divinâ dispensatione Reges Regnis præfici, nec quicquam nominis claritatem carceris, & osorum reclamationes* (ut Ladislaus ex metu & invidiâ domum Corvinam obscurare voluit) more ad adipiscenda ea conferre; qualibus deinceps divinitus (a) in summam dignitatem cooptatis, omnia secunda in rebus gerendis eveniunt, longè dissimili fœlicitate, quàm illis qui spretâ vocatione divinâ, ambitione, & dominandi libidine accensi omnes, illegitimas ineunt rationes, quibus consequendæ potestatis modus aliquis inesset. Non contigit certè Matthiæ hoc humano arbitrio solùm, non sanguine civili, non armis, sed omninò divinum quoddam consilium, in abditis generis humani latebris investigavit Matthiam Regem, ob memoriam paternæ virtutis & fœlicitatis, gloriamque divinorum de patria & Christiano orbe meritorum.

*Matthiæ gubernatio Hungaris & gloriosa, & utilis. Ejus in Remp. Christianã studia. Matthias ad Cæsarẽ pro Corona mittit. Cæsaris partes contra Matthiam qui secuti.*

Gubernatio Matthiæ, tàm bello, quàm pace, fuit salutaris, & perutilis: quodque de Augusto Imperatore dicitur, quod Romam latericiam, effecit marmoream, hic Matthias Augusto, similis, Monarchiam S. Coronæ ferream commutavit in auream, hoc est illustravit domi, forisque victoriis, triumphis, atque disciplina militari, condecoravit, legibus & artibus pacis multiplicibus. Quemadmodum ipse de se in Epistola ad Cardinalem Aragoniæ: *Id fecimus inquit, quod nemo Christianorum Principum non modo hac tempestate, sed nec per dies vitæ suæ pro rebus Christianis unquam fecit.* Primùm & ante omnia nihil antiquius habuit, quàm ut S. Coronam, quæ annis ferè viginti quinque in aliorum potestate fuerat, & pristinæ restitueret sedi, & gloriæ; indignum judicans Majestatem imperii, quæ à sacra Corona dependet, domi non habere, aut alterius frui beneficio. Quare decreto de redimenda Corona statuto, Legatos Neostadium ad Imperatorem mittit, Varadiensem Antistitem, cum aliis duobus primatibus, qui S. Regni Coronam, eaque loca, quæ ab ipso tenebantur, repeterent, reddere nolenti bellum denunciarent. Instigabant verò Fridericum assiduis literis, ac nuntiis primates quidam, ut Corona quam habebat retenta, nobilissimum Hungariæ regnum, ab ignobilis Matthiæ dominatu vindicaret. Horum princeps fuit Nicolaus Uylaky, Paulus Banffy, Ladislaus Palochy, & alii aliquot citerioris Hungariæ proceres: qui omnes Imperatori fidem, opesque suas, mi-

militem ac commeatum se daturos pollicentur. Sunt qui Fridericum ab illis Neostadii Regem Hungariæ creatum, atque coronatum dicant, quod constat & affirmat Nicolaus Langmannus Friderici Sacellanus, Fridericum, eodem die, quo ante septennium Romæ Imperii, etiam Regni Hungariæ Coronam suscepisse. Verùm ut hæc Coronatio extra fines Regni facta, nec juxta leges, ac mores patrios, ita planè irregularis fuit ociosaque & altum de ea apud scriptores nostros silentium. Factioni huic favens Michaël (a) Szilagii, postea in carceres arcis Huszt à Rege conjectus fuit, & penè morte mulctatus. (b) Hic non quod ætate præcelleret, & præclaram operam in introducendo in Regnum Matthia præstitisset, ab arbitrio suo pendere cuncta, Regemque in metu continere volebat, quod quam difficulter tulerit Matthias, casus ipsius Szilagii ostendit. *At quisquis est in aulis magnorum Principum, etiamsi Principem maximis demereatur officiis, ita se comparet, ne multum sibi deberi existimet, nec ut metuatur, laboret.* Nam qui diversam rationem ingrediuntur, ut periculum tandem, & calamitatem evadant, fieri non potest. Fit enim plerumque, quòd qui bonam operam præstiterint, arbitrentur sibi aliquantò plùs quàm aliis licere. Principes contrà aliter sentiunt. Malunt enim ut cliens magno officio sit obstrictus Principi, quàm Princeps clienti, aut famulo multum debeat.

*Cæsar Neostadii Coronâ Hungaricâ per partiales coronatus creditur.*

*a) Michael Szilagii factiosorũ caput captus*

*(b) Michael Zilagius Matthiæ Regis avunculus.*

Tandem in gratiam receptus sequentibus temporibus fines inferioris Pannoniæ strenuè contra Turcas tutatus, eos fundit, fugatque, ad extremùm dùm ad oppidum Posasin, non procul à Senderoviâ, cum Alibeco, & Scanderbego pugnam conserit, numero & virtute impar capitur, & Bisantium deductus, hostis inclementiâ capite plexus est. Post Hunniadem iste Regni Gubernator, aliquot tamen interjectis annis extitit Matthiæ Regis avunculus, propter quam necessitudinem, electa Maria, publicè decretum fuit, ne ex gradibus tantarum dignitatum abusus aliqui orirentur, ut tàm Rex, quàm ipse Gubernator, ex parte omnium fratrum, & familiarum debitam justitiam impendere tenerentur. Alios etiam honoris sui sugillatores domi expertus Matthias est, qui prætextu Regis Tyrannidis Cazimirum, Cazimiri Regis Poloniæ filium, sibi dari postularunt, quem Cazimirus non contemnendo, cum exercitu in Hungariam misit, adjunctis illustribus aliquot Polonis. De quibus omnibus certior factus Matthias, ex Moraviâ & Silesiâ copias in Hungariam contrahit, primoresque partim terrore, partim promissis ad se revocat. Cazimirus ad Nitriam stativa habuit, Matthias verò cum sedecim millibus hominum occurrens, trium milliarium spatio ab eo castra metatus est. Tandem Cazimirus dilabentibus ob non soluta stipendia è castris suis militibus, & utriusque partis proceribus, pacis arbitrio permisso recessit: qui quidem recessus, effusæ fugæ fuit simillimus.

*Bisantii capite plectitur.*

*Altera factio Cazimirum Regem optat.*

*Qui Nitriam usque cum exercitu processerat.*

*Redit in Poloniam defectione suorum adactus.*

Interim partim armis, partim consilio & arte conciliatis diversæ factionis (c) proceribus, Matthias de Coronâ sollicitus, nova iterum legatione Imperatoris animum aggreditur. Legationis caput idem qui antea Varadiensis, moderato ac leni sermone Fridericum orat, ut Hungaris Coronam restituat, Matthiam ut filium agnoscat, pacem fœderaque colat. Intercessione tandem Germaniæ principum Electorum, ac imprimis Alberti Saxonis, Fridericus pacem sibi ac fœdus cordi esse respondit, Coronam æquis conditionibus redditurum, sed quòd multis damnis ab eo tempore, quo illam accepisset, multis belli incommodis petitus esset, magnosque pro Ladislao sumptus fecisset, Coronam non nisi sexaginta millium aureorum pretio redimendam vellet. Assensit Matthias & Proceres Hungariæ, quantumvis Majestatis sacræ Coronæ vindicandæ mortalis auri pretio necessitas ex moribus Imperatoris, atque habendi studio æstimabatur, nec armis, aut sanguine humano (cujus sat profusum erat) litandum fuit rei sacrosanctæ, ac sexaginta millia Imperatori, (d) ratis quoque aliis conditionibus transmiserunt. Hanc repetitum exmissi viri primi subsellii: Stephanus (e) Varday, Colocensis, & Bachiensis Archiepiscopus, Joannes Vitesius Varadiensis præsul, Nicolaus Uylaky Vayvoda Transylvaniensis, Macoviensis, & Regni Sclavoniæ Banus, Comes Ladislaus de Paloch Judex Curiæ, Emericus Zapolyay summus Regni Thesaurarius, Benedictus Thuroczy. Gravissimi isti Senatores negotium sibi mandatum, & susceperunt libenter, & abierunt gnaviter; quovè omnia pro dignitate perficerentur, adjuncto trium millium equitatu ornatissimo, in Austriam versus Neostadium, ubi Corona, à Cæsare Friderico asservabatur, iter maturant. Quos ubi appropinquantes Cæsar cognovisset, portas præcludi, & milite firmari, circaque mœnia, armatos disponi jussit. Legatis autem per suos numerosum accessum exprobravit, asserens non tali modo obiri solere Legationes, sed vastari agros, oppugnari Civitates. Varadiensem Antistitem cum ducentis equitibus jngredi se passurum, cœteros velle ut retrocederent. Episcopus igitur cum dicto numero civitatem ingressus, reliqui Sopronium se contulerunt. Postquàm in rebus transigendis mensis consumptus esset, Ladislaus de Paloch vir ætate gravis ad recognitionem Coronæ accitus est, duas quippe ad similitudinem veræ fabricatas Coronas apud Imperatorem existere, rumor increbuerat.

*(c) Coronã denuò à Cæsare petitat Hungari.*

*(d) Obtineatur ex pacto sexaginta millia aureorum.*

*(e) Nomina expeditorum pro Coronâ.*

*Hungarorum tria millia profecta pro Coronâ.*

*Ladislaus Palochi recognoscit genuinam Regni Coronam.*

Agnita ergò ex indicio rupturæ pretiosi cujusdam lapidis, genuina corona, reliqui Legati

*An.1464.* gati cum splendidissimo equitatu ad Neostadii pomeria advenerunt, ita utrinque fide datâ, ad portam uno eodemque tempore Corona accepta & pecunia ( quam communitas Regni numeraverat ) tradita fuit. Difficilè est dictu quanta cum gratulatione, lætitiâ, quâ pompâ, quo gaudio, toto eo itinere, illius visendæ causâ multi passim confluerent, quantâve religione votis hominum concurrentium Budam delata fuerit. Illuxerat enim salutare hoc sydus Hungaris tantò gratius, quantò tenebris absentiæ altioribus adobrutum fuit. Indicto mox Comitio, electi Regis titulum, quo toto sexennio Matthias gaudebat, impositâ solenniter capiti ipsius Coronâ, commutant: diplomata, privilegia, & alias Regales literas ante Coronationem emanatas ad confirmandum producunt. Nec mora, publico statuto cautum & provisum, circa debitam & diligentem custodiam, & conservationem ipsius Coronæ, loco aliàs consueto, & de personis idoneis, ne iteratò ipsam ab hoc regno cum multis incommoditatibus alienari contingeret. Unum enim & hoc primum memorabile est D. Matthiâ, quod reparatâ, & susceptâ Coronâ, deinceps omnia reliqua decora, & ornamenta faciliori ut dicitur, & amœno gressu consequi, jus belli ejusque potentia in dies magis magisque augeri cœperit, & quantò fortuna generis obscuri magis animos offendebat, tantò ejus authoritas, virtutis flos crescebat laudabilius.

*Corona solenniter, Budam defertur.*

Sub ipsâ fœlicis Coronationis ejus principia, Bosna, Rascia, & Serviæ magna pars in Turcarum potestatem devenit, Stephano Rege Serviæ & Bosniæ, ac Rasciæ Despotâ à Mahomete Turcarum Imperatore Jaitzæ obsesso, post subdolè ad colloquium evocato: qui cum nullâ insidiarum suspicione venisset, jussu Mahometis, captus, & cute vivus exutus est: Sicque cum vitâ regnum, quod patri dolo eripuerat, amisit. Receperat tamen Bosniam, (*a*) ac Mahometem Turcarum Imperatorem profligaverat Matthias, Transylvaniam, (*b*) ac Valachiam partim armis, partim consilio, ita domuerat, ut nunquam deinde imperio ejus aut moram aut negotium facesserent.

*Bosnam Rasciam Mahometes capit. Stephanũ Regem & Despotam cute exuit. (a) Matthias per Turcam occupata recuperat. (b) Transylvaniam ac Valachiam domat.*

Ampliandorum Regni finium studiosissimus fuit, dum ea quæ ab antiquo ad jus Regni pertinere dignoscebantur, tam ex potestate Turcarum, quàm aliorum eximere non neglexit, quo consilio, & oppidum Hamburgh (*c*) ad jus Regni pertinens, iteratâ obsidione cinxerat, & anno 1482. expugnarat, volens jus antiquum ad proprietatem Regni restituere. Hæc sibi fœlicitas contigit, tum quòd memoria paternæ virtutis animis omnium inerat, tum quòd justè, & moderatè imperium auspicaretur. *Nam quæ per justitiam aguntur, illa habent fœlicitatem, & diuturnitatem.*

*(c) Hamburgh ad jus Regni Hung. pertinens obsidet.*

Hujus Regis res gestæ tantæ sunt, ut longum esset eas orationis filo persequi, ac vix tantus narrationis decor, ut pro earum dignitate vel adumbranda sufficeret: tamen afferam quædam pauca, quæ ad institutum pertinere videbuntur. Laudatissimus enim Heros Matthias, ipsâ hominum opinione, & majorem omni commendatione se præstitit, quâ laude, alia amplior esse non potest.

Bellis omnem vitam traduxit, in quibus fœlicitatem ac victoriam veluti juratos Comites Deus illi adjunxerat; ac siquidem duo Rempublicam maximè conservant, *Strenuitas adversus extraneos, seu vis foris, domi concordia, ex quibus contemperatum esse oportet, qui ad principatum aspirat*, sanxerat ille quidem animo suo, ut sedatis domi rebus suis, atque ad quietem compositis, nullum Christianum hostem haberet, omneque robur Regnorum suorum, adversus communem nominis Christiani inimicum experiretur, ideò tentatis fœliciter belli primordiis, ac militiæ tyrociniis, prætextatus ferè (ut etiam suprà dictum) ante ipsam coronationem de Imperatore Turcarum, receptâ Bosnæ imperii sede Jadrâ, cum viginti quinque oppidis triumphavit, atque brevi tempore sacræ expeditionis eos successus lucratus, ad illos militiæ gradus creberrimis victoriis conscendit, ut Turcarum Tyrannus, unum hunc in oculis ferre, unum hunc timere, atque imperii sui cladem, ac terrorem ominari, ac appellare soleret. Verùm fatum nè nomini Christiano iratum, aliter res ipsas moderabatur, atque hoc salutare consilium Matthiæ mutavit, ingentes in Turcam spiritus fregit, quo minus numerosiora secundo successu in solo Turcico locare potuisset trophæa, bello contra voluntatem ipsi, præter, alia quæ mox patebunt obstacula, à Cæsare Friderico illata, cujus componendi initis sæpiùs de unione & concordiâ tractatibus, se studiosissimum declarabat, offerebat insuper medio Episcopi Thuanensis Legati Pontificii Friderico expugnatorum castrorum restitutionem, ut ex parte Christianitatis, omni litis, & bellici impedimenti occasione sublatâ, unitas vires, in perniciem Asiatici Imperii convertere potuisset, utque Fridericus suppressis privats affectibus, & æstimato communi totius Christianitatis commodo, suam apud Principes Imperii interponeret operam, quod necessaria contra Turcas præstarent auxilia. Veniebant Matthiæ in mentem ingentes strages, quibus Mahometem affecerat, & quæ ipsum ad persequendum ulterius fortunæ favorem invitabant. Sicut celebris illa est apud scriptores victoria in campis Kenyérmezö dictis, ubi auspiciis duorum Ducum, Stephani Batthory, & Pauli Kenizy centum millium

*Matthiæ consilia nicè ad Bellum contra Turcas.*

*Corrumpuntur per Cæsarem bellum ipsi inferentẽ.*

*Quæ causæ excitabant Matthiam ad bellum Turcicum. Victoria in campis Ke-*

lium Turcarum exercitus cœsus. Immortale trophæum fuit Matthiæ, quando Sabach monumentum in Savi ripâ à Mahomete ædificatum, machinam nimirum inspecturam arces Hungariæ, artibus & armis, expugnavit. Præclara fuit, & illa per Stephanum Valachiæ Principem à Turcis reportata, qua Stephanus Tyrannum, qui se ingentibus copiis, in Moldaviam missis, subjugare adortus erat, vix quadraginta vel (ut alii volunt) triginta millibus suorum insigni clade apud Barladium amnem, & Racoveciam paludem affecit, profligavitque, centum viginti millia in illo exercitu fuisse dicuntur, nec prius fugam pressêre Turcæ, quàm Danubium transmisissent, persequentibus fugientes Valachis, & usque ad lassitudinem trucidantibus, vel in paludem ac Danubium impellentibus: pauci ex tanto numero evasêre. Bassæ quatuor in eo prælio desiderati, signa militaria centum, & ampliùs capta. In primò verò Turcarum ingressu, quod magnum ad hostium stragem attulit monumentum, omnem circum exusserat regionem, unde factum ut in magnâ commeatus, & pabuli penuriâ Turcæ, ac equi ipsorum debilitarentur. His & similibus cladium Turcarum exemplis animatus MATTHIAS, optimam de opprimendis hostibus spem conceperat, nisi denegatis aliorum Principum suffragiis, aliisque plurimis impedimentis objectis, præclari conatus sui in medio fervore retardati fuissent, quos calvis occasionibus intercipi, quàm dolenter tulerit MATTHIAS, testis est ipse in Epistolâ ad CARDINALEM ARAGONIÆ ubi scribit in hæc verba: NOBIS *non deesset studium, & ardor, ad defensionem Christianam, dum modò aliorum quoque animi, pari voto ad tam necessarium piumque, & sanctum opus concurrerent. Sed profectò dolemus nos post multos, & assiduos labores, quos sine intermissione pro fide, & defensione Christianâ suscipimus, sæpius à Pontifice, à quo aliam gratiam mereremur, conturbari, & antequam justitia nostra cognoscatur, ipsum in aliorum transire sententiam, quemadmodum fecit, quæ à nobis iniquè per Venetos occupata, omnem illis favorem Pontifex contra nos ostendit, & nobis inauditis illorum suggestionibus inclinatus est. Fuit (a) & hoc nobis grave, quod jus nostrum, quod in electionibus Prælatorum Regni nostri, à prædecessoribus nostris Regibus devolutum ad nos, turbare voluit, cupiens aliis cum nostro præjudicio, & juris nostri detrimento de Episcopatu Modrusiensi, qui ad nostram electionem semper pertinuit, & pertinet complacere. Nec considerat quantum nobis ea res, præjudicii inferat, & quàm impossibile sit nobis in ea re Pontifici morem gerere, & id tolerare. Credimus id non faceret, si sciret quanti momenti ea res, apud nos Hungaros reputatur. Quod quidem in his diebus patuit, cum certos Regnicolas harum partium feceramus convenire, à quibus tanti clamores sunt contra nos habiti, quòd nos jura nostra negligamus, ut profectò veriti simus, ne populus omnis in seditionem verteretur. Et ut apertè cognoscat, certò scire Pontifex debet duplicatam illam crucem, quod Regni nostri est insigne, gentem Hungaricam libentiùs triplicare, quàm in id consentire, ut beneficia, & Prælaturæ, ad jus Coronæ spectantes, apud sedem Apostolicam conferantur.* Hæc ille.

*Ad Sabach*

*In Moldavia.*

*Matthias in negotiis Christianitatis turbatur à Pontifice.*

*Insula Velga per Venetos occupata.*

*(a) Jus conferendi Prælaturas habent Reges Hungariæ.*

*Gentis Hungaricæ libertatum servandarum studium.*

Non solùm autem suffragia denegata ad sacram expeditionem fuêre, occasiones corruptæ, sed quòd asperius animum suum afficere potuit, ab illis quos religio, vicinitas, communis nominis Christiani professio sibi conjunxerat, in statum & honorem Matthiæ publicè consultatum, quibus contra se domi agitatis, quàm facilis foris negotiorum cursus, quisque cordatus intelligit. Utar ipsâ verborum formulâ, quam ipse in literis ad duces Saxoniæ, & certos ex Electoribus usurpavit. *Constitutis nobis in transitu vadi Savi fluminis, & iter nostrum ad Turcas communes Christianitatis hostes continuantibus, supervenerunt nova quibus significabant F. V. cum aliis imperii Principibus venturum Viennam, ibique ex condicto, in favorem Imperatoris aliqua tractaturum contra statum & honorem meum, & licet Nos, pro eâ benevolentiâ & charitate, qua Nos Fraternitati Vestræ, adstringimur, id credere nequaquam potuerimus, maximè cum constet Fraternitati Vestræ, & omnibus imperii Principibus, Nos omnia studia nostra ad avertendum à cervicibus Christianitatis perfidi hostis potentiam continuè intendere, sicuti non dubitamus brevi Deo favente fœlicem de eis reportare victoriam, tamen moti talium novitatum indignitate, statuimus de his avisandam Fraternitatem Vestram, ne talia meditarentur, quæ nosset esse contra statum & honorem nostrum, sed potiùs intendat in ea quæ intelliget rebus nostris profutura, potissimum cum intelligit Nos pro salute publicâ contra communem Christianitatis hostem occupari. Nam si quid tale per Fraternitatem Vestram, vel alios imperii Principes contra honorem nostrum fabricaretur, considerare poteritis non tam Nobis quàm rebus Christianis injuriam & detrimentum irrogari. Nos quidem Deo Nobis favente, ab injuriis adversariorum satis tuti sumus, & omnes nostras fortunas pro nullâ aliâ commoditate nostrâ magis quàm pro rebus Christianis exponimus. Si igitur in hoc salutari opere turbaremur, amicitia vestra consideret, quæ injuria. non Nobis, sed rebus Christianis inferretur. Scimus quippe neminem de Nobis justè queri posse, quia nos neminem offendimus, præter hoc quod jura nostra tutati sumus. In hoc si quid Imperator gravius tulit, cogitare potest, quòd profectò Nos contra ipsum nihil unquam attentassemus, nisi Imperator non servato promisso, Nos ad jura nostra requirenda compulisset. Optamus tamen, & opta-*

*Matthiæ virtus æmulos plurimos habuit.*

*Regis Matthiæ littera ad Electores Imperii.*

*ptaremus illius benevolentiam, & amorem, si vellet Nobis observare promissa. Quamobrem Fraternitatem Vestram requirimus, & hortamur, velit sic mutuæ inter nos benevolentiæ, & amicitiæ recordari, ut non modo ipsa his qui contra statum nostrum & honorem, aliqua tractarent non adhæreat, sed pro eâ fiduciâ quam Nos in illa habemus, aliis quoque Nobis obloqui & nocere volentibus obsistat. Quoniam si quid aliud faciet & Dei ipsius offensam & amicitiæ violatæ notam incurret, & ultra hoc, Nos contrario Nobis opere, facilè ab incœpto fidei negotio retrahere cogemur. Ad quod negotium non modo vestrum, sed & aliorum Christianorum Principum favorem potiùs, quàm impedimentum expectaremus. Nos tamen eo non obstante, quòd talia ad aures nostras delata sunt, cœptum iter prosequemur, & quidquid poterimus pro negotio fidei, & communi Christianitatis bono faciemus. Si verò turbaremur Nobis imputari non posset, si rebus nostris qualitercunque subvenire cogemur.* Hactenus Matthias.

*Matthias in studiis contra Turcam, turbatur ab Imperatore.*

Accesserunt hisce aliæ graves turbationes, & molestiæ, dum subditi sui, à subditis Imperatoris, magnis injuriis lacessiti, & damnis in possessionibus suis acceptis, villis vastatis, plerisque & Nobilibus in captivitatem (*a*) ad castrum *Keoszogh*, & alia loca ex Comitatu Castriferrei abductis, querelarum expositione aures suas onerabant, Contributio pro defensione Regni, per universos Prælatos, (*b*) & Barones Matthiæ decreta, per Gentes Imperatoris (*c*) intercepta, cum multis millibus aureorum quos exegerant, Dicatores capti: quo facto expeditio maxima præter omnem expectationem, qui non modò decreta per se, & suos, subsidia Imperatorem facilè permittere, verùm etiam ex spontaneâ benevolentiâ, pro totius Christianitatis utilitate, non nihil elargiri, sibi persuadebat, disturbata fuit, contra mutuarum inscriptiònum cautelam, quibus decretum est, ut quoties generalem in Turcas expeditionem parari contingat, contributioque ad hoc generali Regnicolarum consensu limitata foret. (*d*) debere quoque de pertinentiis castrorum quæ Imperator in hoc Regno teneret, sine contradictione extradari. Conqueritur (*e*) etiam, quod Rhodiani concessâ sibi à Pontifice Indulgentiarum promulgatione, dominia & possessiones suas subintrant, atque earum publicatione (*f*) nihil aliud faciunt, quàm dominia sua, re pecuniariâ, nervis nimirum rerum gerendarum exhauriunt. (*g*) Non benè contentus & Pontificis ipsius aliorumque Cardinalium facto, qui ad parandam in Italiâ classem aliquot aureorum millia de Ecclesiâ suâ ex Hungariæ (*h*) Regno contribuere promiserat, domesticis Regni necessitatibus neglectis, ad quas usque ad fatigium cum Turcis pugnando Hungari redacti fuerant, in exterorum commoda liberalis, cum potius ea esset rerum Hungariæ facies, ut aliorum Christianorum auxilio indigeret. Quod velut injustum reputans Matthias, Pontificem requisivit, & hortatus est, ut siquidem hactenus indulgentia illa, per quam Ecclesia sua, à contributione in necessitates publicas immunis erat, in abusum conversa est, signa, & vexilla sua, cum summâ gentium, quas ex antiquâ consuetudine, Ecclesia illa pro defensione Regni dare, obligata est, statim disponat. Quantum enim à Pontifice Matthias expectare debuit, testimonio est illa Pontificis erga Venetos (*i*) gratia, quos ipse Turcarum societate apprimè gavisos, & ita conjunctos, ut ab illis avelli non potuerint, favore suo sustinuit, tales nempè, qui omni studio cum Turcis fabricati sunt, quæ cognoverunt Christianis rebus fore detrimento, contemptis aliis magnis Principibus, ut ipse in Epistolâ (*k*) ad Cardinalem Aragoniæ querulatur. Quid, quòd & subsidia decem millium equitum, quæ ab Imperio erant Matthiæ promissa, Thuanensis Episcopi (*l*) Legati Pontificis operâ, contra Matthiam fuerunt directa, quæ si servatâ fide ab Electoribus, & Principibus habere potuisset, collectis omnibus viribus tale facinus edere se posse, quale temporibus suis pro defensione Christianâ editum à nemine est, (*m*) atque posita in Deo fiduciâ, usque in viscera Turciæ & loca Byzantio finitima penetrare potuisse sperabat. Negligunt alii, alii obloquuntur sincero Matthiæ proposito, illi etiam de quibus ne levis quidem hæsitatio in animam descenderat.

(*a*) *In Epistola ad Imperatorem Rom.*
(*b*) *In eadem.*
(*c*) *Pecuniis pro bello exactis privatur.*
(*d*) *Imperator ex decreto communi nihil conferre vult.*
(*e*) *In Epistola ad Cardinalē Aragoniæ.*
(*f*) *Rhodiani indulgentiis nervum belli Matthiæ eripiunt.*
(*g*) *Pontifex reditus ex Hungaria exteris commodat.*
(*h*) *In Epistola ad Agriensem, & Aragoniæ Cardinalem.*
(*l*) *Venetis Turcarum sociis favet*
(*k*) *In Epistola ad Ioannem Vitez Episc. Sirmien.*
(*i*) *Episcopus Thuanensis Imperiales copias contra Matthiam dirigit.*

(*n*) Ferdinandus enim Rex Siciliæ socer suus, mendicare eum aliorum suffragia publicè in consistorio Romano (*o*) dixit. Quæ verba quàm Matthiæ displicuerint, & Ferdinando intimari fecit, & Pontifici per Legatum suum significavit, quod cum hactenus res suas ab incursu hostili defenderit, se neque nunc pro aliquo subsidio mendicatum suos homines expedire. Similibus querelis refertissimæ sunt Matthiæ Epistolæ, quibus omnibus adeò erat exacerbatus, ut per Oratorem Pontifici in hæc verba nuntiaret:

(*p*) *Nos nequaquam volumus, ut Pontificis gratia Nobis conservetur, si & Nos cum Turcis colligabimur, & talia faciemus, quæ non modo Cæsar, & Principes Imperii, sed & universa Christianitas persentiet, quia omninò oportebit nos, contra ipsos in Nos conspirantes, omni possibili adhibito remedio defensari.* Et ad Cardinalem Aragoniæ: *Providebimus rebus nostris, & taliter consulemus, ne quod sub expectatione præsidii aliorum accidit, destruamur. Consulant alii rebus suis, Nos quoque*

(*m*) *In Epistola ad Papam.* (*n*) *In Epistola ad Ioannem Leonicum.* (*o*) *Matthias mendicare suffragia dicitur.* (*p*) *In Epistola ad Agriensem & Oratorem.*

*quoque rebus nostris consulemus, & ita consulemus, videbuntque & intelligent omnes, quod aliis prius pereuntibus, adhuc quantum poterimus Nos, dominia nostra adjuvante Deo defendemus.* Idem ad Cardinalem Agriensem. *Nos partes nostras Deo favente contra omnes viriliter defendemus; quod omnes Imperii, Principes, & ipse Cæsar videre incipiant, in quem compunxerunt.* Eodem ferè argumento, ad Joannem Leonicum. *Nos pro hac causa Oratores nostros in Vrbem nullo modo mittere decrevimus. Res enim non nostra, sed ipsorum magis agitur. Et si quid pro se ipsis facient, quid facere volunt, non pro nobis, qui eorum Præsidio, ad defensionem rerum nostrarum nihilo omnino indigemus? Si quid autem sollicitavimus subsidii, factum non tam pro nobis, quàm communi salute, & bono totius Christianitatis fecimus, amplius Nos sollicitare nolumus; nec pro hac causa mittemus Oratorem nostrum. Viderint ipsi quorum res agitur. Nos benè providebimus, quomodo regna, & dominia nostra, à periculo Turcarum defendamus, & cogitabimus de remedio, quòd si pereundum est, primi non pereamus. Hactenùs enim de gratia Dei, Nos regna nostra sine aliorum præsidio satis defendimus, & non solùm Nos ipsos, sed & alios tutati sumus: deinceps quoque largiente Deo potentes erimus, ad regna nostra defendenda.* Hæc verbis ipsius MATTHIÆ narrare placuit, quòd & historiam gestorum ejusdem significent, & ut sua veritati absque ullâ suspicione fides constaret, quàm magnanimum Hectorem Respublica nacta fuerit, si paribus studiis alii Europæ Principes respondissent.

Tandem MATTHIAS cum Mahomete, quem toties non ostantibus recensitis impedimentis, & difficultatibus, ex quibus cladem potiùs, quàm triumphum ominari potuit, non aliundè profectò, quàm cœlo delapsâ prosperitate profligaverat, ipso priùs pacem offerente, Inducias fecit. Quo in negotio, qualiter etiam turbaretur, testis est in Epistolâ ad Cardinalem Agriensem. *Ex omni parte negotia nostra confunduntur, dudum Nos cum Turca ad certas pacis conditiones devenire poteramus, & ad hoc ipse Turcus Nos sponte hortabatur; Sed tam diu Nos id negotium, in complacentiam aliorum differre, & in suspenso tenere oportuit, donec ex utraque parte maneremus in sicco, hoc est, ex hac parte expectatione nostra frustraremur, & ex altera nesciremus negotia illa tantopere dilata, in quibus terminis consisterent, præsertim cum Turcus ipse diu multumq; in verbis tentus fuit, & nihil usque modò certi de voluntate nostra* ad pacem intellexerit, licet apud Nos frequentes fecerit instantias per diversos.

Mahomete intereà dolore colico mortuo. *Siquidem sæpè, tempore suo tentata fortunâ, paucis diebus perficit id, quod ne multis quidem annis humana perficeret industria* In occasionem novæ expeditionis suscipiendæ intentissimus MATTHIAS, quam per Tyranni interitum oblatam, magnâ spe fœlicis successus libenter arripuerat, eamque in sinum offerens oportunitatem, reliquis quoque Electoribus, & Principibus Imperii per Legatos suos Joannem Episcopum Varadiensem, Vencesilaum de Roskovicz significare non neglexit, ut ad quam ex divinâ clementiâ provocarentur fortunam, eo majori spiritu, & fortitudine armâ capesserent. Sed & hosce Christianos MATTHIÆ conatus Fridericus non solùm non promovit, verùm & Legatos jam nominatos, qui ad Diætam Norinbergensem, negotia totam Christianitatem concernentia tractaturi missi fuerant, non admisit, negatis eis literis securitatis, quas pro salvo ipsorum conductu postulabant, undè cum maximâ confusione reversi, spem nullam conferendorum ab Imperio contra Turcas præsidiorum retulerunt. Idem gratissimum de morte Mahumetis nuntium Pontifici per Literas cognitum fecit, exponens cum fiduciâ, quàm optima hoc tempore curandorum Reipublicæ Christianæ negotiorum nostris Principibus commoditas affulserit, & quàm sollicitè clementissimus Deus suos consoletur, præcipuè cum de usurpandâ imperii summâ, inter Bajazetem majorem natu, & Zizimum minorem, filios Mahometis defuncti, intestina decertatio enata fuerat. Post fatum enim Patris, Bajazetes Imperator, à populo auxilio, & favore Janizarorum salutatus; Zizimus qui ultra mare in Natoliâ tenebatur, imperii adipiscendi libidine succensus, ingentes copias contraxit, accedentibus fautoribus Caramannorum filio, & Vasonkasonum, atque etiam Zoltano Principe, sed bis prælio victus, Rhodum profugit. Quod Bajazetes ubi rescivisset, missis Legatis, & amplissimis donis Rhodiorum Magistrum orabat, ut illum diligenti custodiæ mandaret, si faceret, annuam pecuniam, ad quadraginta aureorum millia, simul intermissionem belli adversùs Christianos pollicebatur. Ad illum habendum, omnes Principes Christiani præclarum aliquod compendium se facturos arbitrati, conspirabant. Imprimis verò Pontifex effecit, ut ipsi ad manus traderetur, quem MATTHIAS partim per literas, partim per Legatos graviter obtestatur, ut pulcherrimâ oportunitate vindicandæ Europæ de potestate Turcarum, consideratâ, nomine publici boni, Zizimum ipsi concederet. Futurum quippè, ut societate Zizimi ostentata, & Turcis ad Patrocinium ipsius confugientibus, non solùm maximam Asiæ partem in partes Zizimi attraheret, sed & ad imperium Constantinopolis, non nisi optimis, & utilissimis toti Reipublicæ Christianæ specie auxilii datis conditionibus, se promoveret: denique rem æternâ laude, & memoriâ dignam, & toti orbi salutarem futuram, si ad belli optatos, & fœli-

*Mahometes moritur an. 1481.*

*Mahometis morte Matthias animatur ad Bellum.*

*Cæsar Matthiæ Legatos nõ admittit.*

*Zizimus victus Rhodum profugit.*

cos

ces successus, ac victorias contra Turcas habitas, Zizimus hic velut ad præclarum belli colophonem adderetur. Conditio hæc à MATTHIA oblata, & pulcherrimi facinoris occasio & gloriâ, adeo successu caruit, ut paranti Neapolitanam expeditionem Carolo Octavo Zizimus ex pacto traderetur, qui paucis post diebus, quam ipsi traditus erat, è vitâ discessit non sine suspicione veneni Romæ ipsi exhibiti: magnâ profectò horum principum ignominiâ, qui tàm fœlicem victoriarum proventum MATTHIÆ unâ ambitione, ac avaritiâ corruperunt, periculaque quæ Imperio Turcarum imminebant, in gentem Christianam derivarunt.

*Zizimus Carolo VIII. Gallo traditur.*

Ita Bajazethes metu fratris liberatus, jam Imperator ad Transylvaniam subjugandam animum adjecit, ac Moncastrum, ad Boristhenam, & Tithostomum in Danubii orâ situm cœpit, cogitans de vindictâ, ex iis sumenda, qui Zizimo favorabiles fuissent: propter quod & contra Sultanum maximas copias Tarsum versùs expedivit, impetitus, ac profligatus eodem loco, quo Magnus Alexander, olim memorabili pugnâ cum Dario conflixit. Exercitu Turcico in fugam converso, Cherseolus gener Bajazethis captus, & ad Sultanum deductus fuit.

*Bajazethes ambit Transylvaniam. A Sultano profligatur maximo exercitus sui damno.*

Hoc bello periculosè distractum Imperium Turcicum, quòd fortunam MATTHIÆ metueret, impulit Bajazethem nuntiis partim, partim literis (quarum copiam præ manibus habemus) ad inducias MATTHIAM invitare pace perpetua ultro oblata, velut firmissimo amicitiæ autoramento; ad quas feriendas, præcipuè ob Austriacum bellum, cui eò expeditiùs incumbere posset, MATTHIAS consensit. Ac tandem in Austriâ bello mira fœlicitate usus, non solùm potiori Austriæ parte potitus est, sed & post Urbes præcipuas Viennam & Neostadium cœpit, Friderico cum octingentis equitibus Austria excedente, & fortunam suam iniquo animo ferente. De quibus suis successibus, ad Cardinalem Aragoniæ hoc modo: *Deo favente res nostræ contra Imperatorem in dies prosperantur. Exercitus enim nostri duplici cuneo in terris Imperatoris procedunt. Vnus quidem cuneus in Styriâ, alius in Austria procedit, per quos multa quotidie castra expugnantur.*

*Matthias indicias cum Bajazete firmat. Viennam & Neostadium capit.*

Ac Vienna quidem, fame hoste intestino, ad summas redacta angustias, dum módius unus farinæ florenis centum & septem venderetur, deditionis consilia secuta est. (a) Pari fato conflictatum fuisse Fridericum Imperatorem in Arce Viennensi, dum anno 1463. restitutionem Coronæ præcedente, à civibus indignè sex concivium vincula ferentibus, obsideretur. Cuspinianus scribit & Maximilianum puerum cum parentibus ibi inclusum, matrem rogasse, ut ei perdicem daret, post esum hordei per dies aliquot. Quæ illacrymans: *Vtinam* inquit, *mi fili, panis nos non deficeret.* (b) Quidam verò scholasticus Transylvanus, inopiæ Principum condolens, emptis pro duobus, aut tribus aureis, volatilibus, perdicibus, capis, & carnibus ferinis, fossam arcis clàm insiluit, & per cuniculum ingressus, Maximiliano hæc dona obtulit; habitus postea apud Cæsarem liberaliter, & honestè. Ad rem.

*Vienna fame expugnata an. 1487. 26. Iul. Duplex fames Viennam sub Friderico afflixit. Scholastici Transylvani factum.*

In Neostadiensi verò obsidione memorabile magnanimæ prudentiæ Matthiæ Regis elogium, hic ex manu scripto quondam Regni Hungariæ Palatini Thomæ Nadasdi apponere visum est. Eo enim planè tempore Legatus quidam, à Bajazethe Turcarum Cæsare, adventare dicebatur, qui obitis apud plerosque Europæ Principes Legationibus, insignem facundiæ, ac prudentiæ famam, & laudem affectabat, ac inani gloriatione sibi adulatus, cœteris promiserat, secundum sententiam, ac voluntatem sui Cæsaris, se optata legationis accepturum præmia. Noverat Rex ante naturam barbaro fastu, & ambitione occupatam, ostentationeque inanis pompæ, plerumque spectacula adferri à Turcis; Pari itaque arte Legatum excipere satagit. Statuto colloquii die, ac hora, specie obsidionis visendæ progressus unà cum Legato in conspectum obsessæ Urbis & castrorum, ad mœnia Urbis dispositorum, indicto de industria pravissimo insultu, inter reboantes tormentorum sonitus & fragores, loco illo ubi plurimum missilia tela, & globi, sine quovis obstaculo per aëra transultabant, legationis summam edere jussit. Ibi ille metu, in præcordia demisso, pallens tremensque vix hæsitando, conceptis priùs verbis animi sensa explicavit. Matthias velut pro tempore intellecta Legati sententia, semel atque iterum deambulando, ad singula brevi, & rotundo dato responso Legatum absolvit; Is hac vice quoque ob tumultum bellicum, & telorum strepitum terribilem, vix compos mentis, & attonitus excessit castris, simulque responsi Regis oblitus, jam pacatiore animo in memoriam revocare non potuit: Sed eo risu, aut commiseratione dignior, quòd volens redire ad Cæsarem, orabat supplex, ut repetitum responsum accipiat, id quod nulla sui existimatione petere ausus, obtinere nullo modo potuit. Illusum merito non tam Legato, quàm barbaræ Bajazethis superbiæ, cui significabat, imposterum ejus ingenii, ac numeri legatos ad se mittat, qui & decorem sui principis tueri, & responsa bona memoria conservata ad se referre noverint.

*Matthiæ prudens facinus ad urbem Neostadiensē. Fastus legati Turcici eluditur.*

Bellum hoc intestinum fuit, sed quàm alienus Matthias ab eo fuerit, protestatur ipse, scribens

ſcribens ad Papam in verba ſequentia: *Non profectò is ſum, qui diſſidia, & altercationes privatas publicæ totius Chriſtianitatis defenſioni præferrem, niſi multis irritamentis ad hoc invitus coarctarer. Mallem quippe ſicuti ſæpius ſcripſi, quantum in me eſſet vires meas hoc præſertim tempore, prout Veſtra Sanctitas ſcribit, cum Deus ex alto viam rebus Chriſtianis aperuit, ad publicam Chriſtianitatis ſalutem convertere.* *Matthias à bellu civilibus alienus.*

*Sciat igitur Sanctitas Veſtra nunquam in me fuiſſe defectum, neque negligentiam, quò minùs monitis, & exhortationibus Sanctitatis Veſtræ, quas ego, prout obediens filius, ſemper cum omni devotione ſuſcipio, paruiſſem, ſi alii quoq; itidem facere curaſſent. Sed negotia hæc quæ inter nos aguntur, non ſine labore conducere ad bonum finem poſſent, propter moroſitates & faſtidia Imperatoris.* Quid verò impulerit Matthiam ad domeſtica arma induenda, apparet ex Diffidentiâ ad Fridericum ſcripta: *Quia intelligimus, & ipsâ rerum experientiâ cognovimus, Majeſtatem Veſtram violatis inſcriptionibus ſuis non contentam, plurima contra nos, & ſtatum, Regnumque noſtrum hoſtilia, ſine omni juſtâ, & legitimâ causa, & ratione attentaſſe, & non ſolum ſe nobis hoſtem feciſſe, ſed etiam alios plerosque Principes contra nos incitaſſe, quæ uſque modo facere, & cooperari non deſinit. Idcircò nos volentes, ut par eſt, partes noſtras ab injuriis & hoſtilitatibus Majeſtatis Veſtræ defenſare, ac cum auxilio DEI, illatam nobis hoſtilitatem propulſare, ex nunc Majeſtati Veſtræ, ac terris, & dominiis ſuis hæreditariis & ſignanter Auſtriæ, & Styriæ diffidamus, illisque omnino antea invocato DEI auxilio hoſtem eſſe præſentibus declaramus.* Et ſtatus Regni Hungariæ in reſponſo ad literas Imperiales ſic: *Scimus quod nobis omnibus, & huic inclyto Regno, non parva damna, & nocumenta fuerant his temporibus retroactis ex parte Majeſtatis Veſtræ, præter omnem expectationem noſtram irrogata.* *In Epiſtola, ad Papam. Domeſtica arma graviter induit.*

Ius itaque ſuum, & Regni, neceſſè habuit tutari omninò Matthias, qui *Scio enim*, inquit, *& certus ſum, quod ipſe à proſecutione cœptorum ſuorum, & ab inferendis mihi injuriis non deſiſtet. Quo circa neceſſe erit mihi, quibuscunque potero modis, illi ſeſe opponere, rebusque meis, omni ſtudio conſulere.* Et: *Concordiam ego lubenter, amplectar, quandocunque alii à juſto, & honeſto, ſe non retrahent, quoniam quantum in me fuiſſet, nec ad has diſſenſiones veniſſem, niſi me ipſe Imperator, datis multis occaſionibus impuliſſet.* Zelus profectò iſte conſervandæ in pace Chriſtianitatis, omni commendatione major in Matthia ſemper caluit, ut præmiſſa omnia non obſcurè declarant, niſi inquieta aliorum ſtudia impediviſſent. *In Epiſtola ad Papam.*

Porrò intermedio cum Bajazethe ſancitarum induciarum tempore, Tyrannus ad dolos, & artes converſus, duas nobiliſſimas arces *Kyllen* (quam olim Achilleam ab Achille Græco conditam & dictam volunt) & *Neſter Albam*, ad oſtia Iſtri, non procul mari Euxino, limites nimirum Hungariæ obſervantes, læsâ induciarum fide, in poteſtatem ſuam redegit. Ea de re Matthias, à Stephano Principe accepto nuntio, expoſtulabat cum Bajazethe, violatæ induciarum fidei probro objecto, & literis fœderis falſi criminis (quæ fortè interciderant) accuſatis urgebat tyrannum, ut ſibi reſtitutione locorum, priſtino imperio Hungarico, non aliter, ſatisfaciat, alioquin bellum juſtum, & quo ſemper Martem æquiorem Matthias expertus erat, interminare. Mollius à barbaro reſponſum; Mortem ſibi potiorem futuram, quàm crimen læſæ fidei ac pacis, paratamque ſe excuſationem habere, bello expugnatas eſſe arces, nequaquam inductione fallaci, neque enim in conditionibus Induciarum, atque literis ipſis de Transalpinæ, aut Moldaviæ provinciis, vel de arcibus prædictis, quicquam cautum aut ſcriptum eſſet; quibus ita conſtanter inhæreret, ut ne latum unguem ab illis dimovere ſe pateretur, multò minùs violatæ fidei crimen incurreret, & quando arces illæ, non ſine multorum ſuorum ſanguine partæ eſſent, juſtè à ſe poſſideri, quod fœlici Marte paraſſet, nec ergò poſtulatæ reſtitutioni neceſſitatem, aut conſenſum ſe imponi velle, aut debere. Exacerbatus his literis Matthias, compertoque deinde literarum errore, ſeu negligentiâ, ſive oblivione, ac artibus ſeu quovis alio caſu, ſui Cancellarii Petri Archiepiſcopi Colocenſis admiſſo, arcesq; infœlici ipſius prætextu amiſſas dolens, amaram bilem, quam in hoſtem conceperat, in eundem Petrum Archiepiſcopum effudit, verberibusq; graviter ſuâ manu datis, ipſum in carcerem fœdum, ac anguſtiâ unius hominis latum tetrumq; (qui etiam nunc in arce Arvenſi, cujus poſſeſſor eſt comes ſupremus & perpetuus Emericus Thurzo quondam Regni Hungariæ Palatini filius viſitur (conjecit, dum priùs fortunæ inconſtantiam ipſi exprobraſſet his verbis: Arva fuiſti Petre, arva eris, in Arva morieris. Hunc enim fortuna, humanarum rerum domina, favorq; Regis ex humili ſorte, ac egeſtate, quod voce *Arva* notatur) in ſummum faſtigium extulerat, rurſusq; infeſto vultu, ac impetu in adverſum, ac ignobilem caſum præcipitavit, fœdumque ergaſtulum: ex quo ſexto anno ſuæ captivitatis, poſt mortem demum Matthiæ liberatus eſt, favore Joannis Corvini, cujus poſtmodum ſectator acerrimus erat, ut parem beneficii vicem rependeret. *Bajazethes præter fidem induciarum duas arces occupat.* *Aſtus Bajazethis in capiendis arcibus.* *Petrus Archiepiſcopus Matthiæ Cancellarius captus, in arce Arvenſi detinetur.* *an. 1484. Liberatur anno captivitatis ſexto.*

Geſſit quoque bellum Matthias contra Bohemos. Erant ex Hungaris, qui ab eo abſtinendum, & Hungariæ Regi ſufficere dicerent, quod Turcam ſuo Marte, à Chriſtianorum finibus ſubmoviſſet; pars verò quibus ſuperioribus temporibus injuriæ & damna à Bohemis ac- *Bellum Matthiæ Bohemis*

*Moraviâ & Silesiam subigit.*

cepta cordi, & vindictæ erant, bellum suadebant ne Hungari, Turcâ in Asiâ occupato, pacem & otium nacti, remisso bellandi exercitio degenerantes, hosti aliquando prædæ & ludibrio essent. Hujus belli ex voto eventus fuit, quando redactâ in potestatem Moraviâ, & Silesiâ Provinciis Regni Bohemiæ, Matthias Olomucii à Bohemis ordinibus, qui Georgii imperium detrectabant, Rex (a) Bohemiæ, Marchio Moraviæ, & post non multò, Dux Silesiæ, Uratislaviæ appellaretur, illasq; Provincias per Ladislaum Eghervari Præfectum, qui Dalmatiæ, & Croatiæ quoq; præfuit, administraret. Georgius enim de Podebrad (ut ipse ad Austriacos scribit) à facie Matthiæ retrocessit: Dux Victorinus cum meliori potentiâ mansit in civitate Trebicensi, defensurus pro facultate suâ, præter nos præsertim Marchionatum Moraviæ. Quo percepto cum exercitu nostro, ex Znoymâ statim festinavimus, & Deo dante primo adventu præfatâ civitatē (b) Trebicensem funditus delevimus; Et opus est, ut rem cœptam fœliciter, fortiter tueamur, & ad optatum deducamus effectum. Cœpit & Glogoviam (c) urbem, Ducem verò Joannem Ducatu exuit, & expulit, eò quòd Senatores Glogoviæ fame necuerat. Hoc bellum Glogoviense, & Rascianum, propter Rascios equites, qui in castris Matthiæ fuerunt dictum est.

*Fit Rex Bohemiæ, Marchio Moraviæ, Dux Silesiæ.*

*Illas Provincias per Ladislaum Eghervari gubernat.*

*(b) Civitatem Trebicensem subigit.*

*(c) Glogovia urbs capta. An. 1488.*

Matthia in Bohemiâ occupato, ad apprehendendum Bohemiæ Regnum, Casimirus quoque Poloniæ Rex eodem proposito copias suas in Silesiam duxit. Quòd cum Imperii Electores intellexissent, cogitabant quantū discrimen viciniæ immineret, si isti duo potentissimi Reges in Bohemiâ decertarent. Contracto itaq; celeriter milite, Reges Uratislaviæ adeunt, ad conventa pacis ineunda, propositis æquis conditionibus hortantur, Joanne Marchione in coronâ Principum & Regum verba faciente. Tantum valuit apud Reges Electorum Principum authoritas; ut Reges novum fœdus inirent, sequentibus capitibus; ut uterq; Regis Bohemiæ titulum usurparet, Bohemia cum jure Electorali esset penes Vladislaum Casimiri filium, Silesia (d) Moravia, Lusatia, penes Matthiam, mortuo priùs Matthia, illa nonnisi 400. millibus aureorum ad Bohemos redire possint. Has Provincias usq; ad mortem retinuit Matthias, post cujus fatum hæc lex lata, & inter conditiones Uladislao data, ut nonnisi dictâ summâ, quæ S. Coronæ conservationi adderetur, depositâ, Bohemis restituerentur. Juxta hæc pacta, & solennem confœderationem Olomucii an. 1479. nomine etiam successorum suorum, Regum, & Regni Hungariæ factā pacem Matthias cum Uladislao, & Regno Bohemiæ firmiter coluit, deletis per novæ amicitiæ stabilimentum, omnibus antiquis offensionibus & querelis penitùs sopitis, utq; nemo sive manifesto sive sub colore aliquo terras alterius Regni invadere, molestare, incolis injurias irrogare auderet, sed unus quisq; suis terminis contentus remaneret, secùs faciens exilio & bonorum confiscatione mulctaretur, nec quisquam actionem habens contra alterius Regni incolam, eam, viâ facti prosequi, aut sumptis armis, sed viâ juris, in eo Regno in quo in causam tractus existeret, impendendi auderet; adhoc mercatores liberas utrinque in Regnis haberent negotiationes, passus tutos & securos itinerantes, omni denique humanitate, & benevolentiâ hæc duo Regna mutuò se colerent, & prosequerentur. Quantum verò ad pacem cum Regno Poloniæ, & Rege ipsius Casimiro, fuerunt alias etiam inter Hungaros & Polonos sancitæ induciæ, sed illæ inconstantes, ob perfidiam aliorum etiam, inter quos Petrus Komorouszky, qui in Hungariâ septem arces sitas Poloniæ finitimas, propter infidelitatem erga Matthiam amisit, & ex Hungariâ pulsus est.

*Pacta Matthiæ cum Vladislao ratione Bohemiæ, Moravi., Silesiæ.*

*(d) Silesia, Moravia, Lusatia apud Hungaros in 400. millibus aureorum.*

*Petrus Komorouszky ex Hungaria pulsus an. 1473.*

Tanto numero difficultates bellorum confecit Matthias, per summas ærarii angustias, oppressionem subditorum, & plerorumque inordinatorum in Regnum introductionem, quod fieri solet, ut qui diutioribus inquietantur bellis, exhausto proprio ærario (quod bellum instar cancri fiscum paulatim depascit) præter ordinarias, novis subditos premant contributionibus, & exactionibus immoderatis.

*Bella diuturna cum onere maximo subditorum geruntur.*

Juvabat imprimis verò Matthiæ fœlicitatem, bellatorum virorum copia, habebat in Hungaria ætate hac ac imperio Matthiæ, non solùm ex summo sanguine Principes, Zapolyaos, Zylagios, Bathorios, Kinizios, Garas, Gerebos, Losoncios, Dragffios, Drencennos, & plurimos alios, quos longum esset recensere, sed etiam ex ordine Nobilium viros fortes, ac militiâ exercitatos, qui virtute militari armorumque usu, complerisque omnium antiquæ Romanæ militiæ Ducibus certare, ac paribus exemplis conferri, ac stadium famæ, ac gloriæ decurrere, atque eosdem æmulari facinoribus bellicis potuissent. Et profectò sic est, quamcunque partem Deus vult amplificare, & florere, ibi quoque prudentes homines, & fortes excitat. Erat inter reliquos, ex ordine inferiori Blasius Magyar, & Johannes Nagy, quos Matthias cum validissimo equitatu, in auxilium Ferdinando Regi Neapolitano socero suo, miserat, dum Turca magno Italiæ totius damno, & periculo, Hidruntum Urbem maritimam occupasset.

*Æstas Matthiæ viris bellicosis illustru.*

*Blasii Magyar, & Joannis Nagy virtus ad Hidruntē.*

Eludebat enim bellandi leges Italorum adsuetas barbarus hostis, ac numerosa pugnantium statario ordine agmina, ac robora ita defatigabat, variis artibus, ut Itali tot gentium victores, victi toties, congredi amplius non auderent. Commodè Blasius Magy-

ar artibus militaribus Matthiæ instructus succurrit, ac conflictus cum Turcis init, Marte adeò æquo, ut primùm Itali audaciam Hungarorum, ac virtutem contra hostem exultantem admirati, Turcas non aliter, quàm per Hungaros militiæ artibus vinci experirentur, dùm Turrim quandam magno Turcarum præsidio munitam, Hungari adorti, ac eâ potiti, primum ac magnum ad victoriam momentum attulêre, civitasque cum magnâ hostium clade capta esset; post quod Hungarorum auxilium, disciplina militaris Matthiæ, gloriam maximè consecuta est.

Militiam namque suam peculiari ordine disponere solitus erat, tantâ lege, ut si plus solito alius alio processisset, animadversionem sentiret. Hunc ordinem ipse in Epistolis suis eleganter describit. *Matthias quomodo acies instruebat.*

Primus ordo Armigerorum fuit, loco muri habitorum, qui nunquam se loco movebant, nisi ad unum in statione trucidarentur. Secundas gentium levis armaturæ, qui secundum oportunitatem excurrebant, & postquam fessi sunt, vel graviora pericula senserunt, post armatos se recipiebant, atque ibi restauratis viribus consistebant, donec idoneâ commoditate rursus ad pugnam excurrerent. Tertius peditum, quos & pixidarios, armati, clypeatique milites circumsistebant, non aliter, quàm in munitione consisterent, Clypei namque majores, & invicem, positi per circuitum, formam & effigiem castelli, & parietis repræsentant, quibus protecti gregarii pedites, & omnes qui in medio fuerunt, velut ex propugnaculis, & munitionibus pugnabant, & datâ oportunitate erumpebant, quamvis Carris etiam à latere actis, pro fossa, valloque imò falcatis in prælio quoque uti, hisque hostes circumvenire Hungari solebant. Fuerunt sua militibus nomina ab armis qualibus quisque utebatur securiferi alii, alii ensiferi, alii denique claviferi, quibus ut plurimum vexilliferi (a) (qui calcaribus ne fugeret carere debuit) custodia commendabatur. Vexilla eorum Christi crucifixi, (b) & gentilitia Corvini insignia ostentabant. *Carrorum falcatorũ usus. Hastati alii, sclopetarii alii Galeati.* *(a) Vexillifer calcaribus caruit.* *(b) Vexilla qualia.*

(c) Effusa ad pugnandum agmina, licet in belli fervore maximo, ordinis tamen primum semper habuerunt respectum, præ oculis habendo, illa pugnæ simulacra coram Matthia exercita, in quibus nunc in cuneum, nunc in orbem, nunc in trigonâ, tetragonâve, aut in forficem & serram mutata acie vertebantur. *(c) Miles Matthia ordinis observantissimus.*

(d) Ipsos verò militum mores, quam castigatissimos & viriles seculum illud tulerit, cum excelsâ Corvini nominis gloriâ, laudeque disciplinæ insignis, refert Bonfinius his verbis: *Nusquam gentium milites spectare licuit, caloris, & frigoris, item laboris, & inediæ tolerantiores, qui studiosiùs imperata faciant, lubentiùs dato signo pugnam ineant, se morti propiùs exponant, item qui militarem seditionem, magis detestentur, in castris quietiùs honestiùsque vivant, se se religiosiùs regant, tumultus magis abominentur & rixas, colant avidiùs temperantiam, & castitatem, & ab omni blasphemiâ, perjurio, illegitimâque venere sint magis alieni. Maxima pars equitum quibus uxores sint, & liberi, triennium quandoque militare coacta, nunquam conjugii fidem violasse creditur. Si quis cum scorto deprehensus est, perpetuâ sugillatur infamiâ. Fortitudinis & patientiæ sunt, plusquam Lacædemonicæ. Hyeme juxta, atque æstate castra frequentantur, & quod in eis hisce oculis vidi, sæpè sub nivibus, ac terrâ, ne obsidionem deserant institutam, toleranter hybernant. Vnde murium sæpe more prodeunt, stationibus totam noctem tesserariorum jussu equites adsunt, neque loco moventur, neque de rigenti algore queruntur; & quamvis plerisque membra vesaniendi frigore obstupescunt, invicto tamen animo cuncta patiuntur; liberos in castris alunt, ibique militaribus studiis informant. Ex quo fit ut gens Hungarica, bello aspera, ita institutis, ductu, auspiciisque Corvini accreverit, ut quæ non modò paternam à Pannonia glebam possideret, sed vix intra hostile pomerium, se sine sanguine tueretur, tantum fecerit accessionis, ut à Sarmatis ad mare usque Adriaticum, ut à Mysis atque Macedonibus, ad Noricos usque & Germanos, sub ditione sua imperium propagarit. In Pannonicis etiam castris, multos Curios, Camillos, & Fabricios, multos etiam Fabios, Scipiones, & Æmylios perlustranti, illa tempestate recognoscere licuit. Matthias autem Cæsarem Alexandrum, & re, & verbo referebat.* Hæc ille. *(d) Disciplinæ militaris patientissimus.* *Hungari olim liberos in castris alebãt propter disciplinam.* *Fines ditionis Hungaricæ.*

O utinam nostri sæculi milites, apud posteros, tàm illustri laude inclarescerent: vel si hoc assequi difficile, vel æmulos antiquæ virtutis se esse declararent, vel declarare contenderent, hac præsertim miserâ rerum accisarum conditione.

Singulari quoque armorum genere usus Matthias, fundis nimirum, sive jactu lapidum, reductâ ex antiquissimis sacrorum & profanorum Regum armamentariis consuetudine, utpotè quibus Rex, & Propheta David non solùm ipse contra Goliathum usus legitur, sed & militiam funditoribus refertam habuit, scilicet qui utraque manu fundis saxa jaciebant. 1.Par.12. qui mos apud Romanos quoque Imperatores antiquos viguit, quum hic Matthias ab usu multis sæculis intervolato, novâ velut inventione restituit, & expugnatori Hidrunti *Qualibus armis usus Matthias.*

*Funda ad expugnationem urbium utiles.*

socero suo Ferdinando commendavit, utpote magis aptas ad expugnationem quàm bombardas qualescunque, præsertim si oppidum lapidosum est, quia cadentes desuper lapides plures obruerent, quàm si traherentur ex bombardis, & fieret cum minori expensâ propter pulveres, quorum apparatus ad omnem tractum magni consistat: ad fundas autem non amplius, quàm lapidibus tantum opus esset, & una illarum tres bombardas in fundendo prævaleret. *Ac habet novum genus armorum, & inauditum illud momenti, quod non modò terret hostes, sed etiam ferè primum victoriam offert*: Breviter:

*Matthias cum exteris nationibus bellandi facilitas.*

usque adeò certo ordine militiam suam dispositam habuit Matthias; ut tàm cùm Turcis, quàm Germanis, & Bohemis similibusque non solùm præliis, sed etiam bellis decertans, magnas easque faciles reportaret victorias. Ac servata fuit hæc militiæ (*a*) disciplina apud Hungaros, vix sequenti sœculo, neglectaque per commercia, ac commilitia gentium omnium in Hungariâ militantium, tandem, prohdolor, exolevit. Nostrâ ætate umbram antiquæ militiæ cernimus, paulatim senescit virtus quoque militum, quibus velut, ad placidam aliquam peregrinationem egressis levis armatura sine scutis, galeis, thoracibus, flagrum quo equum hortatur lacertis appensum; Unde fit, ut non habitis ad tutandam salutem subsidiis, hosti sœpè non pectore, sed tergo innotescunt. Interim disciplinæ impatientes, præsertim ubi locuples præda animos irritat, tum paratiores sunt ordines suos deserere, quàm ab opum direptione abstinerent, ex eo sœpè, & damnum & ignominiam reportantes.

*a) Societate peregrinarum gentium domestici mores amittuntur.*

Haud difficulter ex his omnibus intelligi potest, quantum calamitatis non solùm, ab Hungariâ, verum etiam à Christianâ Republicâ avertere poterat Matthias, si belli fœlicissima consilia, ac conatus contra Turcas, bellis domesticis impediti non fuissent, partim ex æmulatione, partim ambitione, & discordia Principum Christianorum profectis. An non tanta impendia, tot expeditiones, nunc contra Bohemos, Moravos, Silesios, nunc contra Italos, Polonos, aliosque hostes Turcicam potentiam retundere potuissent? Profectò iis impensis, illo sanguine, quem Christiana bella hauserunt, conjunctis Friderici etiam & cœterorum Matthiæ adversariorum viribus, ut Regnum, & disciplina militaris floruit, virtus heroica in Martialibus illius ætatis filiis caluit, non difficile fuisset totam Europam ex manibus barbari vindicare, penetrare ad ipsam Constantinopolim, eamque & reliquam celeberrimæ Græciæ oram juri Christiano adscribere. Sed diversa Christianorum Principum studia ex privatis affectibus ducta, publicis incommodant difficultatibus. Inde nostræ dementiæ insultans Turca, se comparat animali unum caput habenti, caudas plurimas, quæ caput unicum, per rimas sepis transgredi volens, nullo impedimento sequuntur. Nos rursus animali multa capita, unam caudam habenti, quod dum sepem transire contendit, capita singula, singulas quærunt rimas, ac ita implicata, caudam quæ unica est traducere non possunt. Hac similitudine adumbrans, quod etsi nonnunquam Christianis per difficilia obstacula penetrare occasio affulgeat, solâ tamen animorum disjunctione pulcherrimæ commoditates corrumpuntur. Præter has belli leges, & disciplinæ politicæ plurimas condidit. Inter alias fuit consuetudinis Palatino, ipso regnante Matthia, quotannis singulos Regni Comitatus peragere, & de malefactoribus sub dio, super colliculis ad id opera congestis, quorum multi, & hodie passim apparent, Judicium administrare, unde judicium generale sive Palatinale, aut congregatio generalis Palatinalis appellabatur. Illius abolendi propter abusum potestatis, primum consilium, hoc Rege inventum legum transgressores puniendi potestas Comitibus attributa, tandemque Uladislai tempore penitus sublata exolevit, & evanuit nullo unquam tempore celebranda, excepto rusticanæ insurrectionis casu, quo Comitibus rebelles inquirere volentibus processus Judicii Palatinalis concessus fuit.

*Matthias leges politicas condit.*

*Judicium Palatinale.*

*Propter abusum tollit anno 1478.*

Adhuc præter singularem militarem, & legum disciplinam Philosophiæ etiam, & astris plurimum operæ navavit Matthias, cœli naturam rimatus est, ut nihil ferè nisi consulto horoscopo aggrederetur. Doctorum virorum amator & cultor fuit eximius, quos è regionibus diversis convocabat, æstimato illo. *Quicquid humani generis floris est habere curiam decet*: & revera constat probatorum virorum judicio Matthiæ Regis tempore, nullam in toto orbe Christiano Regiam, frequentiorem doctis hominibus fuisse, quàm Hungariam. Budæ Bibliothecam ex Lathinis & Græcis voluminibus, ex media Græciâ congestis conflatam habuit, amplam, & bipartitam, à primis rudimentis usque ad caput omnium scientiarum, per capsulas, & locos ordine distinctam: quæ post occisum quidem in *Mohak* Ludovicum majori ex parte rabie Turcicâ dilaniata fuit, (*b*) sed & hodie adhuc reliquiæ quædam ibidem visuntur, & diligenter à Janizeris magno cum honore custodiuntur, difficulterque aliquis vel Turcarum, vel Christianorum ad collustrandam eam admittitur.

*In Philosophia eruditus. Doctorum virorum cultor. Regia Matthiæ doctis hominibus frequentissima. Ejus Bibliotheca Budæ.*

Hic

(*b*) *Cujus reliquiæ adhuc apud Turcas.*

Hic item Matthias Corvinus postquam Viennæ quinquennium regnavit, & per Legatos ultrò citròqve missos, pax inter ipsum, & Imperatorem tractaretur, quam ad certam diem Imperator, & Rex præsentes ratam, & firmam haberent, sacramentoque confirmarent, inter plurimas Legatorum gratulationes, vota, laudesque victoriarum, ac triumphorum, ex communi famâ, apoplexiâ correptus, mense Martio, qui à Marte ita dictus, ipso die Martis ante festum Paschæ Martialis iste Rex moritur. Mortui eo quoquè die Leones omnes, qui Budæ detinebantur. Alii verò longè ex diversis causis mortûum scribunt, & titulum mortis illatæ, alii aliis tribuunt. Corpus ipsius Viennâ in Albam Regalem translatum, ibique in Regum monumento sepultum. Majestatem nominis ipsius Epitaphio tali celebrat posteritas.

*Matthias apoplexiâ correptus moritur anno 1490*

*In Alba Regali sepelitur.*

*Antonii Thebaldei.*

*Corvini brevis hæc urna est, quem magna fatentur*
*Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.*

ALIUD IN SEPULCHRO EJUSDEM.

*Matthias Regum specimen, & gloria Martis*
*Hic jaceo fortis, obrutus ante diem.*
*Qui domui Reges, populos, fortesque Bohemos*
*Invasi solus, qui timor orbis eram.*
*Cæsare de gemino fateor duxisse triumphum,*
*Alter Germanus, Turcicus alter erat.*

Ex duplici conjugio, uno cum filiâ Georgii Bohemiæ Regis, quam Regni Hungariæ gubernacula suscepturus ex pacto duxerat, altero cum Beatrice Ferdinandi Regis Siciliæ filia (secundum Cromerum nothâ) nullos omninò suscepit liberos, præter unum Joannem Corvinum, quem ex peregrino thoro procreatum reliquit, usitatam expertus divini judicii formulam, qua illegitimi amoris sectatores, nullis domestici thori gaudiis lætificantur.

*Nullos reliquit liberos.*

*Ioannes Corvinus illegitimus Matthiæ filius.*

Processit autem funerationis Matthiæ Regis ceremonia, modo sequenti, quam propter veterem Regum sepeliendorum ritum, attingere placuit. Clerus funale accensum gestans ordine præcedebat, quos secuti Regii cubicularii, cum cœteris aulicis funalia portantes, mox & viri ex regiis purpuratis tecti armis, & equis cataphractis insidentes, panno sericeo ferream equorum speciem ad terram promisso tegente, qui auratą Regis vexilla per terram trahebant. Post hos Proceres circumstantes feretrum, purpurâ auro contextâ opertum, post quos Antistes quidam Italus cum Præsulibus. Hoc ordine ad ædem D. Virginis, solitam Regum sepulturam progressum est, ubi corpus Matthiæ, sedecim ante diebus jacuit nudâ humo conditum. Nam Regium sepulchrum quod magnificâ operâ extrui curaverat, nondum erat perfectum. Feretrum in eum locum delatum, ubi testudo illa artificiosa instructa erat, cum vexillis ibidem affixis. Antistes Albensis officium in templo faciebat: Episcopus Noceranus funebrem orationem habuit, Regis donaria illi Ecclesiæ donata, suprà quàm viginti millibus aureorum æstimata sunt: omnes vestes Sacerdotales sericeæ unionibus intertextæ. Ferdinandus Neapolitanus Rex socer, & Rhacusa Dalmatiæ Civitas quoque justa Matthiæ persolverunt.

*Ceremonia in funere illius observata.*

Hæc est Idæa Centuriæ quintæ MONARCHIÆ S. CORONÆ, primæ illi & quartæ, non solùm par, sed, & superior virtute militari, quæ numeris omnibus, apud Hungaros absoluta, ac bellis omnium ferè nationum, ac hostium exercita, omnem sui æstimationem ac gloriam transgressa est, & superavit.

Quare meritò hæc Centuria, bellicosa appellari debet, & ætas MARTIALIS, quæ apud omnes gentes, maximè apud Hungaros, viros ac Principes MARTE fœlici formidabiles & magnos genuit.

*Centuria bellicosa.*

Reges habuit quinque cum Gubernatore, quorum ut diversæ naturæ & ingenia fuere, ita minus felicitatis, plus calamitatis, aut magis prosperitatis, minus perniciei allatum est MONARCHIÆ sacræ Coronæ. Sigismundus dignitate Imperatoriâ, ac pace summus, bello deterior. Albertus brevitate fœlicitatis tot Imperiorum clarus, Uladislaus inauspicato coronatus, bello fœlicissimè gesto commendatus, dum fidei læsæ crimen subiisset, clade memorabilis, non laudatus. Ladislaus domesticis diffidiis ad delicias solum natus. Interveniunt duo fulmina belli, toto orbe formidabilissima, Pater & filius Corvini, Joannes, & MATTHIAS, qui perpetuâ belli fœlicitate omnibus Europæ Regibus laureati præcedunt. In MATTHIA præterea, ut victoriarum trophæorum, triumphorum, adeoque omnis fœlicitatis culmen, ita Centuriæ istius bellicosæ ab illo sic cognominatæ, finem constituto. Luculentius hic divinæ providentiæ in sacrâ Coronâ argumentum, & divinum recuperationis illius

*Fulmina belli Ioannes, & Matthias Corvini.*

documentum, quæ dum per ipsum de peregrino orbe, situ, ac cultu, vindicatâ, domi quiesceret Regnum quoque posthac Regem, & populum, prono quodam fluxu, omnium rerum beatissimo successu, velut choragium ipsa ducente, conjunctis virtutibus & gratiis domi, forisque pace belloque fœlicitas comitata est.

# CENTURIA SEXTA.

*Post obitū Matthiæ, Regni quoque status inclinat.*

EX fato Matthiæ Regis potentissimi, velut sinu quodam infœlici, prodiit discordia Hungariæ, quæ pulcherrimum ejus Regni ædificium, summis virtutum ornatum operibus ac præclaris fastigiatum victoriis, velut à culmine præcipitavit deorsum. Jam enim fatali quadam necessitate, anticipante ferè terminum sibi consvetum, rerum conversio, & mutatio in Hungariâ imminebat, ut humanâ prudentiâ, quæ in fatis erant, mutari posse omninò non viderentur. Quare à diversis competitoribus Monarchiæ Sacræ Coronæ studiis, & (ut civili verbo utar) amoribus corrivalium, belli discordiæque civilis cœperunt exordia. Etenim si pulchritudo rei amatæ, irritat, ac provocat amantem, quanto S. Coronæ decor, ac venustas, quæ uno eodemque tempore, summos in Europâ Principes, tot talesque amore, ac desiderio sui, ad feriales excitavit clades.

*Quatuor Regni cōpetitores. Totidem civium Regni studia.*

Quatuor verò Competitores Regni erant, Maximilianus Cæsar, Uladislaus Bohemiæ Rex, frater ejus Albertus, & Joannes Corvinus Matthiæ Regis filius; ac in tot quoque optiones, ac vota Regnum distractum fuit. Etsi Matthias animo quasi prædivinans, omnia quæ evenerunt mala, ante mortem petiisset, ut filium in Regem assumerent, id fore ad perpetuitatem, & stabilitatem Regni, commodum & salutem: id quod præstare potuisset, nisi mors immatura antevertisset. (*Adeo in longum differre, quod maturè æquè benè præstari potest, periculosum est*) tamen ubi excessit, nata est quadripartita scissio, & imago quædam inclinationis regni, evidenti ratione apparuit. *Cum non sit certius interitura Reipublicæ signum, quam ubi multa in ea surgunt capita.*

*Pars Corvino favens.*

Pars una, quæ Regnum Hungariæ favebat Corvino, securiora, & diuturniora consilia secuta, quam ad tempus specie rerum fulgentia, promissis præsertim & meritis paternis excitata erat, ne domus Corvina de Christianâ Republicâ meritissima, subitò casu corrueret. Etsi enim Joannes ex matre, quam Matthias specie matrimonii, in deliciis habuerat, natus erat, dignus tamen ob memoriam patris, & avi, ac præclaram virtutis ab ipsis derivatam indolem, quibusdam visus, qui Rex Hungariæ eligeretur, & præsertim quod ejudem gentis & sanguinis consors, Regnum minimè externis subjectum, in suâ quoque gente conservasset. Nam & illud jus civile, quo illegitimi filii, legitimam in Regnis, non debent habere successionem, à jure naturæ exemplis sacris, & profanis refutatur. In sacris historiis, Jephte illum fortissimum Ducem populi, multis victoriis clarum, divinitus esse approbatum legimus. Et in fastigio Romani Imperii Arnolphus Imperator genere, & familiâ simili ortus, multis rebus gestis conspicuus, dignitatem suam hac maculâ non obscuravit.

*Joannes Corvinus Regni Hungariæ capat.*

Verùm prævaluit apud complures illegitimæ genituræ probrum, ac fides rarissimè post mortem amicorum stabilis, Corvino obstitit, non sine ingratitudine Principum, qui à Matthiâ insignibus ornati beneficiis, subitâ illorum oblivione correpti erant. Quare Proceres veriti intestinum bellum, quod secururum erat, nisi cum Joanne de successione in locum, & solium paternum concordaretur, ne prorsus immemores virtutis Corvinæ viderentur, cum Duce Corvino, indicto Budæ generali conventu ita transigunt. Ut si in electione Regis spe suâ frustraretur, & S. Coronæ gratiam promereri non posset, ne æternum patris ipsius beneficium, in reducta ea interiisse videretur, Bosniæ (*a*) Croatiæ, & Sclavoniæ, Regnum cum pertinentiis, item Tricesimis in Zagragrabiâ, & cœteris omnibus filialibus, Chaktornyâ, & Mura Zombamt, ac aliis ubicunqve locorum, ad eam pertinentibus, tàm intra, quàm extra Sclavoniam existentibus haberet vitâ comite, præter thesaurum & ditiones, à Divo patre legatas, quarum Rex declararetur, statim ab inauguratione (*b*) futuri Regis Hungariæ, qui etiam juxta morem coronaturus erat, traditis ipsi, & castris plerisque certâ conditionum lege. (*c*) Ita videlicet, quod Ducatum prædictum, & ipsum etiam Regnum Sclavoniæ, infra vitam jure hæreditario, tanquam dominus perpetuus, Banatorum verò præfatorum Regnorum Dalmatiæ, & Croatiæ similiter infrà vitam, sed tantum sicut Banus, & officiales pro officiolatu teneret, & possideret, ad conservationem verò castri Jaicza, aliorumque castrorum in Bosnâ & & Croatiâ, à Rege Hungariæ singulis annis duodecim millia aureorum, & decem tunnas salium accipiat, se Regem & dominum prædictorum Regnorum scribat, Ducem Sclavoniensem, Oppa-

*Transactio Hungarorum cum Corvino an. 1490. in octavâ Corporis Christi.*

*(a) Qui Bosniam, Croatiam, Sclavoniam possedit.*

*(b) Reges incorporatorum Regnorum à Rege Hungariæ coronantur.*

*(c) Dominia Corvino deputata limitantur. An. 1491.*

Oppavienſem, & Liptovienſem, ac alii quoque ipſum intitulare eo modo tenerentur. Item concluſum extitit. Quòd caſtrum *Frakno* & *Kis Marton* cum caſtro in comitatu Sopronienſi exiſtente, cum pertinentiis ad dominium Matthiæ Regis quondam ſpectantibus, & hactenus Stephano de Zapolya Comiti Scepuſienſi, & ſupremo Capitaneo Ducatus Auſtriæ in decem & ſeptem millibus aureorum inſcripta, in primâ Diætâ poſt Coronationem futuri Regis liberaretur, & ipſi Joanni Corvino Duci cum eorum dominio redderetur. Comitatus Zagorienſis, ſimul cum caſtris, & Caſtellis Varasd, Verbovecz, Turkenſtein, Gerebe, Laboc, Odricz, & Bella vocitatis, ac civitatibus, & oppidis, nec non villis, & aliis univerſis pertinentiis, quæ per notam infidelitatis ad S. Coronam devoluta erant, ipſi Duci ſuisque hæredibus remanerent: Similiter civitas Keöszeögh cum caſtro, & pertinentiis univerſis, quæ Rex quondam Matthias à Friderico expugnaverat, & ipſi Duci donaverat, eidem ſuisque hæredibus remanerent, cum aliis caſtris & civitatibus, earumque pertinentiis omnibus, tàm in Regno Hungariæ, quàm Sclavoniæ; quæ infra enumerantur poſt cladem Mohachianam. Item caſtrum *Huniad* in partibus Tranſylvanicis habitum, alias jure hæreditario ad ipſum Ducem pertinens: Similiter & fodinæ in Novizolio, hactenùs præ manibus ejus habitæ, impoſterùm etiam jure perpetuo haberentur. Caſtrum Poſonienſe, & Comaromienſe cum honore Comitatus, nec non Tatha cum eorum pertinentiis quibuslibet, apud manus Ducis pro quadraginta millibus aureorum Hungaricalium, titulo pignoris remanerent, inſcriptaque & obligata vigore hujus diſpoſitionis eſſent, & haberentur, ad futuram uſque redemptionem. In Auſtriâ oppido *Recz* & *Kyrislak*, cum caſtris, & pertinentiis, præterea caſtrum *VVolkosdorff*, ſimiliter cum pertinentiis, apud manus ejusdem Ducis, & hæredum ejus eſſent, & haberentur. Conteſtandæ verò erga Regnum hoc benevolentiæ, caſtra, & Civitates Petkoviam, Rakuspurgum Novam Civitatem, aliaque univerſa caſtra, civitates, fortalitia, oppida, & loca, tàm munita, quàm non munita, tàm in Auſtriâ, Styriâ, Carynthiâ, & Carniolâ, apud manus Ducis habita, ſimiliter univerſos Ducatus, omniaqve caſtra Civitates, Oppida, & loca, tàm munita, quàm non munita, in utraqve Syleſiâ, & Luſatiâ, ad manus ſuas exiſtentia, ſive emptionis, ſive quo alio jure, & titulo, dempto ſolummodò, Ducatu Oppavienſi, Regno Hungariæ, & ſacræ coronæ, conſequenterque futuris Regibus, cum cunctis eorum pertinentiis remittere teneretur integrè, & totaliter. Quod ſi verò præfatus Dux, ſine hærede decederet, tum univerſa præfata caſtra, & civitates, quæ apud manus ejus modo præmiſſo permanere debebant, ut ad coronam Regni Hungariæ devolverentur: De donatis autem per quondam Matthiam Regem, liberam diſponendi haberet facultatem. Caſtra tamen Badenſe, Viſſegradienſe, & Nandor Albenſe, cum cunctis aliis caſtris, civitatibus, nec non oppidis villis Regalibus, & ad coronam pertinentibus, poſtqvàm nullo modo reddere decreviſſet, uſque ad adventum Regis in Regnum teneret, ſub primum Regis adventum reſignanda. Concluſiones verò hæ, in primo ingreſſu, ſtatim per Regem confirmarentur, neqve Rex in Regnum introduceretur, priusqvam easdem omni ex parte ratificaret.

*Corvinus quas poſſeſſiones Regno dimiſerit.*

Qvam actionem ratam habuit Corvinus tantiſper, dum cupido dominandi pateretur, ſed conſiliis quorundam divi patris memoriam colentium, & arguentium ingratos Proceres, ac iniquos, quod ad externos decus S. Coronæ transferrent, uſus, non ſolùm non recuſavit, ſed bello, ad quod Turcarum Imperator ob virtutem patris validiſſima promiſerat auxilia, cum ſociis ſuis Deſpotâ, Bano, Priore Auranæ, & ſummis aliis viris rem, & fortunam committere decrevit.

*Corvinus Transactioni difficulter inſiſtit.*

Altera factio Uladislaum Bohemiæ Regem optabat, quem Matthias genio arcano, & qvodam naturæ odio ſemper proſecutus erat, quaſi infœlicem ſucceſſorem. Princeps fuit hujus Joannes Varadienſis Epiſcopus, in Moraviâ ignobilibus parentibus ortus, ac ſub Rege Matthia peritiſſimo Magiſtro edoctus, atqve ad dignitatem elatus, ingratus diſcipulus, qui non tàm ſtudio utilitatis, ac honeſtatis patriæ ductus, qvàm ſpe præmiorum, ac magnarum hæreditatum, quæ in finibus Moraviæ tandem familiæ ſuæ reliquit, ineſcatus, partes Uladislai, tanqvàm gentilis ſui tuebatur. Ac perfecit hoc tandem minùs fœliciter, dum mox interprete mala conſcientiâ, ex Hungariâ (*a*) in ſummis periculis profugus, ablatis omnibus theſauris, quos in ditiſſimis Epiſcopatibus collegerat, in Moraviam abiit, & cucullum monaſticum aſſumpſit.

*Pars Ladislao Bohemo favens.*

*(a) Epiſcopus Varadieſis partium Vladislai ex Hungariâ fugit.*

Tertia pars ex proceribus, partium Regni ſuperiorum inclinabat, ad Albertum fratrem Uladislai, qvoniam armis promptior eſſe videbatur, & illum parens Caſimirus, Rex Poloniæ, contra alterum filium copiis inſtruebat, graviſſimè ferens, qvòd major natu filius, uno Diademate contentus eſſe nollet.

*(b) Pars Alberto favens.*

(*c*) Qvarta pars ex proceribus citeriorum partium Hungariæ, optabat Maximilianum. Fridericus enim Cæſar, non ſatis per bellum cum Matthia geſtum milite inſtructus, legationibus, & literis jus ſuum, qvod ad Regnum Hungariæ habuit, prætendebat, & qvia Viennæ, &

*(c) Pars Maximilianum exoptans.*

*Vladislaus de reddenda Friderico Austria conditionē admisit.*

Austriæ recuperandæ imprimis aviditate tenebatur, conditionem hanc restituendarum rerum Uladislao primam proponebat, quam ille nullo præclari animi ac fortissimæ indolis in tuendo suo jure, ac ditionis Hungariæ signo edito, solùm ut Hungariæ Regno potiretur indignè & contrà consensum Hungarorum Friderico concessit.

*Maximiliano affectanti Regnum respondetur*

Maximilianus tamen, tunc Romanorum Rex, qui ex pacto restitutionis sacræ Coronæ inito, Regni gubernacula exposcebat, argumentis pluribus, animos statuum, ac ordinum ad se pertrahere laborans, (*a*) resolutionem à proceribus Regni accepit, nimirum non pacto Reges Hungariæ constitui, sed post unius decessum, per suffragia communia, & libera, alterum substitui solere. Cives interim Viennenses (*b*) defectionem ad Maximilianum moliti sunt; quod cum animadverteret Stephanus Zapolajus Comes Scepusiensis Palatinus qui Urbi præerat, Budam abit: Viennenses, Aquilas, Romani Imperii insignia, per plateas Civitatis circumferunt, Ungarorum domos diripiunt, se & sua Cæsaris potestati subjiciunt, qui occupatâ Urbe, arcem obsidet Hungarico præsidio munitam.

*(a) Reges Hung non expacto, sed electione fiunt*

*(b) Vienna ad Maximilianum deficit.*

*(c) In arcis expugnatione Cæsar vulneratur.*

(*c*) Oppugnata arx pluribus diebus fortiter, ubi in medio insultus fervore Cæsar se continere non valens, militibus pugnantibus immixtus, dum optimi & militis, & Ducis munia obit, vulnus in humero accepit. Hungari quassatam arcem videntes, & memores hesterni periculi, ne si vi caperentur, severiorem Cæsarem experiri deberent, arcem postero die dedunt, ipsi liberi dimissi. Sic Vienna quinquennio postquàm in Matthiæ potestatem venerat, Maximiliano reddita est, ut & Nova Civitas, præclara Austriæ Urbs. Nec multò post Joannes (*d*) Tarcianus Hungarus, Prucum ad Laitam fluvium clancularia, Germanorum fraude amisit, & nonnulla Austriæ Oppida Hungaris adempta fuere.

*(d) Prucū & alia Austriæ Oppida Hungaris adempta.*

*(e) Rex declaratur certis conditionibus. an. 1491.*

(*e*) Tandem Uladislaus postquam conditiones sibi ab Hungaris propositas acceptasset, easque propè Villam Farkas hida confirmasset, Rex declaratur. Erat inter alias una quæ negotium Moraviæ, Sylesiæ, & Lusatiæ claudebat, ne videlicet infra tempus redemptionis, contra inscriptiones, & obligationes superinde in conventu Olomucensi factas, eas abalienaret, aut abalienari à Regno quovis modo faceret: & ne post mortem etiam suam, quovis colore, aut prætextu abalienarentur, prospiceret: redemptarum Provinciarum pecuniæ summam penes Coronam depositam, ad manus conservatorum traderet, in necessitates Regni, defensionem, & utilitatem erogandam, cum Regnicolarum voluntate & consilio. Efficeret denique ut sex Civitates juxta pacta dicti conventus, iustar aliarum Provinciarum, eidem Regno, & Coronæ inscriberentur, literisque mediantibus obligarentur. Quæ quidem Provinciæ juramentum fidelitatis Uladislao, tanquam Regi Hungariæ, non tanquam Regi Bohemiæ, nec tanquàm subjecti Regni Bohemiæ, sed tanquàm feudatarii hujus Regni præstare obligati essent.

*(f) Vladislaus Austriam repetit.*

*Nihil obtinet.*

Mox Uladislaus legatos, ad Cæsarem mittit, (*f*) ut juxta conditiones quæ inter Fridericum, & Matthiam intercesserant, ne Austria nisi aliquot Myriadum summâ pecuniæ depositâ ab Hungaris adimi possit, ancipiti jure suo decederet, ac æquissimis admissis Uladislai rationibus, arma in barbaros converteret. Verùm illi duro accepto responso, re infectâ discedunt, se nimirum jura ad hæreditatem Regni Hungarici non ambigua, sed clara habere, à quibus nullis minis, nullis petitionibus decederet. Porrò Uladislaus statim ab electione ad S. Coronam acquirendam anhelabat. Itaque exercitu misso Vissegradum, ubi Diadema sacrum observari solitum, oppugnare contendit. Illud unà cum S. Coronâ in potestate Corvini, Blasius Magyar alias Budensis, seu Præfectus Arcis, seu conservator, antiquo ad hoc fidei Matthiæ & filii sacramento obligatus propugnabat, verùm quia adverso jam marte usus fuerat, & ne in sacræ Coronæ dignitatem impingerent, accedente quoque amore patriæ, ad priorem Transactionem recurrit Corvinus, & ipsi Blasio demandat ut Arcem dedat, Coronamque Optimatibus Regni assignet, contentum se fore Regis succenturiatâ, & Ducali dignitate, & ditionibus paternis. Quibus tamen non longo tempore potitus est. Præclarum enim illud & heroicum Corvinum genus, ut summâ, & prodigiosa quadam virtute effloruerat, ita subito fortunæ impetu, in reliquias obscuras defloruit, unico gloriationem generis istius Ferdinandi tempore præ se ferendo Nicolao Olaho Præsule Strigoniense, qui se ex matre Marinâ, sorore uterinâ magni illius Johannis Hunniadis, patris Matthiæ Regis genitum jactabat.

*Vladislaus Vissegradū Coronā gratiā oppugnat.*

*Quod Corvinus concedi jubet.*

*Corvina familia extincta.*

*Nicolaus Olahus sanguinem Corvinum jactat.*

Redditâ Coronâ *à Corvino, ad Vladislai Coronationem, Vissegrado per Episcopum Zagrabiensem Budam in ædem D. Genitricis Metropolitanam delata est, cui ut more solenni honor præstaretur, omnes ordines procerum populique occurrere,* atque sic creatis duobus extemporaneis asservatoribus, Vrbano videlicet Agriensi Episcopo, & comite Stephano Batthori Judice curiæ, triumphali currui imposita, frequentissima Procerum pompâ, Rege comitante in Arcem regiam delata, ibique adhibitis custodibus in coronationis usque diem asservata fuit. Nec multò post Vladislaus Diadema regium ritu solenni suscepit.

*Corona Duumviri*

*Vladislaus coronatur.*

Initia

Initia imperii difficilia, ac turbulenta habuit. Post coronationem enim eo Budæ existente, alii post alios nuncii accurrunt, qui multiplicibus belli procellis, Regnum premi adferebant. Jacobus Siculus, Christophorus Frangepanus, cum Joanne Alapy, aliisque compluribus, ad partes Maximiliani transierant. Civitas, quam Montem Græcum vocant, propè Collegium sacerdotum Zagrabiæ ad Germanos desciverat. Albertus Regnum affectans, qui prius, jam pactis certis conditionibus in Poloniam redierat, Cassoviam obsedit, favente fratrum dissensioni Casimiro: Blasius Magyar quoque cum veteranorum valida manu ad partes Alberti transierat, qui Beatricis Reginæ quadringentos equites, obsessis Cassoviensibus in auxilium missos, fudit eo itinere mortuus. In tantâ rerum difficultate, Uladislaus Posonium se confert, sex vel septem nigras cohortes veteranorum peditum conducit, quas Matthias Rex ad imitationem Janicerorum Turcicorum, perpetuis stipendiis ad quatuor millium numerum alere solitus erat. Posonio Budam profectus, inde cum magnis cohortibus, & prætoriano comitatu, ad solvendam Cassoviæ obsidionem festiuat, cui adjunxit se Stephanus Zapolyay, Episcopi singuli ex antiquo instituto, sua addiderunt banderia. Milites octingentos Strigoniensis, Colocensis ducentos galeatos, centum levis armaturæ, Agriensis, quadringentos, parem ferè numerum Transylvanus, Vaciensis circiter centum, Zagrabiensis paulò minùs trecentis, Varadiensis trecentos, Chanadiensis ferè centum, Jaurienfis ducentos, Sirmiensis cum Diaconense circiter centum, tantundem Nittriensis, Sigismundus Quinque ecclesiensis Chanzares paucissimos dedit, alioquin ditissimus, verùm genere Alemannus, minùs Reipublicæ Hungariæ studens: qui pacato Regno, à Rege multâ pecuniâ inuictatus est. Erepta ei tunc erant ducenta, & octuaginta aureorum millia, quam summam quoad persolveret, in custodiâ habitus est. Hic enim ex sacerdotio viginti ferè millia aureorum annuatim percipiebat, & præterea quæstui deditus erat, ut ne à boum mercaturâ abstineret. Quare post mortem, præter eam pecuniam, quæ variis occasionibus interversa, & à servis oblata fuit, ducenta millia aureorum in ærario ejus reperta fuerunt.

*Regni status turbulentus.*
*Defectiones ad Maximilianum.*
*Albertus Cassoviam obsidet.*
*Blasius Magyar Alberti partialis moritur.*
*Banderia Ecclesiasticorum ex antiquo instituto.*
*Chanhariensis quinque ecclesiensis Episcopi divitiæ.*

Interim Maximilianus occasionem arripiens absentis Regis, in Hungariam irrupit; Sopronium deditione cœpit. Inde Sabariam, quæ portas aperuit, obtinet, deinde ad oppidum Vasvar trajecit. Quo audito, Uladislaus Stephanum Bathory, & Paulum Kinisi, ad muniendam Albam mittit, qui brevitate temporis exclusi, & necessariis destituti, ubi adventare propè Maximilianum intellexissent, Albæ jacturam minoris ducentes, collocato ibi præsidio, Budam se conferunt. Cæsar ad Albam oppugnandam castra promovet, militibus certis ad Vasvar relictis, qui à præsidiariis ibi non levem acceperunt cladem. Albâ in potestatem suam redactâ, hoc continentiæ monumentum edidit Maximilianus, quod templum ingressus donis, & monumentis refertissimum, quibus Reges Hungariæ locupletissimè eum locum, in quo auspicia Regni faciebant, exornatum voluerunt, nihil ex tantis copiis etulit, præter unam auream crucem, illamque modicam, quæ majorum suorum, Principum Austriæ fuisse dicebatur, cui testimonium insigne gentilitium præbebat.

*Maxilianus Sopronium capit Itemque Sabariam. & Vasvar.*
*Albam occupat.*
*Continentiæ exemplum in Maximiliano.*

Continuasset bellum Maximilianus contra Uladislaum, verùm propter seditionem militarem, Budensem obsidionem solvit, Viennam redit, capto in itinere Vasono, Paulo Kinisii arce: quare & Principes Imperii quoque præferendam bello pacem, neque lacessenda Regis arma, qui & Christianus esset, & socius, neque postremus inter septem viros Imperii Electores censebant. Nec ipse Uladislaus novitate Regni, & domestico negotio occupatus, pacem non optabat, quæ post longam disceptationem conditionibus Hungaris plerisque invisis, ac improbatis, facta est: quarum hæc fuit summa. Ut pacta, quo tempore Corona redimebatur, inita restaurarentur. Vladislao sine prole moriente, Regnum ad Austriacos devolveretur. Maximiliano in bello expensæ, centies mille nummum numerarentur. Regius titulus utrinque relinqueretur. Summi honores, ut sunt Palatinatus, Duumviratus S. Coronæ, & cœtera ejusmodi munia, ex consensu utriusque conferrentur. Hæc ubi legati Hungaris retulêre, vehementer exhorruerunt, parumque abfuit, ut non à populo trucidati essent, non pacem illam sed pactionem servitutis, neque fœdus, sed fœdum mancipium, summo omnium furore audientes, Emericus Prini Palatinus, publicâ per plateas Posonienses proclamatione his contradixit, tanquam Regni libertatem defendens. Quo cognito Cæsar, & Vladislaus eum largitionibus delinire contendunt, cui, & arcem *Saaros*, cum titulo S. Rom. Imperii Principis, & Ducis *Saarosiensis* offerunt. Qui avaritiâ, & ambitione adductus eo est, ut tanquam privatum se fœderi subscripturum diceret, non verò tanquam Palatinum. Verùm dùm diplomata super hac re expediuntur, ipse gravi morbo correptus Budæ moritur.

*Qui ex Hungaria Viennam redit.*
*Vasonum capit.*
*Pax cum Maximiliano quibus conditionibus facta.*
*Displicuit Hungaris.*
*Emericus Prini Palatinus cõtradixit.*
*Largitionibus corrumpitur.*
*Emericus Prini, Palatinus moritur.*

Pari ratione cum Alberto pax inita certis conditionibus: & Budam Vladislao reverso, Beatrix Regina ne voto frustraretur (intercesserant enim inter eos matrimonii pacta) de conjugio laborare cœpit, quam ille bellorum adhuc imminentium prætensionibus placuit. Hiemis tandem oportunitate, militiæ Præfectis, Bathoreo, Kinisio, & Stephano Zapolyâ, Alba recipitur; mox Vesprimium, Vasonium, & Sabaria Regiis restituitur. Dein-

*Pax cum Alberto.*
*Albam recipit Vladislaus.*

*Albertus Cassoviam obsidet. Eperiessini comprehenditur.*

Deinceps Albertus rebus novandis, intentus, Cassoviam obsidet, ubi amisso Polonorum exercitu victore Stephano Zapolyâ, cum viginti equitibus fugâ sibi consuluit, & Eperiessinum pervenit, ubi à persequente victore obsessus, nullo remedio existente, deditionem facit, quem tamen Uladislaus firmatâ pace in Poloniam liberum dimitti jubet, in conditiones istas, ut nimirùm Uladislaus Hungariam, & Bohemiam retineret, fratri verò Alberto Ducatum Glogoviensem, & Troppoviensem traderet.

*Vladislaus multas leges cõdidit.*

Jurisdictioni præterea data est præcipuè opera, nec aliquis inter Reges Hungariæ, qui plures condidit leges, quæ licet non temerè sint ferendæ, quod benè Republicâ constitutis non opus est multis scriptis, sed paucis legibus, velut tesseris, ut de Republicâ & privatâ consentiant: tamen necessariæ erant Vladislao Regi, quò in altâ pace silentibus armis judicia rectè debito ordine procederent, quæ sunt delubra æquitatis. Inter cœteras verò leges Monarchiæ S. Coronæ, hac tempestate communi Procerum & populi consensu renovata est, de sacro Duûmviratu continuando sanctio. Cum enim hactenùs sœpè unius fidei tantum, & curæ committeretur, majusque periculum immineret, si unius tantum fortunæ, ac prudentiæ, tot nimirùm exemplis, ac periculis experientiâ comprobatis, tantus concederetur thesaurus, duos Proceres constituerunt, quibus Rex Uladislaus castrum Vissegrad, ab antiquo conservationi S. Coronæ destinatum, ad manus nempe fideles, & gravi sacramento exacto, cum Coronâ traderet, nec ullo quæsito colore, arte, aut industriâ Coronam penes se retineret, ac Regnicolis adimeret. Illi fuerunt Stephanus Crispus Episcopus Sirmiensis, & Andreas Bathori, qui interiorem arcem *Eched*, in nominis Bathoreorum memoriam, anno millesimo, quadringentesimo nonagesimo secundo erigi curavit, eâ appositâ ad portæ frontem lapideâ tabulâ, cujus inscriptio ob verborum gravitatem, cum præclaro gentis Bathorianæ, ad æstimandam, & amandam virtutem incitamento: & optimorum quorumvis exemplo, digna visa fuit, quam in hanc chartæ faciem retulissem. Legitur itaque sic. *Magnanimus Andreas de Bathor, pater patriæ suæ, construxit hoc castrum gentilibus suis, pro quietudine, & tuitione eorum, cernens atque intelligens, quandoque paci intermisceri bella & discordias: qui rogat suos hæredes, ut nominis Bathorei non velint essa immemores: primum inter se sint concordes: Concordia enim res parvæ res crescunt, discordia verò maximæ dilabuntur. Deinde ne inventa perdant. Nam non minor est virtus quam quærere, parta tueri. Postremò. Tolerate, & Abstinete. Nam divertere à malo, & facere bonum, est fœlicitas hominis An.* 1492.

*Lex de duûmviratu S. Coronæ an. 1493.*

*Custodes Coronæ, ex sæculari, & Ecclesiastico statu*

*Duumviri novi quare electi. Decretum de sæcularibus tantum conservatoribus.*

Paulum interjectum temporis dum Statibus, & Ordinibus visum erat, ne ex perpetuo Duumviratus Magistratu, ex quo facilè ambitio, aut insolentia nascitur, aliquod custodiæ Coronæ periculum crearetur, denuò committitur asservanda interpositio jurejurando Comiti Stephano de Zapolya Palatino, Tomæ Bakoch de Erdeôd Archiepiscopo Strigoniensi. Nec multò post novo totius Nobilitatis judicio, & consensu sanctio hæc emendata, ne nimirum Regni Prælati, sed solummodò sæculares, utpote qui non solum ob fortitudinem animis insitam, ac præclarum gloriæ decus, ad constantiam in periculis circa Coronam servandam incitarentur, sed & curâ suorum filiorum, amicorum & denique totius familiæ (quâ sollicitudine plerumque Ecclesiastici carent) ne fortè infame periculum inciderent extimularentur, ad munia Duumviratus admitti deberent.

*Manifestum enim est, ad fidem, & diligentiam, ac deinde famam, & gloriam parandam, multum addere affectum naturalem parentelæ.* Hic mos ac dignitas Duum-viratus ad bellum civile hujus Centuriæ inviolabilis permansit, sed deinceps varietate eventuum, & absentiâ S. Coronæ (ut infra dicetur) interpolatus, tandem redeunte sub Matthia Cæsare Coronâ, illa quoque sanctio vetus renovata, & patriæ restituta est.

Fut verò Regnum hoc, tempore de Custodibus Coronæ constituéndis, cum delectu ex qualitate personarum adsciscendis, adeò sollicitum, ex diversis Coronæ casibus, & periculis, acceptâ cautione. Cùm enim hactenus ad eam Regibus liber aditus pateret, & à fide ipsorum minus caverent Hungari, accidit ut aliquo discrimini obnoxia, ut Vencesilai Bohemi, Othonis, Elizabethæ temporibus, cives suos in pœnitudinem, impensas, & labores immergeret.

Quod ne imposterùm contingeret, fidei sacramento firmatam ipsius custodiam voluerunt, delectis ad id personis idoneis, & patriæ amantibus, qui posthac Diadema, ad ipsas Coronationum solennitates, ex adytis suis secretioribus ministrarent.

*Sacerdotes ab administratione rerũ sæcularium decreto exclusi.*

Temporibus hisce, Thomas Bakoch, Archiep. Strigoniensis, & Cardinalis, qui custodiam Coronæ commissam demum acceptaverat, & operâ suâ Stephanum Bathori à Transylvaniæ Præfecturâ submoverat. Quâ re multum offensus Batthori, Proceres in unum convenire fecit, qui legem sanxerunt, ut omnes promiscuè ordinis sacerdotes, ab administratione Reipublicæ prohiberentur, nec nisi vocati, & privatæ rei causâ, in curiam Regiam venirent. Morte tamen Bathori interveniente, & Rege Sacerdotibus favente, stabile esse non potuit.

Mor-

Mortuus est hic Bathori Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, nonagesimo quarto, Judex Curiæ Regiæ, anno quarto post tristem magni Matthiæ occasum, fortissimi Hungariæ Herculis, & sepultus in oppido Bathor, duobus ab *Eched* arce suâ, & deinceps suorum milliaribus, in claustro, quod ipse, ex lucro, pecuniis, & exuviis Turcicis in campis *Kenyér mezô*, fœliciter & heroicè devictis, velut in signum cœlestis victoriæ, oblationem erexerat, & adornaverat. Quod ipse, ubi tempestate quadam à Valachis demolitum, & omni ornatu ad rudera propè humiliatum fuisset. Manes magnificos dignè venerata posteritas, monumentum ejusdem in templum aliud recentiùs non longè ab illo, sumptibus Andreæ Bathori, ex fundamentis, rarò præaltæ testudinis, moleque suâ sine ullo fulcro consistentis artificio, nec non insigni subselliori cœlaturâ, ædificatum transtulit. Magna tanti herois virtus versiculis hisce marmori incisis celebratur.

*Qui Curios vitâ vicit, probitate Catones,*
*Æquavitq; Numam relligione Dei:*
*Nam coluit verum prisca pietate Tonantem,*
*Et nunquam domuit fœda libido virum.*
*Hic capit Alpinos, Moldavos, protegit idem*
*Sanguine Sylvanos, & tegit ipse suo.*
*Egregio Stephanus sævos qui pectore Turcos*
*Prostravit toties, hac requiescit humo.*
*At vos ô Bathorûm gens, hunc lugete parentem,*
*Nam Bathorûm cecidit firma columna domus.*

Media tempora Vladislai fuêre, placida, & quieta, non parùm contra Turcas præsidii afferentibus veteranis Matthiæ Ducibus, Paulo præsertim Kinisio, qui post obitum Matthiæ famam virtutis bellicæ gestis magnificè rebus egregiè sustentabat, in defensione præsertim Zabuch, præclaram ante mortem suam profligatis Turcis victoriam memoriæ sacravit. Incidit inter hæc notabilis clades in Croatiâ facta per imprudentiam Præfecti illarum partium Bani, aliàs Derencem vocati, qui perfidiâ aut simulatâ virtute Frangepani extimulatus, infœliciter cum Turcis confligens, & vitam, & florem gentis, ac militaris virtutis amisit, magnâ profectò imperii illius Illyrici clade, quandò Bajazetes octo millia equitum, ad infestandam Hungariam, & Sclavoniam miserat, Ductore Bacha Cado, contra quos quidam Hungari, Sclavoni, & Croatæ, arma cœpêre strage ad Moravum fluvium gravi acceptâ.

*Paulus Kinisius Clades in Croatiâ.*

Nec parum negotii præbuit Uladislao seditio illa domestica, quæ plerumque occasionem dat, publicæ, aut privatæ mutationis à principibus quibusdam excitata. Laurentius enim Uylaky, ex sanguine Regum Bosniæ Dux (duo hoc tempore Duces in Hungariâ fuerunt, hic Laurentius Uylaky & Joannes Corvinus, ac alii præter eos Comites perpetui, & liberi, Stephanus de Zapolyâ, terræ Scepusiensis, nec non Joannes, & Sigismundus de Bozin, & de S. Georgio, cum fratribus, ac Comites de Frangepanibus, & de Corbania) cum Bartholomæo Berislao Priore Auranæ, & Kishorvato prætextu Regis incuriæ, & ignaviæ, per cladem Croaticam notatæ, primò arcanam conspirationem cum Proceribus, & Palatino, mox apertum bellum moverunt, non tam contra Regem, quàm contra togata mancipia, quæ Regem sui juris fecerant, consiliaque omnia ejus pro libitu suo moderabantur, exclusis sagatis Principibus, qui vitam & decus heroicæ virtutis, à teneris annis secuti Monarchiam S. Coronæ, in veteri laudis, & gloriæ statu conservare cupiebant. Itaque bellum adversus Laurentium decernit Uladislaus, in quo Petrus Gereb, Regis Matthiæ consobrinus, Nicolaus Banffy, Andreas Both, aliique complures Præfecti, & Duces clari nominis fuêre: Summa rei bellicæ præfectura, Dragfio mandata. Obsesso Uylako Ducis oppido, multi ad Uladislaum à Duce deficiunt, civibus ultrò se dedentibus. Arx per Dragfium capitur, ut Uladislaus omnibus Laurentii artibus, & ditione, quas in Sirmio, & inferioris Pannoniæ partibus habebat, brevi temporis intervallo potitus videretur. Tandem Kishorvati factiosi contumaciam domat, omnibus suis arcibus quatriduo exuti, quem Maximiliani Cæsaris, & Sigismundi Regis Poloniæ deprecatione in gratiam recipit; sicut & Laurentium in conspectum sui Quinque ecclesias deductum, cui non multò ante difficiliorem se ostenderat, suppliciter culpam in alios factiosos referentem, datâ potestate abeundi dimisit, ipso Bartholomæo Berislao Priore Auranæ vinculis constricto: quem, dum de cœteris quoque seditiosis facilè triumpharet, nocte culeo insutum, in præterfluente submergi curavit.

*Seditio exorta contrà Vladislaũ. An. 1494.*

*Prior Auranæ seditiosus.*

*Bellum cõtra Laurentium Ducem An. 1495.*

*Prioris Auranæ supplicium.*

Rebus in Hungariâ compositis, Uladislaus in Bohemiam, postulantibus Bohemis proficiscitur. Ibi non honorificè exceptus, ante omnia ordinandis rebus publicis vacavit, in quas multa inordinata irrepserant. Eo enim tempore plerique à Pontifice defecerant, quibus in sacerdotes insultantibus, vires Bohemi subministrabant. Hi odio furentes exturbare adversarios statuerunt, sacerdotia eorum invaserunt, ab inertibus illa possideri exprobrantes, quibus sub specie religionis, ad privatum questum abuterentur. Spectabantur templorum eversorum

*In Bohemiâ defectio à Pontifice.*

rum ipsa vestigia, & ruinæ sacrarum ædium ejectæ, & Monasteriis Moniales, & plurima alia, ab adversa Pontifici parte patrata.

*Decretum in campo Rakos de Hungaro Rege eligendo anno 1505.*

Temporibus his celebrata sunt Comitia in campo Rakos, ubi omnes Proceres tam Ecclesiastici, qvàm sæculares, & reliqui status Regni, mutuò se se obligarunt, strictissimo fœdere, ac juramento, ne ab exteris nationibus Regem sibi eligerent, sed de sua ipsorum progenie, & linguâ, additâ etiam gravissimâ perpetuæ infidelitatis, ac perfidiæ in patriam notâ, ac pœnâ, qui contra statutum hoc quovis tempore consulere, aut facere ausus fuerit. Cui statuto Emericus Prini Palatinus acerrimè obstitisse fertur. Nam cum Comitia Posonii celebrarentur, & ipse artuum doloribus laboraret, sellâ per Urbem circumlatus, decreti iniquitatem, ut credi volebat, detestatus, deprecabatur, Regni jura perturbantis, quæ nullâ exceptione liberum jus Hungaris permitterent, sive ex suis mallent, sive exteris Regem eligendi. Neque priùs queri destitit, quam minis coactus, suo signo apposito decretum obsignavit, non ut Palatinus, (quemadmodum declarabat) sed privatus. Hujus conventus generalis decretum, etsi non reperitur in usitato Decretorum Uladislai numero, tamen sequentibus annis, nempè Millesimo, quingentesimo septimo, fuit mentio illius, & confirmatio. Conformis hæc Hungarorum sanctio videtur fuisse Constitutioni aliorum quoque illius Regnorum ac Romani Imp. præsertim, ubi publico statuto cautum, Fridericus Barbarossa Imp. renovavit, ne Electores Imperii alium, quàm Germanum in Imperatorem eligere possent, non secùs ac olim in populo Israelitico, interdicto Divino prohibitum fuit, ne aliunde Regem, quàm ex fratribus suis reciperent, præter id enim quod patritii libertatum patriarum observantiores sunt, & gentis suæ amantiores, inclinantes ad periodum suam, & miserrimæ Reipublicæ indicium esse, quæ in virorum penuriâ, ex terris peregrinis gubernatorem adsciscit. Et illud haud dubiè respexerunt ætatis illius Proceres, quòd nulla natio esset, quæ diu ferat peregrinum imperium. Non etiam ut Princeps aliquis externus benè rem gerat, & commodè gubernet, tamen quia moribus, & ingenio differt, nec eam erga populum potest repræsentare benevolentiam, ac, si esset indigena, faciles oriuntur dissensionum occasiones. Indeque & signa, & causæ nascuntur ruituræ Reipublicæ. Ideò Galli imperium ad externos non deferunt, ac ne ad fœminas quidem, ut ne summa Regni sit penes aliquem externum Principem. Nec verò istud de domo Austriacâ intellectum velim, ex qua quando liberâ electione præviâ Reges adsciscimus, pro externis penitùs censeri non debent. Sunt enim ex sanguine divorum quondam Hungariæ Regum, deinde Principes ipsi per Austriam, quæ sedes Archiducalis, sunt nobis vicinissimi, ipsa quoque Provincia nomen aliquando superioris Pannoniæ obtinuit, in uno quondam cum Hungariâ nostrâ corpore. Denique ob Cæsareæ dignitatis eminentiam, quæ cum maxima sit in Christianitate, & illa isti familiæ deferatur, unde authoritatis virium, & roboris accessio, Hungari libenter potenti Monarchæ gubernationem Regni sui deferunt.

*Vladislao filia Budæ nascitur dicta Anna.*

*Nascitur Ludovicus præsentibus testibus.*

*Sine cute quæ mirabiliter obducta à medicis.*

*Disputatio de coronãdo Ludovico puero.*

Reverso ex Bohemiâ Uladislao, Anna Regina anno altero, postquam nuptum ex Galliâ in Hungariam venerat, filiam Budæ peperit, cui est matris inditum nomen. Inde otium Uladislao per biennii tempus, quoad Anna Regina iterùm uterum gerens, mensibus exactis, gratia refutandi calumnias eorum, quos infenso animo partus eventum, expectare non ignorabat, unum è Principibus Hungaris advocandum curavit pro testimonio masculini partus, quo præsente (Joannem Scepusium fuisse suspicantur) Ludovicum peperit, & ab obstetricibus, præ pudore munia sua negligentibus deserta, exorientibus in utero doloribus, expiravit. Natus Ludovicus sine cute, quam medici ipsa die corpori tenello plurimis fomentis obducere debuerunt, ac ut proditum est, in sue medio per spinam secto atque exenterato infantem, quoad bestiæ calor inciperet defervere, impositum habuisse, mox in aliũ, quæ ad hunc usum, cæsus præstò esset, & exinde in aliũ, eodẽ ordine imissũ, donec manans supernè cruor, ut in pustulis videmus, sensim intenuẽ pelliculã coalescere atq; induere cutẽ inciperet. Hæc ominosa visa, nudum pelle corpus, & omissum nomen (Pater enim illi nomen Julii indere volebat, sed mater obtinuit ut Ludovicus nominaretur) nudationem & diminutionem Regni portendere credebatur. De Ludovico tandem insigniis Regalibus ornando, magnæ inter Hungaros ortæ disceptationes, ut potè quod libertatis avitæ assertores, puero in cunis vagiente coronato, eum nonnihil labefactari existimarent, quasi hæreditariè Regnum in eos, quorum nullum virtutis adhuc justitiæ, & magni animi specimen extitisset, devolveretur: querebantur libertatem per manus majorum sibi traditam eripi, & velut per jocum & ludum in hæreditarium Regum jus transire, fore suspicati, ut Ludovicus quoque, ubi liberos susceperit ex testamenti tabulis Regem sit declaraturus. At Bohemi, Moravi, Silesii, persuasionibus multis apud Hungaros effecerunt, ut citra levitatis notam, in proposito persisterent, neque Uladislaum, necdum ex luctu Annæ defunctæ recreatum, novo dolore affligerent, vel verò offensionibus auctis, è vivis tollerent. *Hominem semper constantiam decere, maximè in fungendo officio, habendo honore summis Regibus, qui Dei immortalis vim majestatemque in terris referrent.* Ita Ludovicus vix expleto altero anno,

*Ludovicus*

Rex

Rex Albæ per Thomam Cardinalem Strigoniensem coronatur, & anno sequenti Pragæ in Regem Bohemiæ per Stanislaum & Joannem Thurzones, Olomucensem & Uradislaviensem Antistites. Eodem anno Maximilianus Romanorum Rex comparato exercitu in Italiam se accingebat, eo imposito, ut Imperialem Coronam à Julio II. Pontifice acciperet, & insignibus Imperialibus adornetur. Quod ut ne assequeretur Ludovicus Galliarum Rex, qvi tunc Mediolanum ditione tenebat, & Veneti omnibus Italiæ aditibus præclusis, magnisqve exercitibus obstitêre, eoqve temporis Goritiam, & alia triginta sex Castella in foro Julio, Maximiliano Regi eripuerant.

*biennis coronatur. an. 1508. & anno 1506. Pragæ.*

Uladislaus verò in Hungariâ, & Bohemiâ Rex, cum Ludovico filio Rege Hungarorum coronato, Uratislaviam concessit, eo consilio, ut à Silesiæ Ducibus, & Urbibus juramentum fidelitatis, quod Homagium vocant, reciperet. Eâ de causâ inter Hungaros, & Bohemos orta dissensio, utrisqve Silesiam ad se pertinere contendentibus, sibique id præstandæ obedientiæ munus fieri debere adstruentibus. Bohemi ejus terræ proprietate gloriabantur: Hungari in possessione ejus se esse, jure belli, & pignoris nomine docebant. Silesiam Duces, & senatus populusque Uratislaviensis veriti ne inter hæc duo Regna funestum bellum eâ litis face accenderetur, à juramento hac vice præstando abstinuerunt: quæ ipsorum cunctatio labescente paulatim, per negligentiam Hungarorum jure, deinceps totam Provinciam cum Moraviâ, & Lusatiâ, à corpore Hungarico in hanc usqve diem abjunxit.

Excessit illinc post mensem sesqui alterum Vladislaus. Nec multò post ad Sigismundum Poloniæ Regem Legatos mittit Casimirum Tesnensem Ducem, & Michaëlem Hanel, Parochum Budensem, qui post multos hinc inde tractatus super connubio Sigismundi habitos, Barbaram Stephani Scepusiensis Comitis filiam ei in matrimonium desponderunt, quæ postea anno 1512. Regia sponsa Trencinio Cracoviam advecta est per Hedvigem matrem, & Joannem fratrem Scepusiensem, qui post in Hungariâ regnavit. Ob quod contractum, matrimonium inter alias causas Maximilianus Sigismundo infensior factus, bellum eidem intulit, excitato vel adscito in societatem potente Basilio magno Moscovitarum Duce, qui Riphæis montibus & aris Alexandri magni, ubi nunc Smolensko arx sita est, Litvanos bello lacessere cœpit. Illi Maximilianus consilio, & auxilio adfuit, Italos & Germanos magno stipendio conductos per Pomeraniam, Prussiam, & Litvaniam terrâ mari submisit, qui Basilio se ad bellum præparanti tormenta bellica, vetustate inutilia reficerent, & plurima ex ære funderent. Simultatum autem inter Maximilianum Cæsarem, & Hungariæ ac Poloniæ Reges sui Casimiriadem familiam materia, qnod nimirum Regni Hungariæ, & Bohemiæ tenebant possessiones. Albertus, siquidem Romanorum Hungariæ & Bohemiæ Rex, ea Regna aliquanto tempore retinuit, in iisque Ladislaum Posthumum successorem designavit, post suum tamen decessum, Vladislaus Iagelloniades, Casimiri Regis frater, qui ad Varnam occubuit, Regni suffragiis Hungariam accepit, & iterum post Matthiam Vladislans Casimiriades Sigismundi Poloniæ Regis germanus illi regno præfuit. Hinc odii fomenta, non sine sanguine, hinc Maximilianus Sigismundo Polono hostes parabat ipsi, & Hungarorum Regi infensus, Erat etiam antiqva simultas inter Polonos & Germanos ob Pomeraniæ & Prussiæ terras, quas Theutones Cruciferi, iidemque advenæ in Sarmatiâ sibi vendicabant, Polonosque eorum possessione expugnabant.

Tranquillæ verò res in Hungariâ à Turcis fuerant, Rege continuè pro pace orante, & ut multorum opinio habebat, precibus suis Bajazethem à Christianis adversus Persas avertente. *Verum ut securissimam pacis, & tranquillitatis malitiam turbulentissima quæque sequi solent*, hæc tranquillitas circa finem imperii Vladislai commutata est. Mortuo enim Bajazethe Selimus successit, adversus quem sacrum bellum paratur, missis ad Pontificem literis quibus contrahendarum copiarum, & contributionum à personis Ecclesiasticis facultatem impetrat, sed interrupit Julii Pontificis mors. Tandem ad successores ejus legatos mittit, fœdus persuasurus, tùm de sacra pecunia cogenda acturus, pro auxiliis impetrandis. Cui ipse omne studium pro defensione Christianitatis promittit, compellaturus eo nomine etiam Principes Christianos alios: Monet interim ne desponderet animum; cum adhuc Hungaricæ virtutis in posteritate superessent monumenta. Quod Hungari pro merâ pollicitatione interpretabantur, aliquantum de neglectu sui querulantes. Sed æquioribus fatis tandem Selimus mutato consilio in Achomatem fratrem bellum convertit, qui ipsi imperium dubium faciebat. Ut verò Asiatico bello intentus, ab Hungaris tutus esset, fœdus cum Vladislao renovavit: propter quod plurimi Regi obloquebantur, ejus otium criminati, quasi ipso regnante à virtute in desidiam degeneres prolapsi essent. Scissa ergo fuerunt Hungarorum studia, aliis Regi complacere volentibus otium, aliis bellum suadentibus.

*Vladislaus sacrum bellum parat.*

*Pontifex promissis animat Hungaros. Fœdus cũ Turca renovat Vladislaus, quod plerisq; displicuit.*

In hac votorum diversitate supervenit Thomas Cardinalis Româ, qui sub mortem Iulii secundi ambibat Pontificatvm, sed spe frustratus, ut dispendia pecuniaria ibidem facta resarciret, Hungaros obtentâ Cruciatâ (ut vocant) sacrâ, ad bellum Turcis inferendum incitat, erectoque sacræ militiæ signo bellum promulgare constituit. Confluunt frequentes flagrantibus animis, persuadente longâ oratione Cardinale; augebat multorum fiduciam hominum numerus, unde nata Seditio rusticana, ostendit quàm grata gratuita illa militia Deo fuerit, & quantum ad sublationem delictorum (quo nomine illa colligi prætendebatur) momenti attulerit. Multitudo enim collecta, impium nacta caput Georgium Doscha Siculum, militarem virum, oblataque libertatis asserendæ oportunitate, bellum illud servile, aut rusticum in dominos suos conflavit.

*Thomas Cardinalis erigit Cruciatam.*

*Oritur seditio rusticana. 1514.*

Cujus eventus fuit quòd magna rebellantium multitudo Duce Ioanne Scepusio cœsa, & primarii capti, novoque & inaudito supplicii genere affecti sunt. Ipse enim Georgius Zekel nudus catenis vinctus coronâque ferreâ candenti redimitus, equuleo impositus, & per venas concisus est, quem sangvinem frater Lucas potare debuit. Venis iterùm clausis, missi sunt in eum viginti ex sociis, triduo inediâ macerati, qui dentibus eum laceratum vorarunt. Tandem extractis visceribus exenteratur, corpus in frustra concisum ahenis coctum, verubus tostum, comedendum reliquis appositum est, & demùm isti omnes hoc modo satiati, tragicum acceperunt exitum. Inter alios plurimos seditiosos fuit Laurentius Sacerdos, qui Georgio cum complicibus supplicio deleto aliis fugâ elapsis, ipse quoque evasit, & in Provinciam Baciam contendit, isticqve in agro Colocienſi, cum Antonio longo seditiosorum Duce consilia iterùm restaurare cœpit: quorum copias Iacobus Banffy dissipavit, & delevit.

*Seditiosorũ Ducis horrendum supplicium*

*Laurentius Sacerdos profugus seditionem restaurat.*

Antonius Longus captus in quatuor partes dissectus, Laurentius in capite vulnus accepit. In reliquam etiam plebem graviùs animadversum fuit, atque posteritati etiam illius strictâ lege cautum, ut amissâ omni libertate, nullam haberent de loco in locum commodiorem contra voluntatem dominorum terrestrium transmigrandi facultatem: prohibitus quoqve armorum usus, ac præcipuè bombardarum sub dextræ manus amissione. Sancitum insuper ne aliquis de rusticâ progenie natus, in Episcopum eligeretur, aut si electus fuerit, nemo illi decimas dare obligaretur. Bona Nobilium rusticis adhærentium non magnatibus, sed illis quorum patres, aut fratres per rusticos occisi sunt, item Regiis fidelibus, & ex rusticâ progenie qvoqve dominis, & Nobilibus probè servientibus conferebantur, nemini gratiâ Regiâ suffragante, hoc insurrectionis rusticanæ casu.

*Pœna rusticis ob motam seditionem imposita.*

*Scepusii opera in sedando tumultu rustico.*

In sedando hoc motu, quod plurimum præstitisset Scepusius, obtulit propterea Scepusio Nobilitas (Regis ignaviam detestata) Regnum qvod ille per fœdus inter Maximilianum & Uladislaum firmatum, non facilè se assecuturum sciens, arma in Selimum convertit.

Porrò sub tempore sedatæ per Ioannem Trencinium Palatinum Transylvaniæ Præfectum Comitem Scepusiensem, seditionis rusticæ, de fœderibus, amicitiis, & affinitatibus Regum Hungariæ Poloniæ, & Maximiliani agi cœptum est, per oratores primùm hinc & inde submissos, solennioribus deinde legationibus, qvibus ad Conventum dictorum Regum consensere; dictoqve Posonii conventus loco, Uladislaus cum Annâ filiâ, & Ludovico filio Budâ movit Posonium versus, quorsum & Sigismundus Regali pompâ accessit, Cæsare Augustæ Vindelicorum degente & cunctationibus adventum protrahente, qvi vbi Viennam applicuit persvasit Regibus, ut locus pro complexu mutuo & Conventu Viennam transferretur. Quod & factum reclamantibus Hungaris, & tum ob Urbis munitionem, tum antiqva odia nonnihil sinistri suspicantibus. Actum ibidem de Regum concordiâ, & ejus firmandæ per affinitatem rationibus, amplissimo trium Regnorum senatu præsente. Tandem Cæsar cum Regibus, multorumque Regum ac principum oratoribus turbâqve purpuratorum innumerâ, in templum D. Stephani augustissimum concessêre, ubi Cæsar imperiali amictu & majestate adornatus in theatrum ad hoc erectum auro & holoserico constratum cum Regibus & principibus viris consedit, ubi Annam Uladislai Regis Hungariæ filiam sibi, vel ex nepotibus duobus, altera per Thomam Cardinalem Strigoniensem ritè desponsavit: vicissim Ludovico Hungariæ Regi Mariam neptem ex Philippo Hispaniarum Rege prognatam matrimonio conjunxit. Sicqve amicitia, societas, & fœdus Maximiliani Cæsaris, cum Hungariæ, Poloniæ ac Bohemiæ Regibus sancitum est. Anna postea Ferdinandi connubium sortita. Est autem vetus illud, & Regale conjungendarum voluntatum, & parandarum amicitiarum, artificium per data, & accepta matrimonia, qvæ, velut sancta, & inviolabilis bonæ mentis sponsio, gravium sæpe litium remedia fuerunt; tutissima,

ma, ſtabiliverunt pacem, & ſervaverunt concordiam: & non tantum domi conjunctionem aluerunt, ſed & Regna contra externos hoſtes robuſtiora effecerunt.

Nec multò poſt Uladislaus ſenectâ, & valetudine confectus in rebus humanis eſſe deſiit. Hoc loco non ſine ſtupore quodam, & anxietate animi conſidero Sacram noſtram Coronam non potuiſſe evadere illam certiſſimam, & à ſapientibus multum decantatam fatalemque circa quingenteſimum annum, poſt mortem nimirùm Matthiæ primi mutationem. Ita enim prorſus accidit in multis Rebuspublicis ut dominatus, civiliſque ſtatus varietur, imò naturæ quâdam, ut ſic dicam œconomiâ, ſi non penitùs concidat, atque ad nihilum redigatur, tamen inſignem circa quintum ſœculum cladem ac mutationem ſortiri debeat. In Aſiatico Imperio ſatis conſtat, illud fuiſſe penes Aſſyrios, quingentis viginti annis poſt quod tempus Medi illud occuparunt, Athenarum imperium à Cecrope uſque ad Codrum annis quadringentis nonaginta duraſſe conſtat, & poſt illos in Democratiam mutatum. Totidem annis floruit Lacedæmoniorum Respublica, à Lycurgo ad Alexandri Magni ætatem, ſub quo concidit. Annis circiter quingentis ab expulſis Regibus uſque ad Monarchiam Auguſti rexerunt Rempublicam Romanam conſules. Non diſſimili profectò ratione uſque ad Mortem Matthiæ anno Regni quadringenteſimo computando à Sacræ Coronæ ortu & regimine Divi Stephani Anno Chriſti milleſimo, Regnum Hungariæ ad ſummum Majeſtatis ac vigoris culmen perductum, florentiſſimum Rege nimirum proprio habitum fuit, mox verò circa hoc tempus, Uladislao Bohemo ſuccedente, ſenſim defloreſcere cœpit.

*Moritur Vladislaus*

*Annus qui genteſimus Rebusp. fatalis.*

*Mutatio in Hungaria.*

*Summis negatum ſtare diu; itaque Regna, & Reſpublicæ diu fœlices perſiſtere non poſſunt. Nam res humanæ (ut ait Plato) ludibrium ſunt Dei, ſurſum, deorſumque feruntur, ac incerto curſu, huc illuc vagantur.*

*In omnibus rebus continua viciſſitudo.*

Paternorum Regnorum decus Ludovicus excepit, impar imperio per ſe gravi, partim ob ætatem teneram, partim ob diverſa Hungarorum ſtudia.

*Ludovicus Rex Hungariæ.*

Quapropter nonnulli gubernacula Regni ſtatim Ludovico commendanda cenſebant, alii Gubernatorem requirebant, cujus tutelæ, & poteſtati puer Rex commendaretur, & authoritate atque conſilio Regnum adminiſtrare tantisper, dùm paulatim ipſe ad maturiorem ætatem adoleſceret. Atque in hanc ſententiam Joannis Scepuſii & ſociorum vehemens ſtudium apparebat. Sed miſſi per illud tempus à Cæſare, & Rege Poloniæ Sigismundo Legati, facilè in hanc ſententiam Hungaros adduxerunt, ut regimen penes Ludovicum eſſe ſinerent uſque ad publicum Hungarorum Conventum, in eo, quod uno omnium conſenſu fuerit definitum, id meritò præpolleret.

Ergò Ludovicus indicit Regni Conventum, de ſe, & totius Regni adminiſtratione ſtatuturus. Frequens ad Peſthum convenit armata multitudo, poſt Scepuſius adductis ſecum præſidii causa delectis ſexcentis equitibus, quæ res adverſæ factionis hominibus præbuit occaſionem eum apud Regem criminandi, jam non Scepuſium per occultas inſidias imminere Regno, ſed quæ ratio explicatiſſima eſſet, eò viam molienti per multitudinis ſtudia, cujus Ducem ſe, contemptâ Regis ætate profiteatur, majore frequentiâ ſtipatus, quam ipſe Ludovicus, ſe Ludovici Regiæ opponere, unde futurum eſſet, ut brevi opulentiſſimum Regnum, majorum concordiâ firmatum, duorum ſimul gubernatione convellatur. *Ita invidiam profectò & exitium plerumque ſibi parit is, qui quantumvis egregius, & ſtrenuus, tamen ſe Principis ſui æmulum oſtendit.* Ex eorum ſententia tandem ſive de ſalute Regis ſollicitorum, ſive ad conflandam Scepuſio invidiam inventorum in Regiâ Urbe conventus peragendus indicitur. Ad cujus edicti famam furens multitudo, accitis ex ulteriori ripa Danubii circiter tribus hominum millibus, planiciem occupat, quæ peramplo ſpatio ad Urbis arcem protenditur, inde muris ſuccedens Regiis denuntiat, ut Conventum ad locum conſvetum transferant, aliàs in arcem impetum facturos. Sed per Paulum Tomory, qui præerat ad portam regio præſidio, eruptione in tumultuantes factâ, ad unum ferè interierunt: reliquæ multitudini errato condonato, ſedatis jam tumultibus Rex liberum in Urbem ingreſſum denuntiat. Verùm Scepuſius parvâ ſchedâ à ſtudioso ſui homine monitus, cum paucis qui comites fugæ eſſent equos conſcendit, & ſe aliis ſubſequi juſſis, Regem iratum, cui ſe ſuſpectum eſſe non ignorabat, tempeſtivè evaſit. Inde falſi de Scepuſio cœpti diſſipari rumores, ut qui ſaucius animi dolore, & ultionis ardore de Rege Turcæ prodendo conſilia agitaret. Sed Scepuſii adhuc literæ permultæ extant, quas Regno potitus ad Cæſarem Carolum quintum dedit, ad Imperii Principes, ad Reges Chriſtianos omnes, in quibus ita calumnias inimicorum refellit, ut de ejus innocentiâ nemo poſſit dubitare. Procedentibus jam Conventus conſiliis, interrogatus à Rege Thomas Cardinalis fuit, quid hoc

*Scepuſius potens incidit in ſuſpicionem.*

*Comitia in Vrbem translata.*

*Scepuſius Regi ſuſpectus fugit.*

nominis esset, atqve illius authoritas qvem Gubernatorem totius Regni clamarent? Tanta, inquit, ille, ut in ipsum Regnum, & Regem haberet imperium. Qualis ergò Rex ego futurus? picto, inquit, similis qui nullam exerceret jurisdictionem. At ego ait, ferre talem non possum. Dabitur (inquit Archiepiscopus) opera, ne & nos illum feramus. Datur Ludovico tamen qui eum instituendum informandumque susciperet, Georgius Brandeburgensis, natus ex Sophiâ Ladislai sorore, quæ Friderico Marchioni Brandeburgensi nupta, numerosam prolem ediderat. Sed in eo ut voluntas & fides adfuit, ita prudentia desiderabatur aliquando. Unde laxiori disciplinâ crevit in Ludovico immoderata in dando largiendoque intemperantia.

*Ludovico informator adjunctus. Ludovicus immoderatus opũ elargitor.*

Ajunt cum Agriæ ad quendam ex amicis divertisset, quem præfecerat ejus sacerdotii fructibus procurandis, visum vulturem qui miro artificio avibus insidiabatur, hominem per præstigias & ludibria oculorum multa effingere assuetum, quorum voluptate Rex tenebatur; ut cum sibi concederet postulasse, tùm illum quasi neganti similem, ut ita cupiditate rei potiundæ vehementiùs accenderetur, hunc unum sibi esse oblectationem reliquam respondisse, rogare magnoperè, ne sibi suas delicias præriperet, qui Rex esset facilè id aliundè comparaturus. Regi instantiùs urgenti eâ lege se traditurum dixisse, si liberum esse juberet à ratione illorum reddendâ, quibus regio ærario ex accepti, & expensi tabulis obstrictus esset. Ad hæc Regem respondisse, imperaturum se, ut illius nomen in expensi tabulis induceretur, modò avæ liceret potiri. Ita Regi avido, vulturem in magnis ærarii angustiis, quadraginta aureorum Hungaricorum millibus (tantum enim procurator fructuum debebat) redemptum stetisse.

*Vnius vulturis magnum pretium.*

Hac tempestate dum per epulas & convivia vitam amœnam Hungari transigebant, quibus importatis relanguescunt animi virtusque remittitur, Turca qui fœdera cum Uladislao pacta annos sex renovari à Ludovico petebat, quibus Ludovicus ex Sigismundi Poloniæ Regis patrui sui consilio, & aliorum assentire, Hungariam vastare cœpit, Moldavia, ac Valachia tributariis affectis, & maxima parte Sclavoniæ subjectâ. Collegerat quidem Ludovicus sexaginta millia militum, sed in angustiâ ærarii (*Multa enim in res non necessarias erogando eò rediguntur homines, ut ad necessarias sumptu destituantur*) & dissensionibus quibusdam privatis cum Rascianis, & Mœsiis enatis exercitus iste solutus fuit. Quâ occasione visâ Solimanus, primùm Zabach recipit, tandem justo agmine profectus, Sammonium quod è regione Belgradi situm erat, exercitum adduxit, & loco idoneo castra posuit. Quæ dum ita geruntur, Balius, quem Solimannus in Sirmium præmiserat, ad vastandos hostium agros, cum Stephano Bathori Regni Hungariæ Palatino congreditur, ab eoque profligatus, versis tergoribus ad Solimannum cum ignominiâ in castra rediit. Quâ victoriâ potitus Stephanus, cum & ipse inde recessisset, Balius per exploratores de eo certior factus, recollectis viribus, relicta oppida, & pagos depopulatur, longè latèque vastat, incendit, cœsis omnibus, nullo ætatis, aut sexus discrimine: Quæ verò ab incendio superfuerunt materiam aliquando restaurandorum oppidorum exhibitura, aut igni corrumpenda, aut in vicinos amnes rapidissimos devehenda curavit. Tandem obsesso Belgrado (spretis novi Regis juvenilibus annis, & Proceribus de administratione Regni discordantibus) in cujus præsidio inter alios Franciscus de Hedervára collocatus fuit dicti castri Banus, cum ob maximas difficultates, jam planè in sententiam solvendæ obsidionis Balius venisset, eum transfugæ duo Rasciani adeunt, qui ipsi ad cœpti continuationem animos addiderunt, edocueruntque qua facilior esset, ob infirmitatem murorum capiendi ratio; quibus per dies quinquaginta quassatis, militum paucitate, quorum quadringenti numero erant ipsi impotentes, tormentis quoque bellicis destituti, & interim turri altâ templo contigua ab hostibus captâ, incensâ arce, & per cuniculos igneo pulvere repletos muris dirutis, non satis fideliter, & strenuè Rascianis (qvorum major pars in Urbe) resistentibus deditionem fecerunt. Propter hanc fortè ignaviæ & proditionis notam, legibus cautum est, ne post hac aliqvis Rascianus in præsidiis præfecturam, aut castellani officium gereret. Sub ipsâ Belgradi expugnatione fumantibus adhuc vestigiis Turcarum, in Hungariam advecta est Maria Ludovici sponsa, neptis Maximiliani, ex Philippo Hispaniarum Rege prognata, Caroli quinti soror. Expugnato tandem Belgrado, & præsidiariis benè munito, Solimannnus Hadrianopolim redit. Ludovicus à suis persuasus, cum formidine virtutis Hungaricæ non ulteriùs progressurum esse, securior fuit, & ad celebrandas cum Mariâ nuptias animum adjecit: Turcâ interim conscripto exercitu aliam in Hungariam irruptionem cogitante. Anno seqventi vigesimo secundo supra millesimum qvingentesimum Turca Rhodum Insulam cœpit, mox immediatè seqventi vigesimo ter-

*Turca bellum in Hũgaros, Moldavos, Valachos, & Sclavos movet 1521. Zabach capit.*

*Stephanus Bathori Balium profligat.*

*Belgradũ proditione Rasciano-rum amissum.*

*1521. Lex de Rascianis ad Præfecturas arcium non admittendis. Ludovici sponsa in Hungariã advecta. An. 1522. Turca Rhodum capit.*

tertio, Severinum arcem validam in sinistrâ Istri ripâ sitam expugnavit, locum ad res Transylvaniæ, & Hungariæ infestandas oportunum.

*Verbecii, & Zobii contra Ludovicum conspiratio*

Quatuor jam annis Ludovicus cum uxore vixerat, dum Stephanus Verbecz, & cum eo imprimis Michaël Zoby, alii quoque qui partibus Joannis Vaivodæ favebant, rerum novandarum studio, occultam hucusque factionem in apertum deduxerunt, in eam spem venientes, ut postquam Ludovicus tot jam annis nullam prolem concepisset, facilè in Joannem devolvendi regni fundamenta jaci posse. Nullis illi largitionibus, & lenociniis ad partes Ludovici traduci poterant, obstinatior præ reliquis Verbôcz, cui Rex arcem Dobroniva donaverat, delato insuper ad eum Romanæ legationis honesto munere. Neque pati poterant æquo animo Stephanum Bathoreum Palatinum. Occasione igitur Pestiani conventus, Verbôcz oratione suâ multitudinem concitavit, quæ conspiratione adversus Regem factâ dilabi cœpit. Tandem Verbôcz, & Zobi coactâ armatâ multitudine, Hatvanum pervenit, de statu Reipublicæ reformando (Reformatores enim se appellabant) consiliis susceptis decrevit, ut omnes qui hactenus quocunque Magistratu functi essent, eo se statim abdicarent. Nec mora; detractam Batthoreo Palatinalem dignitatem Verbecio attribuunt, missis ad Ludovicum audacissimis, qui eum ad comitia Hatvanum boni publici causâ vocarent. Ille tanquam à factiosorum conventu abhorrens, solutionem illius seriò mandat, & tandem instantiùs datâ fide publicâ vocatus Hatvanum pervenit, ubi per Verbecium impudenter decreta enumerata, confirmatio eorum postulata, quæ ipsi etiam non curatâ confirmatione, pro ratis habere vellent. Quæ Rex vana omnia, & irrita pronuncians, sub crimine læsæ Majestatis, & gravis animadversionis conventus solutionem præcepit. Comitia futura indicturum se, ad quæ venire deberent, promisit, quibus dictis Budam rediit. Diætæ tandem termino in campo Rakos Millesimo, quingentesimo, vigesimo sexto anno celebratæ, Verbôcz & Zoby velut perduellionis capita (*a*) citati, ubi non responderent, proscripti sunt, Palatinalis dignitas Bathoreo restituta, eâ lege, ut (*b*) quas literas Verbeczius interim titulo Palatini usus extradederat, eas Stephanus de Bathor authoritati redditus, ne jura aliquorum minui contenderet, sine ullâ pecuniarum solutione roborari, expediri fecisset. Statutum denique est, ut deinceps semper, non per tumultum, vel aliâ viâ & ratione Palatinalis dignitas (*c*) à quoquam auferatur, sed juridicè, pro tali quidem crimine, quo non officio tantum, sed & capite mulctari posset, aliàs semper vitâ comite duraret Palatinalis dignitas, virtute literarum Regiarum, quas Rex penes Goronam conservandas locari fecerat, propter cautionem futuræ alicujus in Palatinum audaciæ. Cum enim aliorum officiorum mutatio, ex solo arbitrio Regis pendeat, quocunque illa nomine vocentur, ipsa Palatini dignitas perennis est, & cum vitâ earum personarum, quæ eam sustinent, desinere consvevit, eò quòd juxta formam decreti, per Regem & Status, ac Ordines universos communiter personis meritis imponi solet. Par ratio est Duumviratus Conservatorum Coronæ, qui & ipsi mutuis Regis & Regni suffragiis constituuntur, & abdicantur.

*Arx Dobroniva Verbecio donata. 1526.*

*Palatinalis dignitas Bathoreo detrahitur*

*Decreta Hatvaniensis Diætæ annihilatâ per Ludovicum.*

(*a*) *Verbeczius & Zobius proscripti.*

(*b*) *Bathoreo Palatini officium restituitur.*

(*c*) *Officium Palatinale perpetuum. Duumviratus Conservatorũ Coronæ perennis quare?*

Cœterùm annus ille 1525. cœlesti prodigio notatus fuit. Die enim undecimâ Februarii, quinque soles in cœlo observati sunt, bini circa verum solem inter ortum & meridiem, alii duo, longo intervallo Septentrionem inter, & occasum. Portendit hoc rerum in Hungariâ mutationem, nec non tot bellorum tumultus, ac Regum motus. Eo anno Franciscus Galliæ Rex ab Hispanico & Germanico Cæsaris Caroli exercitu apud Ticinum nocturno prælio superatus, captus, in Hispaniam ductus, ubi aliquandiu captivus, duobus filiis datis obsidibus, libertati est restitutus, ac in Galliam remissus. Nec multò post immensâ auri vi Cæsari appensâ, sororeque ejus in matrimonium acceptâ, certo superinjecto fœdere, natos recuperavit.

*Legatio Solimanni ad Ludovicum.*

Munitionibus paulò ante dictis Solimannus potitus, miserat denuò duos legatos, pro renovando fœdere atque pace petendâ, ad Ludovicum, qui non solùm ut conveniebat, accepti non fuerunt, sed naribus abscissis remissi; quod quidem factum, etiam contra jura gentium, apud quas omnes jus legationis sacrum habetur, inexcusabile videretur. Danubio itaque, atque Savo superatis Hungariam rectè petit, Ludovicus viribus non adeò instructus (jam enim Matthiam secuti militares viri in fata concesserant) Principes Imperii, qui tum Spiræ conventum habebant, Cæsare in Hispaniis agente, de subministrandis auxiliis commonefacit, quod continuatis per Hungariam successibus, vicinis Provinciis, & Germanico imperio periculum imminneret. Ac decreta quidem fuerunt Ludovico auxilia, sed non præstita, quod conventus ob gravia negotia longiùs protraheretur. Igitur cum rumor turbidus de adventu Turcarum sen-

*Penuria virorum militariũ in Hungaria.*

sim serpere, in diesque augeri incipit à senioribus Hungaris, & multa expertis, ingratissimè habitus fuit, quod nec imperii, & vicinorum regnorum auxilia; nec duces ullos nec milites bellorum peritos, reliqua turba curam seniorum irridet; confisa viribus suis. Erant verò omnia ad id bellum imparata, adeò ut Paulus Tomori, qui infœliciter tentato conjugio Monachus factus fuit, post verò Archiepiscopus (*a*) Colocensis, togæ magis, quàm sago aptus, inauspicatus Dux belli creari debuerit. Hoc Duce ac exercitu vix viginti quatuor millium, Ludovicus contra Solimannum ducenta millia bellatorum habentem progressus, prælium neque Ducis peritiâ, neque virium collatione par, inire constituit.

(*a*) *Dux belli Archiepiscopus Colocensis creatur.*

*Non est autem fortis censendus, qui impar congredi audet, cum robustiore, sed sapiens est qui fortitudinis laudem non quærit, ubi temeritas infœlix, malè sumptâ fortitudinis persona, cum exitio, conjungit infamiæ dedecus.*

*1526. Bellum Mohacziense pluriimi dissuadebant.*

Ab hoc suscipiendi belli, præcipiti consilio, cui inquieti quidam favebant, Ludovicum Scepusius prolixè dehortatus fuit rationibus pluribus, ut retrò conversis signis receptum in interioti Hungariâ quæreret, aut in Regiâ Urbe vel loco alio opportuniore; si quis esset, quò brevi universi Regni viribus contractis, copiis quoque Moravicis, Silesiacis, & Transylvanicis adjunctis, accessus hosti difficilior, honestior, tutiorque Regi eruptio, de loco superiori foret. Eadem à Frangepane è Croatia scribebantur, qui in castra Mohachium vocari Regem, præposterâ ratione dicebat. Ac ipse etiam facilè in hanc sententiam adductus, cum alios belli duces, tum Strigoniensem Præsulem, Palatinumque per Cancellarium monuit, ut quæ suasit, sententia exponeret. Victus tamen pessimis patriæ consultoribus assentiri cogitur, serò execratus nimiam suam indulgentiam. Exarserant enim ita milites, ac Tomori, ut etiam citra Regis annuentiam hosti se objecturos statuerent. Quæ quanquam ita essent, non defuêre tamen qui callido commento fallendum militem per Regis fictam personam censerent, certo supposito homine, qui illi statura par, cœtera mentiretur Regis insignibus ornatus, considerando tamen militem quantumvis pectoris robore, & animi magnitudine vallatum, non suarum virium magis, quàm Ducis fiducia pugnare cum eo sperare timere, & turpe esse requiri Ducem in gerendâ re, ubi non solum militem, verum etiam lixam, & calonem delitescere flagitium est, in aliam sententiam discesserunt, additis nihilominus lateri Regis pro custodiâ, Caspare Raskay, Valentino Török, Joanne Kallay, quibus attributi generosi equi, in angustiis fugæ præsentia adminicula. Ubi congrediendum fuisset, Palatinus Regem per ordines militum aperto capite, ut cognosci potuisset circumduxit, ad accendendos animos ad prælium, nullâ tamen oratione milites compellandos dictitans, eò quòd turpe putarent veterani se à puero ferè Rege admoneri. Stephanus ergò Palatinus audiente Rege, orationem ad milites hortatoriam habuit. Dicitur Rex, cum indueret galeam, in prælium profecturus, expalluisse. Interim dum ità animis accensis milites jamjam manus conserturi in campo consisterent, vehementes flatus Caurorum, cœlo sereno orti, signa quæ in terram defixa stabant abripuerunt, & disjecerunt, quod pro tristi omine, acceptum fuit. Tum inflatis tubarum signis, absque precatione Numinum, in clamorem soluti, hostem invadunt. Cum latè belli terrore fuso, omnia sanguine & cœdibus complerentur, inventæ matres, quæ infantes liberos vivos in terram defoderent, hac unâ initâ ratione, quando cœtera subsidia deessent, suos à barbarorum fœda servitute vindicandi. Pugnatum (proh dolor) adversa nostrorum fortunâ. Fusi enim fugatique Hungari adverso marte fuerunt, ubi præter alia contigit, ut aliqui ex cataphractis, usque ad tentoria Cæsaris impetu equorum provecti, inter ipsos Camelos, quos Turcæ ex more circum Cæsaris tentoria per pedes ligatos humi procumbere compellunt, sagittis peditum confoderentur.

*Militum licentia effrenis.*

*Consilium de subducenda à prælio Ludovici personâ.*

*Rex circuit ordines militum.*

*Signum præcedens infœlicitatem belli Mohachiani.*

In hoc prælio Hungaris Prælatis, & Proceribus, Nobilitateque majori parte, non tam in ipsa acie, quàm in fuga occubuit. Cadaver Regis in rivulo Czele post duos menses inventum. Ex prælatis quidem perierunt Ladislaus Zalkanus Archiepiscopus Strigoniensis, Paulus Tomory Archiepiscopus Colocensis, Franciscus Pereni Episcopus Varadiensis, Philippus More, Episcopus Quinqueecclesiensis, Blasius Paxy Episcopus Jauriensis, Franciscus Chaholi Episcopus Chanadiensis, Georgius de Palinâ Episcopus Bosnensis. Ex sæcularibus Georgius de Zapolya, Comes Scepusiensis, Joannes Dragffy Judex Curiæ, Ambrosius Sarkan Comes Zaladiensis, Franciscus Országh, Petrus Korlátkövy Magister Curiæ, Matthias Zlini, Comes de Frangepanibus, Franciscus Hampo, Antonius Palochy, Sigismundus Banffy, Joannes Battyáni Cubiculariorum Magister, Simon Horváth Magister Pincernarum, Thomas Szeczy, Laurẽtius Banffy, Nicolaus Tarchay, Georgius More Cubicularius, Gregorius Orlowchich Capitaneus Segniensis, Joannes Paxy, Franciscus Balassa, Stephanus Atzel, Nicolaus Forgach, Michaël Podmaniczky. Capti, Michael Feketö Cubicularius, Bartholomæus Maiténi Præfectus aulonæ. Primores ex nobilibus cũ Cubiculariis & aulicis Regiis circiter sexcenti, si nõ plures, Secretarius Regius Ladislaus Thoth. Equitum multa millia; peditum 12000. cum suis capita-

*Prælati qui occubuerunt numerantur.*

*Sacularium interfectorum numerus.*

*Captorum numerus.*

pitanei: Curruum circiter quinque millia: Equorum currulium circiter quindecim millia. Tormenta majora bellica octoginta quinq;, minora sexcenta: Naves onerariæ ducentæ. Interfecti propè Strigonium rusticorum quingenti. Partim capti, partim interfecti per Hungariam in diversis locis usque ad ducenta millia. Ex Bohemis perierunt Joannes de Kolowrat, Stephanus Slik, Christophorus de Guetstein, Henricus Purkrabius, Jacobus de Urzesovith, Joannes de Urzesovith.

*Interfectorum, & captorum ex gregariis numerus.*

*Bohemi interfecti.*

Hæc est illa clades Mohachiana Monarchiæ S. Coronæ infaustissima, cujus rationes dum plerique riimantur, dicunt fatis urgentibus Regnum Hungariæ, pœnamque veterum, ac novorum erratorum reposcentibus factam. Nam sicut terrores de cœlo sæpè hominibus incutiuntur à Deo *ut fulmina, incendia, & crebri imbres, sæpè è terra, ut telluris ruptus & quassationes, sæpè ex aere, ut typhones & nymbi. Ita Turcæ asservantur à Deo feroces illi terrores, ut propæna quando & quibus providentiæ visum fuerit, immitantur.* Regis casus ab omnibus Christianis Principibus deploratus, quando annum ætatis nondum vigesimum attingens, immaturâ morte è medio tollitur, quam Regis temeritatem funesto hoc casu notabilem, ipse quoque Solimannus admiratus fuisse fertur, quòd tantæ multitudini, tam pauco suorum numero obvius factus esset; sed consiliariorum Ecclesiasticorum potiùs culpâ factum est, qui suo arbitrio cuncta disponentes, Ludovico præter Regium nomen nihil relinquebant ferè. Fluxerunt à clade Varnensi, ad hanc Mohachiensem ab anno nimirum 1444. ad 1526. anni octoginta unum, qui numerus ex novenario novies multiplicato colligitur, & inter suspectas periodos, ut & septenarius computatur. Ille ut jam demonstratum, fatalem calculum in Hungariâ deplorandâ detrimento affecta movit, derivatâque in sequentem mox annum malitiâ, virtutem suam in periculosâ rerum conversione validam ostendit. Deinde accidit clades Mohachiensis 29. Augusti, qua die Nandoralba ante quinquennium intercepta fuit; ut hic dies Ludovico Regi & Hungaris non immeritò fatalis, & inauspicatus fuisse videatur. Extant hujus Regis decreta, in seriem aliorum Regum adscripta, sicut, & privilegia, & conclusiones: ex quibus elegans est illud pro Comitatu Posoniensi concessum, ubi cum sedes Judiciaria peracto prandio, etiam ventre repleto celebraretur, ex quo plerique vinosi, & ex eo facti animosi, plura longè loqui quàm sapere volentes, ea tamen quæ deberent proferre non valuerunt, statutum est, ut imposterum sedis ipsius celebratio semper ante prandium jejuno stomacho sobriè celebretur.

*Turcæ flagellum Dei ad puniendos Christianos.*

Hic profectò Rex, si nactus fuisset educatorem, qualem oportuit Regem habere, qui non solùm corporis curam suscepisset, sed multo magis optimam secundum virtutem vivendi rationem menti ejus indidisset, tàm bona indoles, quæ in puero emicuit, sopita nunquam fuisset. Mirifica enim in eo ingenii generositas, comitas morum, elegantia, rei militaris studium, exercitatio armorum, equitandi usus, & omnium aliarum artium peritia. Verum enim verò, *difficile est & arduum, Principem rectè instituere, hoc tamen fœliciter perfungi admodum salutare, ac perinde est, ac si librum per typographiam edideris. Nam quo pacto, unum papyri folium, si composueris, innumera deinde facillimo labore multiplicantur: Ita si unum Regem tuis monitis bonum reddideris, universum Regnum ad bonam frugem reducetur: non secus ac Plato, si Dyonisium sanaverit, fore ut Siciliam totam ad sanitatem redigat, profitebatur.*

*Ludovici indoles.*

*Principis institutio difficilis, & salutaru.*

In hoc certè Rege peculiaria quædam velut ominosa sunt, adnotata. Quod (ut dictum est) natus immaturo partu, extremâ cuticulâ caruit. Quod cito ac immaturè, anno nimirum decimo quarto adolevit, & ante tempus, eodem anno barbam emiserit. Et quod immaturè annum decimum octavum ingressus canos emiserit; quòd item immaturè uxorem duxerit anno ætatis decimo quinto: & tandem immaturè etiam obierit. *Hoc præcox ingeniorum genus censetur quod non facile pervenire solet ad frugem.*

Maximis hisce hostis successibus luctuosis omnes animis Regem floremque gentis perditum deplorabant, adeoque totâ Hungariâ trepidatum est, ut uno, præstantissimorum virorum robore sublato, in munitionibus firmissimis quibusque parum ulterius præsidii restare existimarent. *Buda* imprimis Regum Hungariæ sedes quondam amplissima terrore deseritur: *Maria* Ludovici Conjunx, collectis vasis & supellectili pretiosâ, comitante Thomâ Nadasdy, & nonnullis aliis Proceribus Hungaris Posonium magnis itineribus defertur: Alba quoque Regalis metu admisso, hosti triumphanti nihil invium, & difficilè cogitabat. Itaque quod loca isthæc præcipue publicis solennitatibus clarissima, fuissent loca Regni authentica, mundo Ecclesiastico amplissimè ornata, literarum & literalium instrumentorum repositorium credibile, rebus præcipuè hisce publicis, & lectissimis securitatem quæsitam manifestum est, dum hodie adhuc bona supellectilis illius pars Posonii in templo Cathedrali S. Martini dicto asservatur: duo nimirum Capituli Albensis sigilla, Prothocola, Ladulæ Fassionibus, & attestationibus refertæ, & alius ornatus Ecclesiasticus. Erat enim templum Albense ob Regum inaugurationem, & sepulturam multa quoque Regali munificentia præstantissimum, ut vel ipse Mat-

thias moriens dōnaria illi Ecclesiæ supra quàm viginti millibus æstimata reliquerit. Deinde Budensium habitus sacerdotalis Dalmaticus multiplex, ex materiâ sericeâ diversi coloris, & panno aureo argenteoque formatus: Casulæ lapidibus pretiosis & gemmis raræ quantitatis graves & illustres, quarum intexturâ subtili cruces, & imagines in dorso, & locis aliis prominent. Inter alia extat casula insignis artificii merâ gemmarum materiâ in formam competentem Anno 1450. erecta, cum imagine Resurrectionis Christi, & effigie Comitis de Zalavär Vayvodæ Transylvaniæ. Calices item & fasciculi Corallorum, quorum alii nucis avelanæ, quin & juglandis magnitudinem referunt, cum aliis rebus, & clenodiis ut materiæ, ita operis pretiosi. Quæ omnia, his Hungariam urgentibus fatis, & consternatione, Posonium deportata fuisse est credibile.

Tandem conjunx Ludovici Mariæ Caroli V. soror, amisso in Hungariâ marito, ad fratrem rediit, ex cujus mandato Provinciis Belgicis viginti trium annorum decursu deinceps præfuit, certosque ex Hungariâ reditus quotannis percipiebat, ac tandem in Hispaniâ fatis concessit.

Nec planè post funestum Ludovici casum Corona expers periculi fuit, quod quamvis Visegradum Coronæ domicilium à Turcarum rabie, & invasione divinitus conservatum esset, hoste tamen Solimanno, cœso Rege, & deleto exercitu, in Regni visceribus, adeoque sede ipsâ exultante, & triumphante, secura esse non potuit, Buda enim panico terrore (Mariâ Reginâ Posonium fugiente) deserta erat, quam Solimannum ingressum fuisse, ac inde tribus ex orichalco columnis, sive tribus signis antiqui artificii, Apollinis, Dianæ, & Herculis, ablatis recessisse: præterea nec ullum crudelitatis vestigium impressisse, historiarum monumenta recitant. Mirùm sanè, quòd non modò in amœnissimo cui, ut author quidam asserit, nullus Europæ locus comparari potest, sed & amplissimâ Urbe, & arce Regum sede sumptuosis ædificiis cultissimâ, ornatissimâque Solimannus armorum præsidium, quodpiam non reliquerit, sed neque mœnia ejus murosque, quod multi expugnatores Urbium fecêre, ne nimirum hostium essent receptacula, diruerit, sicut Attila (de aliis ut nihil dicam) in Germaniâ, captâ Argentinâ, mœnia illius dejecit, ut cunctis ad illam aditus pateret: undè viæ Arx Germanicè Strazburgum adhuc hodie nominatur. Sed nondum fatum Budæ advenerat, à rabie avarissimi, & potentissimi hostis servatæ divinitùs, quia nimirum propitius Deus hac paternâ castigatione contentus, gentem nostram cruenta illa funestaque clade ad vitæ melioris studium pellicere voluit.

*Budâ tres columnas insignes aufert Solimannus. Vrbem & Arcem integram relinquit. Argentinæ muros Attila diruit.*

Interea Johannes Zapoliay, opibus potens, ditionum suarum finibus per longum terrarum tractum, ad superioris maris oram protensis (præter Transylvaniam enim, possidebat in Hungariâ arces plurimas, castrum Trenchén, Sudcha, Leva, Kazza, Lethava, Sklabinia, Baymocz, Arva Likava, Uyvár, Dunavecz, Scepusium, Késmárk, Richno, Szádvár, Murán, Rakos, Thorna, Régécz, Bodokeö, Thallya, Tokay, Papa Ugod, Czesznek, Keövár, Zelenavár, & complures alias: adhæc liberas Civitates aliquot & Tricesimas, sibi post compositum bellum rusticanum impignoratas) viginti vel ampliùs millibus militum, quos in auxilium Regi Ludovico, sed serum atque inutile collegerat, Danubium trajicit, Urbem Budam incensam, direptam, & civibus vacuam reperit, quæ rerum facies, maximam commiserationem, & lachrymas expressit. Inde itum est Albam Regiam, quorum plerique Proceres Hungariæ utriusque ordinis convenerant, exceptis quibusdam citerioris Hungariæ, & Regnorum socialium, atque his qui Reginam secuti fuerant, Palatino præsertim Stephano Bathori. Agitatum est in conventu de restituendo statu Regni, & creando Rege omnium votis, & suffragiis. Joannes concione advocatâ, primum ob oculos ponere cœpit, Hungariam quæ tot annis sanguinem pro fide Christianâ fuderit, in extremum discrimen, & ruinam redactam esse, Procerum & Nobilitatis majorem partem bello absumptam, propugnacula denique præsidiis nudata in faucibus Turcarum esse. Deinde urgebat, Ferdinandum, non tàm imperium, quàm vindictam Hungarorum petere, externos homines eos esse, qui non causa utilitatis publicæ, sed privati commodi imperium Hungariæ ambiunt: denique jactabat suas in bello, domique victorias, ac novum nuper in rusticorum cruce signatorum seditione beneficium. Ex quibus facilè quisque intelligere poterat, ipsum in suâ gente, in qua se primum dignitate, & authoritate potentiâque reputabat, regnum conservandum persuadere, Invenit Joannes non solùm patronos, & ad stipulatores suæ sententiæ, Hungaros ferè omnes, sed etiam sui voti & ambitus suffragatores. Sunt enim qui addant, Scepusium syngrapho sibi obstrictam Principum fidem, quod ei sublato Ludovico Regnum vigore Transactionis in campo Rakos conclusæ deferretur, cujus profectò vigor plurimum Scepusii causam juvabat.

*Ioannis Zapoliay amplissima dominia.*

*In Alba Regali cōsultatio de creando Rege.*

*Ioannes se animis Hungarorum insinuat.*

*Invenit causæ suæ fautores.*

Nec modus apprehendendæ Coronæ defuit, cujus ipse cum Petro Prini, arcis Temesiensis, & partium Regni inferiorum Præfecto, juxta Regni instituta Conservator fuit. Una ergò ferè vox, & sensus erat Comitiorum, liberam fuisse semper gentem Hungaricam, cujus libertatis in eligendo præsertim Rege, maximam vim esse, ac præstantiam: major suorum iniquam

*Hungarorum argumenta ad Regē de gente sua creandum.*

quam fuisse sententiam, qui mortuo Matthiâ alienigenam Regem induxissent: Hinc tantæ calamitates, & Regni ruina, dedecusque profectum; quid deinceps in alieno Principe spei ponere deberent, ex præteritis documentis elucescere. Uladislaum Regem per negligentiam; & socordiam, sive per arcanum favorem, & necessitudinem Bohemorum, plurima Regno damna intulisse, ac Moraviam Silesiam, ac utramque Lusatiam belli jure ab Hungaris partam, contra leges publicas, in ditionem Bohemorum redactas. Quâ causâ potissimum moti in memoriam revocabant plerique Comitiorum decretum anno M D V. de peregrino Rege non eligendo, quo veluti communis consensus argumento ducti, Joannem Comitem in Regem elegerunt, & per manus Pauli de Varda Archiepiscopi Strigoniensis coronarunt, post cladem Mohacsianam mense altero, festo S.Martini, 1526.

*Vladislaus Moraviâ Silesiam, & Lusatiam ab Hungaria alienat.*

(a) Statim post electionem, & coronationem Joannis, corpus Ludovici in Albâ, solenni pompâ sepeliri curat; mox Transylvanis quoque Emericum (b) Czibakum aliàs Episcopum Varadiensem Præfectum constituit.

*Ioannes coronatus in Rrgem Hung.*

Regnum autem in duas partes divisum, parte pro suæ gentis Principe omnia moliente, & satagiente; sed pars Primorum cum eo ipso Archiepiscopo, qui eum coronaverat defectione factâ, Ferdinandum secuta est. (c) Stephanus enim Batthori Palatinus post mortem Ludovici, Joanni adversus, plures semper quæsitis artibus Ferdinando conciliabat amicos. Conventum Posonii indixit, ubi cum suis Ferdinandum Regem declaravit. Joannes Filléres quoque & Ambrosius Fogas navalium copiarum Duces ad Ferdinandum (d) transierunt, à Stephano Palatino sollicitati, qui eos per Stephanum Revai ad fidem Ferdinandi traduxerat. Et multi alii à Joanne defecerunt, Valentinus Teoreok, Urbanus & Franciscus Battiani cum pluribus; circa id planè tempus, quo Franciscus Gallorum (e) Rex nobilem Legationem in Hungariam miserat, gratulationis novo Regi Joanni, & fœdus ineundi gratiâ; quòd ipse gratiis primùm actis consulto senatu Budæ sanctissimâ societate iniit, honorificum sibi apud posteritatem fore ratus, si ita exterorum Regum favorem comparasset.

*(a) Ludovicus sepelitur.*
*(b) Emericus Czibakus Præfectus Trãsylvaniæ.*
*(c) Stephanus Palatinus partium Ferdinandi.*
*1527.*
*(d) Ferdinandus Rex creatur multis ad fidem suam accedentibus.*
*(e) Regis Galliæ cũ Ioanne fœdus.*

Dum Ferdinandus in Hungariam cum exercitu se præparat, erat ex infimâ plebe homo, qui antequam Joannes (f) Rex esset, inter stabuli ministros, equos curabat, & Jovanzarium se appellari jussit. Inter sui ordinis homines ille prædicare cœpit, se ex Despotarum familiâ ortum, qui in Serviâ olim Principatum obtinuissent, atque amissum à majoribus Principatum repetere se, si Ducem sequerentur constituisse dixit uberem fructum assecis suis permittendo.

*(f) Niger homo Iovanzarius dictus.*

His imperitorum animi maximè moti, & præsertim è Rascianis multi, ipsi nomina dederunt, accesserunt è Valachis alii, ut cum jam ad quinque hominum millia coëgisset, ex illis sex centos, ad sui corporis custodiam assumpsit, Janiceros Turcarum more appellans. Ferunt qui hominem viderunt, à dextro ejus tempore ductu æquabili ad plantam usque dextri pedis, signum unius digiti latitudine notatum. Hunc ergò successu elatum, hinc Ferdinandus, hinc Joannes sibi adjungere conabantur, missis utrinque nuntiis. Ferdinandus Franciscum Revay avum meum legatum misit, magno vitæ periculo, utpotè præacuta sudes parata erat, quanquam hospitali mensæ adhibito, in quam infigendus periret, nisi productis nomine Regis muneribus, & pecuniâ hominem vanum placavisset. Eum itaque sibi adjunxit, quo cognito Joannes per Petrum Prini (g) cum exercitu Jovanzarium aggreditur, quem Jovanzarius vicit, castris exuit Prinio vix fugâ elapso: & tandem majori cum fiducia prædando populandoque Hungaris qui partes Joannis sequebantur omnia infesta faciebat, ad victoriæ famam majori hominum numero confluente. *Fœlix siquidem rerum incœptarum initium, multos socios hominibus conciliat* (h) Sed tandem per Emericum Cibakum fugatus, & cœsus, & postremo ipse in oppido quodam interfectus est.

*Francisci Revay, ad Iovanzarium legatio periculosa.*
*(g) Petrũ Prini Iovanzarius vicit.*
*(h) Vincitur ab Emerico Cibako & interficitur.*

Hac rerum tempestate, Jaiza sedes quondam Regum Bosuensium munitissima, à Turcis vi, & proditione propugnantium capta est.

(i) FERDINANDUS verò, dum Budam magnis instructus copiis properaret, Joannes cum exercitu, Danubio transmisso, ad pagum Grobaczium nomine, infra Budam castra ponit. (k) Manebat in fide Regis Simon Episcopus Zagrabiensis, Franciscus Colocensis Archiepiscopus, & Joannes Statilius, qui veteri Budæ præerat. Ad Grobaczium sex circiter dies subsistens Joannes, equitatum, & peditatum suum collegit. Inde profectus ad Hatvan, castra posuit, simul negotium dat Francisco Bodo, ut secum Paulo Bakith assumpto cum iis quibus præerat militibus, citeriore Danubii ripâ insessâ, Ferdinandi ingressum in Regiam Vrbem observet, copiarum numerum, tormenta, apparatum; sed Germanis ex adversâ ripâ globos emittentibus, non sine gravi discrimine, ad Joannem redierunt.

*(i) Ioannes venienti Budam Ferdinando se opponit. 1529.*
*(k) Partium Ioannis sectatores.*

Interim Franciscus Bottyani Brnus, Comitia Crisium, Sclavis, & Croatis indixit, quibuscum de præsenti rerum statu ageretur, quæ florentes Ferdinandi partes & olim Joannis erant, omnes illi ad Ferdinandum transierunt, uno excepto Joanne Banffy, (l) qui nullis peramplis licet

*Sclavonia & Croatia ad Ferdinandum transit.*

(l) *Ioannes Banffy, in fide Ioannis permanet.*

cet pollicitationibus, nullis minis non bonorum incendio, amicorum, & propinquorum precibus, non uxoris lacrymis moveri potuit, quæ provoluta ad pedes, per charissima omnia obsecrando, obfirmatum ejus animum flectere conabatur. Cui respondisse fertur. Charissima, dicens uxor, aliorum bonorum jacturam ferre æquo animo possum, (fortunæ enim munera sunt potiùs, quàm bona propria mea) fidei jacturam, quæ tota à me est, etiamsi quæ sunt homini in vitâ postrema, sint subeunda, ferre haud possum.

*Ejus praclara animi constãtiæ verba.*

*Fidei & constantiæ momentũ.*

*Simul atque enim in homine desideratur fides, constantia, officii laus, quibus vinculis hominum societas copulatur, non is homo, sed hominis umbra est habendus.* Quam diu audivero Joannem Regem vivere meo suffragio creatum Regem, ei servare fidem integram animus est, ut si amissis patriis fortunis, peradeò honestam causam sit victus, diurno opere quærendus, Dei immortalis beneficio, in satis luculentâ re positus, non sim recusaturus Joannis Regis equum curare. In arce ergò Veröche totum illud tempus, quod inter pulsum Regem, & restitutum Regno intercessit, cum suis mansit, nullo unquam dato signo immutatæ voluntatis.

Porrò Joannes progressus, exploratis hostium viribus, ad Gycongykos castra posuit, quem copiæ Ferdinandi ad Tokay usque persecutæ sunt, ubi re malè gestâ, cum militibus reliquis atque amicorum coactis auxiliis, ad Zinam Joannes consedit, ubi Cacianerus Dux Ferdinandi eum persecutus prælio fudit, & profligavit, nonnullis ex Regiis spe præmiorum ad Ferdinandum pertractis.

*Ferdinandus Ioannẽ ad Tokay usq; persequitur.*

Hæc dum geruntur, Ferdinandus missis ad Solimannum literis, propter securiorem suum statum Solimanno pecuniam pollicetur, quæ literæ à Joanne interceptæ fuerunt, qui communicato cum suis consilio Transylvanum Palatinum ad Solimannum legavit, & eum de fortunâ suâ, & quibus prætensionibus ipse & Ferdinandus pro usurpando imperio, uterentur edoceret. Exinde Ferdinandus Regni compos, in Bohemiam ordinato Regno, ac administrationibus commendato rediit. Hi fuere Stephanus Bathori, cum Collega Paulo Strigoniense Antistite, Berekfasius Tauernicorum Magister, Alexius Thurzo ærarii Præfectus.

*Legatio Ioannis ad Solimannum.*

Joannes verò in Transylvaniam exercitum cogere cœpit, & ad Sigismundum Poloniæ Regem misit Archiepiscopum Golocensem, qui auxiliares copias contra Ferdinandum impetraret, cui per Sigismundum responsum, se Christianorum bellis miscere nolle, qui internecinum cum Scythis Tartarisque bellum gereret. Neutralem se fore pollicitus, daturumque operam, ut pax inter eos ex bono & æquo componi possit. Johannes Sigismundi auxiliis desperatis, ex Hungaris & Polonis mercenariis militibus exercitum comparat (Hungari enim ferè omnes ex usu victoriæ ad Ferdinandum, quem Regem acclamarunt, inclinârunt) & cum Germanis apud Tibiscum manus conseruit, victusque & castris exutus, in Poloniam profugit.

Constitit primum Poloniæ fines ingressus apud Matthæum Tarnovium, ex priori nobilitate virum, à quo honorificè exceptus fuit, consolationibus in afflicto hoc casu sublevatus: provisum illi honestâ sede fuit, communicatâ supellectili necessariâ, vasis argenteis, & alio regio apparatu. Erat unus è Principibus Polonis Hieronymus Laskius Palatinus Siradiensis, cujus operâ Sigismundus in feriendo cum Turcâ fœdere usus erat; Is Joanni author extitit, ut quia recuperandæ dignitatis alia ratio non extaret, ad Solimanni patrocinium confugeret, offerens simul laboris, studii, industriæ in implorando eo operam omnem.

*Hieronymus Laskius ad Solimannum Ioannis legatus.*

Ergò Joannes Hieronymum legatum destinat, qui celeritate usus citatis equis Constantinopolim contendit, & primum cum Aloysio Gritto, & Ebraimo, uno ex Vesiriis viris, apud Solimannum authoritatis maximæ, rem communicat. Ebraimus post biduum, Laskium ad Solimannum adduxit, legationis summam expositurum, ac eo quoque digresso, absentis apud Solimannum prosecutus est causam. *Ita ambitio, dominandique cupido sæpè impellunt Principes, ut extra sui territorii fines, periculosas insidiosasque ad alios tanquam amicos, verum hostes, & insidiatores, profectiones temerè inconsultèque suscipiant.*

Inclinavit Laskius Solimanni favorem in Joannem, effecitque ut Joannes beneficiarius ejus appellaretur. Illud præcipuè stimulum addidit Solimanno, ut Joannem in clientelam suam susciperet, quia Caroli Cæsaris, & Ferdinandi Regis potentia Turcis formidabilis videretur, qui omnia malebant, quàm ut Ferdinandus Hungariæ, & Bohemiæ Rex pacificam Regni Hungariæ possessionem obtineret, hostemqve præpotentem sibi finitimum haberent. Non ignari si Carolus occidentalis Imperator mari, & Ferdinandus ab Hungariâ, Mysiâ, terrâ eos aggrederetur, Græciam, & omne orientis imperium periclitari posse. Tum ut ideó, qvod eo tempore à Ferdinando legati ad Solimannum missi erant, qvorum alter Hungarus Joannes Oberdancius nomine, alter Germanus, repetitum qvascunqve Urbes, oppida, arces, à Ludovici tempore Turcæ occupassent, ac Belgradum nominatim. Qvo irritatus Tyrannus, eo ferventiori studio fortunam Joannis vindicandam amplectitur, & Ferdinando bello denunciato, claves, quas poscit Urbium, collo appensas in Hungariam brevi se allaturum pollicetur.

*Ioannes Solimanni beneficiarius.*

*Solimannus Ferdinando repetenti occupata, infensus.*

Fer-

Ferdinandus quæ Constantinopoli gererentur, acceptis, relicto Budæ Stephano Batthori Palatino, Viennam se recipit, ibi de modo resistendi provisurus. Et quo tempore quidem legati Viennam redierunt, Ferdinandus Spiræ conventum agebat, in quo constitutis Imperii Principibus, Joannes per literas universam causam suam exponit. Interim Laskius è Thraciâ redit, Regis animum spe lætioris fortunæ confirmans, ipsumque ad occurrendum honorificè Solimanno hortatur: Quam ob rem fœliciter confectam, arce Dunavec ad Popradum amnem sitâ, ac civitate Kesmárk remuneratus est. Joannes læto nuntio recolligit spiritum, & suos ad constantiam, ac fidem præparat, tandem de adventu Solimanni certior factus, Simonem literatum cum equitum alâ, & peditibus quingentis in Hungariam præmittit. Certatim omnium suorum fervent animi, pecuniam cum Principes, tum frequentes aulici conferunt. Valentinus (a) quidam ex eo hominum genere, qui in aulis Principum in deliciis haberi solent, ex censu suo exili, decem aureos Hungarios Regi obtulit. Utere, inquit, Rex, lætioribus tuis rebus, mihi Budæ cum fœnore redditurus; quo omine maximè exhilaratum ajunt. Simon (b) cum Polonorum copiis Hungariam ingressus ad Gassoviam cum Ferdinandi Ducibus Stephano Revay, & Thomâ Laskanii prælium committit, victoriâ Joannis exercitui favente, quâ mirificè in spem relevatus fuit, & simul è Poloniâ movens, suas copias Simonis exercitui adjungit, ac Lippam properat: Hungarorum plerique gratulatum, ad Joannem conveniunt de fœlici reditu in patriam: gavisi in his Joannes Banffy, Petrus, Marcus, Joannes Tahy, Simon Episcopus Zagrabiensis, comparato exercitu Joannes ad Urbem munitam, quam Montis Græcensis incolæ appellant adducit, à Ferdinando septingentorum Hispanorum præsidio firmatam, spe capiendæ, aut vi, aut deditione munit ionis. Quo cognito Episcopus Labacensis assumpto secum Germanorum equitatu, cui præerat Germanus Pwar nomine, obsessis auxiliaturus pergit, multis tum Sclavis, tùm Croatis, Nobilibus spontè sua signa sequentibus. Quo territi Duces Joannis se tempestivè cum copiis in Sclavonici Regni interiora recipiunt, atque ad arcem quam Szent Erſébeth vocant militem ducunt, & eam obsident, obsessis quovis modo resistere paratis. Interea Germani Monte Græcensi obsidione liberato, ad arcem in ditione Episcopi Zagrabiensis copias ducunt fiducia illius potiundæ. Rem per cuniculos agunt, varii artificii globis ignem inclusum ex repercussione emittentibus è muris Joannis milites deturbare conantur. Obsessi impigrè expugnantium impetus excipiunt, sed dum Germani pertinaciùs obsidionem continuarent in angustiâ magnâ commeatus Joannes Vagotovith præsidii Præfectus Sacerdotem quendam nocte per funem extra muros demissum, ad Episcopum Zagrabiensem cum literis ablegat, ut suorum periculum exponeretur, quòd nisi tempestivo auxilio succursum fecerit, tantâ eos affligi victus inopiâ, ut de patefaciendis hosti portis meditari reliquum haberent. Zagrabiensium animos labantes erigit, promissione propediem Turcicarum copiarum auxilii; quod nuncium ipsi ingentibus lœtitiæ signis excipiunt. Erectum fuit in summo templi fastigio vexillum jam vetustate subalbicans, quod explorator Germanorum Turcicas copias advenisse ratus pro verò suis retulit, qui ante jam de eorum adventu suspicabantur. Ita Germani temerè adhibitâ fide obsidionem solverunt.

*Conventus Spirensis.*
*Laskii in legatione dexteritas remunerata.*
*Ioannes in Hungariā redire incipit.*
*(a) Valentini cujusdā factum.*
*(b) Ducum Ferdinandi & Ioannis ad Cassoviam cōgressus.*
*Mons Græcensis, à Ioanne tentatur.*
*Arx Episcopi Zagrabiensis à Germanis invanum tentata.*

His à Joannis Ducibus gestis Solimannus adulto verè contracto exercitu Sirmium pervenit, cui Johannes in campis Mohaczianis venerabundus cum Laskio occurrit. Budenses trepidantes, quibus licuit asportatis, quia Posonium, quia Strigonium denique profugiunt relicto in præsidio Thoma Nadasdio cum Germanis Septingentis qui & ipsi viso validissimo bellico Turcarum apparatu, suffossa per cuniculos mœnia, initâ deditionis conditione, Nadasdium ne qvicqvam consentientem, quin potiùs minaci fronte reclamantem comprehendunt vinculaque injiciunt, ne resistere, aut hiscere potuisset. Quod ratum habuit Solimannus, & Germanos cum Saracinis incolumes dimisit. Nadasdius autem è concameratæ testudinis custodia eductus à Janizeris Ibraimo sistitur; à quo intemperatiùs increpatus, quod Budam Hungarus ipse contra Hungariæ Regem, & potentissimum Turcarum Imperatorem defendisset; tandem duobus Czausiis, & certis Janiceris penes ripam Danubii deducendus, per speciem Joanni Regi tradendus, re tamen verâ in subjectum flumen præcipitandus attribuitur, uno ipsum adolescente comitante. Itaque multa animo versans, repentè in navim, qvam propè ripam fluminis sors obtulerat, insilit, Janiceris eum retentâ chlamyde tenere volentibus qvâ ipse discissâ navim magnâ colluctatione sine ullo remigio impellit.

*Solimannus in Hungariam properat.*
*Thomas Nadasdi Budæ Præfectus capitur à Turcis.*
*Fugit beneficio navis, & gratiam Ioannis consequitur.*

Circa vesperum in adversam ripam ad castra Joannis delatus est, à quo veniam obtinuit, honesteqve est habitus. Autor est Iovius, Solimannum cognitâ militum perfidiâ, probitateque Nadasdi intellectâ, milites licet sub fide suâ dimissos, ad unum Ianiceris trucidandos objecisse. Nadasdium verò ipsum stipendio invitatum, idqve renuentem, humaniter dimisisse.

Solimannus occupatâ Budâ, eam clienti Ioanni tradidit possidendam, istud agens qvod agazones solent, qvi caballos feroces cicuraturi, frænum duriùs initio non admovent, neqve cal-

*Solimannus captâ Budâ Viennā properat.*

calcaribus urgent, sed leni cingunt ac molli vinculo, sensim ipsos habituri severiùs, ipse Viennam versùs profectus, in quo itinere, Jaurinum, Ovar, & omnia ferè loca ultra Laytham flumen in Austriæ finibus incendio flammisque concremata, aut vacua relinquebantur, illa tamen, hostes, licet sine præsidio essent non occuparunt. Cum Strigonio appropinquaret, Paulus Strigoniensis Antistes, qui à fide Joannis defecerat, tutiora secutus consilia, ipsi occurrit, errati veniam implorans, qui ipsum Joannis favori commendavit, ad quem tali verborum forma usus fuisse fertur: (a) *Deum immortalem obtestor, ne Virginem quidem Matrem, æquè luxisse filium salutis nostræ autorem in crucem actum, ac ego, prosecutus sum te euntem in exilium, Regno & patriis bonis spoliatum.* Ad hæc Joannes: (b) *Atqui Virgo*, inquit, *ad crucem usque filium prosecuta est, tu quod ultimum amicitiæ munus Regi deberes, qui insigne amoris sui monumentum in te constituisset, ut eum ad supplicii locum usque deduceres, non potuisti à te impetrare, imò quò graviùs flagitium esset, vix nuntio accepto euntis adversarii, ad arma ne horam quidem intercedere passus es, quin ad illam transfugeres. Facit tamen ætas tua, ut in gratiam nostram redeas.* Tantus tandem fidelitatis ardor citò deferbuit, dum post discessum Solimanni, rursus ad Ferdinandum defecit. *Compertum enim est, quò fortunam, eò favorem hominum inclinare.*

*Paulus Strigoniensis Antistes à Ferdinando deficit.*
*(a) Ejus ad Ioannem oratio.*
*(b) Ioannis congruum responsum.*
*Nova Pauli Strigoniensis Antistitis defectio.*

Continuat Solimannus iter Lyncium usque populationibus infestans omnia, Vienna (c) in medio relicta, quam viginti millia peditum, equitumque ingressa fuerant, Ducibus Philippo Palatino, Nicolao Salmensi, qui Ticinensi prælio, in quo Rex Galliæ captus est, inclaruerat, Guilielmo Rogendorfio Regiæ aulæ Magistro, Lenoardo Velsio, Joanne Catianero & Comite Hardek. Tandem Solimannus (d) præter opinionem Viennam pervenit, tentat an cunicu lis capi Urbs posset, sed irrito conatu, ac quò minùs muros subrueret, fecit muralium tormentorum inopia, quæ navali prælio, cum Volphango Odero classis Præfecto, quæ ad Posonium erat commisso, cum opulentâ omnis generis supellectili amiserat. Obsidionis (e) ergò die vigesimâ tertiâ, noctis horâ decimâ, sublatis silentio tentoriis iter arripuit, tantâ properandi curâ, ut die quintâ in campis Budæ subjectis (quod triginta duorum milliarium intervallum habetur) castra locaverit. Quanto verò cum doloris æstu inglorius hinc discesserit Solimannus, apparet ex vehementi possidendæ Urbis desiderio. Nam ex tribus optatis (f) quæ vivens animo habuerat, hoc ajunt fuisse præcipuum, ut eâ Vrbe potiretur, tanquam clave illius imperii, quod ille post Constantinum Magnum jure ad se pertinere dicebat. Alterum, ut superbum illud Templum, Moscheam dictum, absolutum videret. Tertium, ut aquæ ductus quosdam, veteris Romani artificii insignes, ad coronidem perductos inspiceret.

*(c) Viennense præsidium quantum.*
*(d) Solimannus Viennam irrito conatu tentat.*
*(e) Obsidionem solvit.*
*(f) Tria Solimanni in vita optata.*

Desideravit Solimannus in obsidione Viennensi viginti millia suorum. Inde Budam divertit, & sacram Coronam Joanni tradidit, ratus, tùm temporis Solimannus honestius primo circumvenire fraude honestâ, quàm vi apertâ.

*Solmannus Coronam Ioanni tradit.*

Quo verò pacto Corona in manus Barbari pervenerit, & quibus fortunæ telis tunc objecta fuerit, uberiùs explicare placet. Tacent ferè omnes scriptores de insigni S. Coronæ fortunâ, quapropter res hæc ab iniquâ oblivione vindicanda, teste non solum temporis illius accurato scriptore, sed etiam spectatore rerum istarum Joanne Sermegh, viro publicis muneribus celebri. Florebat in Hungariâ non contemnendâ potentiâ, opibus, clientelis inter Proceres, Petrus Prini, qui partim antiquâ necessitudine, partim suffragatione suâ, in electione Regis Joannis principem locum ac dignitatem obtinuerat, & diadema sacrum cum reliquis ornamentis privatim conservandum, contra legem Duumviratus sancitam, receperat. Verum postquàm fortunam Joanni adversam videret, & conditionem eo redactam, ut Ferdinando expeditionem in Hungariam paranti occurrere non auderet, (g) ipse quoque Ferdinandi partes secutus est, novam ipsius gratiam, & præmia occupando. Quæ ut commodius acquireret, Diadema quod fideliter ad arbitrium Joannis Regis se servaturum jurejurando promiserat, Ferdinando inaugurationis tempore exhibuit, Palatino Stephano Bathori, eum commendante, atque eum esse dicente, qui secundum consilium suum, operam præcipuam in constituendo Ferdinando Rege navasset. (frustraneos enim fuisse omnium conatus, nisi ipsi coronam attulisset.) Ejus facti gratiâ, bonis Antonii de Paloch, quæ ad manus ipsius habebantur ipsi relictis, Præfectura quoque Transylvanâ, & servandæ Coronæ, ipsi denuò commendata, Giula denique, quam Georgius Marchio Brandeburgensis possidebat, promissa fuit.

*Petrus Prini Coronam privatim custodit.*
*(g) A Ioanne ad Ferdinandum transit.*
*Præmium Prini pro datâ ad coronationem Ferdinandi Coronâ.*

Quare conscientiâ facinoris territus, ab hoste vitæ & fortunarum periculum, & quod maximum erat, Coronæ metuens, consilium à fugâ cœpit, non dissimili facto Romanarum Vestalium, quæ grassantibus in Urbe Gallis, unà cum sacris penatibus fugerant. Coronâque & sacratis instrumentis currui impositis, quæ post Joannis & Ferdinandi Coronationem, non ad solitam Arcis Vissegradiensis custodiam detulerat, sed contra leges Regni, apud se detinuerat, ex arce Soklyos fugiens, ad Saarospatak, tanquam locum tutiorem contendebat, jamque diverterat ad pagum juxta fluvium Saarviz vocatum Kaidacz nomine, noctem illic acturus. Quo intellecto & fugâ cognitâ, Joannes Szereczen Regi Joanni affinitate ac fide in

ter

ter primos junctus, extemporaneis militibus collectis, nocte intempestâ pagum invadit, ipsum Priniq; cum uxore, liberis, & omni suo thesauro, cui adjunctum Diadema fuit, capit, captivumque Joannis Banffy acerrimi partium Joannis socii fidei commendat. Isque tali præda gavisus illum cum suis omnibus, & Diademate in arcem suam Kaproneza in custodiam remisit, dum Cæsar Turcarum ad obsidionem Viennensem contendens, cum tercentenis Asiaticæ potentiæ millibus, Mohach fatalem gentis Hungariæ locum attigisset, ubi omnes hi, symbolo facto, ipsum Prini cum Diademate velut sacras Manubias Solimanno oblatas, in ipsius potestatem redegerunt. Illud fuit Prini præmium, quod pretio accepto, S. Coronæ dignitatem violavit. O facinus indignum, quis non condoleat intestinis factionibus, ubi non solùm vincula illa communis necessitudinis dissolvuntur, amor patriæ extinguitur, Regum Majestas prostituitur, sed & sacrorum cultus ac religio profanatur? Neminem enim horum S. Coronæ latebat dignitas, ac religio, cui si ac præterea honestati atque gloriæ consulere voluissent, nequaquam tali infamia, se apud hostes gentem propriam, ac patriam maculassent.

*Prini cum Corona capitur.*

*Solimanno ad Mohach traditur.*

Aliter ferè vir ætate ea summus genere & eloquentia Franciscus Forgacz Episcopus Varadiensis, & Cancellarius Regni in suis commentariis memoriæ tradidit, nimirum Prinium, cum Michaële Kessereo Palatino Regis Joannis, una cum Diademate captum, eaque occasione tandem Coronam ad Joannem rediisse. Sed facilis est consensus. Quicquid Coronæ contigit, authoritate, ac imperio Palatini, à recensitis proceribus factum esse, eximioque & specioso suæ factionis titulo, ut virtutis gloriæque loco ducerent, si ad ostendendum insigne suæ factionis studium, palmarium veluti hoc facinus patrassent.

*Francisci Forgacz de captâ Coronâ sententia.*

Evenit hoc singulari Dei judicio, ut Cæsar Turcarum, Coronâ toto eo tempore quo Viennam obsederat apud se retentâ (velut arca Jehovæ apud Philistæos) nullo fœlici eventu regressus Budam, Ioannem cum adjunctis proceribus accerserit, Corona Regalibusque insigniis ostensis, astantibusque Turcarum purpuratis sic allocutus fuerit.

*Imperator Turcarum Coronam Ioanni tradit.*

*Dii tibi hanc mentem,* inquit, *amice frater dederunt, quod spretis aliorum auxiliis, contra tui nominis hostem, meum auxilium imploraveris. Nec enim si religione, ac Deorum cultu differimus, communibus naturæ officiis, ac necessitudine distinguimur. Æquè apud nos fas, & justum colitur, æqualis vobis, cum belli pacisque conditio legesque. Iam verò expertus es & invictas esse imperii nostri vires, & fidem in amicitiâ, & benevolentiâ nostrâ esse inviolatam inculpatamque id quod vel hoc signo infallibili cognoscere potes. Diadema enim quod apud gentem tuam magnoperè æstimatur, à civibus tuis ad me delatum & apud me diligenter custoditum, in præsentiarum trado tibi tuisque posteris, perpetuo honori, atque decori. Trado, & hanc sedem Regalem, regnumque quæ licet a me armis fœlicibus, & victoriosâ hac dextra parta sit, tamen quia novæ nostræ necessitudinis leges, & clientelæ ita postulant, totum belli jus tibi dono, optoque, ut non solum prospero regni successu, optatam contra hostes tuos victoriam consequaris, sed & æternam nostri beneficii memoriam, & clientelæ nostræ dignam gloriam conserves.*

His dictis Solimannus perstrinxit Hungaros Proceres quosdam, qui fluxa fide, sacramentique immemores, tanquam desertores, oblitique sanguinis Hungaarici, ad Ferdinandum defecissent, interminatus præterea pœnas, ultoremque gladium, si ingenii levitate renovatâ, cumulatâque malignitate, iterùm à fide Joannis, occasione priori turpiore repertâ, deficerent. Dumque Joannes à Prinii, & Archiepiscopi Strigoniensis ingenio, & amicitiâ abhorreret, accusans eos, nequaquam in fide permansuros, ob id, neque clementiæ munere dignos, Solimannus responso non barbaro, sed optimo Regè dignissimo: *An tibi,* inquit, *in hac vita dignius, aut honestius quicquam accidere possit, quàm si tu clementia immortalem gloriam consequaris? hostes verò tui æternam ingratitudinis, ac ignominiæ maculam ad posteros derivent?* Quis igitur non admiretur divinæ providentiæ prodigium, quæ custodem S. Coronæ professum Christianæ dignitatis hostem constituit? Quis non stupeat pium factum, ab impio Tyranno, cum quo nulla est, ab adversa religione commercium, nulla cui fides divina, & humana colitur? Ignorantiæ & ex eâ ortæ superbiæ barbaræ, contemptuique id adscribi posset, nisi divinitus fortè excœcatus, nec religione ejus moveri, nec decus curare visus esset. Insigne profectò omen & salutare fuit, Hungariæ prædonem, & tot imperiorum, ac Regnorum eversorem, Regnum Hungariæ, cui fortuna à florentissimo statu, aut casum, aut excidium parabat, minimè eversurum, sed permansuras illius reliquias, quæ non solùm cum priscâ illâ virtutis & fortitudinis laude certare possint, sed & de hoste immanissimo laureas triumphales reportent. Quis precor jam ambigere ausit S. Coronam in tutela Dei præpotentis esse, quando ab ingratis civibus in potestatem hostis contradita, civibus iterùm, non minore fidei, quàm virtutis in hoste encomio, reddita, gravissimum proditionis, & ignominiæ probrum objicere videbatur? Quid enim ignominiosius civibus illis

*Solimanni egregium dictum, & factum mirabile.*

*Apud Turcas quare.*

*ve patrocinium.* (quorum superius fit mentio) quàm thesaurum hunc in potestatem redigere Turcarum & specioso patrocinii profani nomine, in miseram omnium conjicere servitutem? At verò hos omnes, divina tandem vindicta, ob impium prostitutæ Coronæ facinus, proditæque libertatis, seriùs, aut citiùs consecuta est. Nec enim Michaël Kesereo Palatinus ulterius, quicquam boni ad nominis sui existimationem egisse fertur, amaramque (id quod nomine ipso præfertur) & acerbam memoriam meruisse; neque Joannes Szereczen aliud Cymmeriis, ut dicitur tenebris occultandum potius quàm hoc indignum S. Coronæ captæ piaculum patrasset. Sicque Proceres illi, fatali patriæ impliciti bello, impiâ quadam obstinatione, veluti improbi adulatores hostium, oblitique Christianæ dignitatis, judicati, familiæ suæ decus dignitatemque diuturnitate temporis, propagare non potuerunt, sed unà cum facinoribus suis sepulti, æternæque oblivionis tenebris immersi, nequaquam luce S. Coronæ, quàm detestabili proditione offenderant, ac usu splendoris ipsius gaudere cum posteris poterant. Quo enim vultu ac favore S. Corona, posteros illorum, multò magis degeneres aspexisset, per quos hostibus perdita proditaque, ad inexpiabilem contumeliam, in gravissimo momento læsæ Majestatis, unà cum patriâ, summa calamitatis incommoda pertulisset? ipse verò Prini, etsi fideliter navatæ operæ præmia à Ferdinando acceperat, tamen deinde quod per negligentem ipsius custodiam Corona periculo obnoxia fuerat, levitatis & noxæ pœnas, & adversam fati sui sortem ab arcanâ S. Coronæ offensione subiit: Antea quidem quod pro sacrâ Coronâ aucupium præmii utilitatis privatæ sequebatur & accepit, nunc verò quòd negligentiorem, quàm tanti thesauri dignitas requirebat, Conservatorem se declaravit; natura vitiorum usitata, quorum uno admisso, reliqua spontè velut nexu quodam mentes humanas occupant. Prini quippe, ut suo loco dicetur, in Civitate Nova Austriæ, in qua quondam per Fridericum Tertium Imperatorem sacra Corona, sacro carcere detenta, & D. Matthiæ Regi Hungariæ ad immortalem triumphum remissa est, mandatur custodiæ, ubi mœrore, ac illuvie confectus interiit. Quod luculentius argumentum divinæ talionis, custodiam infœlicem, in loco custodiæ Sacræ Coronæ puniri? quasi justa exprobratione quod eandem iniquis auspiciis, nunc ad hunc, nunc ad illum Regem contra jusjurandum transferebat.

*Michael Kesereo proditione.*

Ea enim æquitatis, & justitiæ divinæ in ponderandis Coronæ injuriis cura est, ut illas, ac occasionibus similibus, & æquatis ut dicitur signis compensaret, ac publica ejus incommoda, privato in ipsis à quibus patrata sunt, nomine ulciscereturur. Sic occultâ & admirabili sorte, sacræ Coronæ decus singulis illis maximè funestum fuit, quicunque livore, ac superbiâ inducti, pessimis artibus indulgentes pro libidine, sacræ Coronæ leges violarunt, Regiique nominis famâ violatâ læsæ Majestatis sugillatione tenerentur. Sed ad Joannem.

*Induciæ inter Ferdinandum, & Ioannē annuæ.*

Inglorio Solimanno ab obsidione Viennensi reverso, Joannes Hyeronimum Laskium ad Ferdinandum mittit ratione induciarum, quas ipse annuas concessit, ut intra illud tempus de pacis conditionibus tractaretur. Convenêre (*a*) ergò Strigonium jussu Ferdinandi, Franciscus Revay Propalatinus Regni, ac Emericus Variassy: è partibus verò Joannis Stanislaus Albæ Antistes, & Bernardus Baksay, qui jus dicerent, & controversias querelasque dirimerent, ubi alii malorum authores proscripti, aliorum bona occupata. Coalescentibus induciis, Joannes Bauffy ex parte Joannis (*b*) Palatinus in arce Kapronecza moritur: Quo intellecto Laskius, & Verbeocz, Grittum Joanni non in Palatinum solùm, sed in Gubernatorem Regni commendant. Qui re ad senatum delatâ, majori parte, ac Nadasdio præsertim peculiari oratione dissuadente, Grittum (*c*) nihilominus Gubernatorem Regni designat, proclamari facit, Diploma superinde fieri, quod complures è Proceribus, (*d*) ac Nadasdius imprimis suis nominibus confirmare noluerunt, unde Gritti (*e*) in eosdem odium, & ultio exarsit. Simon enim Athinay furca affixus, nec à Nadasdio sibi temperasset, nisi is à Gritti Secretario admonitus, periculum metuens, ductâ in partibus Ferdinandi uxore Ursulâ Kanisay, Ladislai Kanisay filiâ, & petitâ à Joanne veniâ domum rediisset, qui (*f*) postea nec partibus Joannis, quas societate Turcarum oderat, unquam adhærere voluit. Constentinopolim Grittus, Iohannes Varadinum concessit.

*(b) Ioannis Banffy mors.*

*(c) Grittus in Gubernatorem designatur an. 1531.*

*(d) Nadasdio & Proceribus pluribus contradicentibus.*

*(e) Gritti in imperiū suum detractantes ultio.*

*(f) Nadasdius Ioannis partes deserit.*

(*g*) Fuit autem Ludovicus Grittus, Bizantii Andrea Gritto qui postea Veneti Senatus Princeps extitit, ex Græcâ concubinâ genitus, qui Turcico sermone familiare sibi facto, promovente præcipuè Ibraimo purpurato, se in consuetudinem Turcici Imperatoris insinuavit, illi compendio, quod mercaturæ, quam exercebat, quæstum totum & indagationem gemmarum pretiosarum, quarum & Imperatorem, & Ibraimum studiosissimum cognoverat, convertit, suisque de gemmarum præstantiâ multiplici, ornatu, & ad Majestatem Regiam condecorandam valore dissectationibus adduxit Imperatorem ad insanam toto orbe conquirendarum gemmarum solertiam, quibus cubilia, equestres cultus, podii parietes, & cuncta

*(g) Ludovicus Grittus qui fuerit.*

cta instrumenta exornabat: Ipse verò Grittus insignes ex auro, & gemmis cœlaturas adinveniebat; quæ res summam Gritto apud Imperatorem conciliavit gratiam, ut spe adipiscendi honoris inter Bassas sensim ad Mahometis sectam transiturus crederetur. At malè se res habet, cum quod virtute effici debuit, id aliis minus honestis rationibus tentatur, ut Gritti casus de quo inferius, illustri documento ostendit.

Tractatus pacis Posonii.

Tractatur tandem de pace cum Ferdinando Posonii, sed irrito conatu; donec utraque pars demùm bellorum procellis fatigata, ad pacis conditiones descendit ejusmodi quæ promovente Carolo Imperatore, medio Autistitis Colocensis, Stephani Brodeci Vaciensis, & Stephani Verbeocz Cancellarii Legatorum firmatæ sunt: Ut videlicet Joannes superstes, usque ad obitum regno potiretur, post obitum ejus Ferdinandus, aut unus ex filiis suis in regnum succederet.

Pacis conditiones.

Si Joannes filium post se relinqueret, illi omnes paternas arces Ferdinandus, aut ejus hæres, unà cum Transylvaniâ redderet. Hæc pax cum Ferdinando inita, non placuit Solimanno, quòd eam inconsulto, & inscio ipso Johannes pepigerat. Vigore quarum pacis conditionem, Joannes à Ferdinando auxiliares copias contra Solimannum patronum suum impetravit, qui tùm in Moldaviâ injurias suas ulciscebatur non sine suspicione invasionis Transylvaniæ, & Hungariæ.

Ioannes contra Solimannum arma sumit.

Verùm minis & exprobrationibus Solimanni beneficiorum abductus à proposito, Joannes aliud intentionis suæ diverticulum invenit. Posthæc egressus Solimannus cum immensis Turcarum copiis quintò in Hungariam, Viennæ alteram minitatur obsidionem, circa Civitatem Keoszeogh frustra moratur, propugnante acerrimo viro Nicolao Juresith. Ubi Solimannus in campos Mohachianos pervenisset, Petrus (a) Prini ad eum venit orans, ut tàm à Ferdinandi, quàm Joannis clientelâ se eximeret, & in peculiarem beneficiarum reciperet, ut sui juris Princeps foret cum pactione illius, quod sibi imponeretur annui tributi. Quod cum Joannes ex Ibraimo didicisset, operâ Gritti effecit, ut Prinio iis omnibus quæ petebat negatis, insidiæ pararentur, velut viro, duplici proditione notato. Ex arce ergò suâ Valponiâ cum splendido apparatu veniens, ad Ibraimum ire jussus, inter medios Janiceros, equo deturbatur, capitur, prætorianis traditur, servitoribus partim cœsis, partim spoliatis.

Solimannus quintò ingreditur Hungariâ. Keoszeghiũ oppugnat.

(a) Petrus Prini jus peculiare à Solimanno postulat.

Capitur.

Solimannus cum Ibraimo collocutus, primùm ad Joannem mittit, ut de eo quicquid vellet, se tamen præmonito statueret, ubi filium septennem ex duobus natu majorem scitum puerum Franciscum, alii volunt Michaelem fuisse, ut se redimeret, & deinceps partes sequeretur pro obside tulit: quem Solimannus acceptum, ac Gritto, ut Bizantium deduceret commendatum, circumcidi, & ad suæ superstitionis vanitatem cogi curavit.

Ioanni traditur. Franciscũ filium pro se obsidem dat.

Venerat Viennam Carolus Imperator cum validissimis Germanorum, & Hispanorum copiis, ut de summo totius orbis imperio cum Solimanno decertaret. Nunquam profectò ab ullâ hominum memoriâ, & ipsis Romanis temporibus, tot insignes duces, tot lecti milites, nobilitate, genere, famâ, assiduis quæsita bellis, apparatu, & ornatu bellico insignes, in unis castris conglobata traduntur, uti tùm in castris Imperatoris. Exclusus tamen tempore, quo hyemis asperitas imminebat, Solimannus Keöszeghii obsidione solutâ, Sclavoniâ igne, & ferro vastatâ, captivisque abductis, per Syrmium ad propria revertitur. Fama erat Solimannum, fortunam Caroli, tot Regum ac Regnorum victricem extimuisse, præsertim memoriam capti Gallorum Regis, adeò in præcordia demisisse, ut fugienti similis, identidemque retrò quasi imminentem Carolum respectans, indignum expeditionis eventum detestaretur. Porrò Cæsar cognito Solimanni discessu, in Italiam redire constituit, frustra deprecante Ferdinando, ut innumerabilibus, & lectissimis hisce copiis Joannem ope barbarorum destitutum adoriretur. Nam Cæsar quod hyems suberat, per commoditatem itineris, in proposito perstitit.

Solimannus redit ex Hung.

Grittus in Hungariam exercitum ducit. 1534.

Grittus tandem, qui ad perdendam Hungariam, itidem Bizantio, sub specie stabiliendi Regni, cum bis mille equitibus, peditibus mille, & tribus ad proposita perficienda oportunis, Joanne Doczy, Urbano Bottyani, Caspare Pernisch missus fuerat, per Transylvaniam iter faciebat, cui obvius fit nihil tale suspicatus, Emericus Cibacus Transilvaniæ Præfectus, quem ille in oppido Alvincio, per Urbanum Bottyáni oppressit, & occidit. Eo Cibaci amici cognito, coactâ manu, Grittum persequuntur, & redeundi, atque eundi facultatem præcludunt, ut in confertissimos hostes irruere, & in Medgyes oppidum perrumpere necesse habuerit, ibi obsidionem commodius toleraturus, fiduciam auxiliorum à Joanne Rege mittendorum, & desœvituri tumultus. Verum Transylvani cum Petro Moldavo Regulo & Transalpino, qui ante hac Gritto, ex imperio Solimanni favebant, castra oppido admovent, & ne qua elabendi supersit via, custodiâ firmant, diuturnâ obsidione toleratâ Bottiani, & Pernsith cum popularibus communicato consilio, de Gritto Transylvanis tra-

Emericus Cibacus interfectus

Grittus in oppido Medgyes capitur & interficitur.

dendo agunt, dum-modò cœdes Cibaci sibi fraudi non esset, quo bonis rationibus transacto, portas oppidi aperuerunt. Ingressi Transylvani Turcas ad unum interficiunt, vivus Grittus cum duobus liberis capitur, cui Mailáth posterâ luce veniente, mane brachia, in meridie pedes, vesperi caput amputari fecit, in cujus cruore Proceres, & propinqui Cibaci, penulas suas ad memoriam acceptæ vindictæ intingebant, duo ejus liberi, quorum senior Antonius ad Agriense sacerdotium destinatus erat, Moldavis traditi sunt, à quibus post immaniter necantur, Joannes Doci comprehensus obtruncatur. Dum hæc in Transylvaniâ fiunt, Joannes Hieronymum Lasky Palatinum Siradiensem, qui apud Varadinum hærebat, sive quod vitæ ejus consultum volebat, ne cum Gritto duce amico suo periclitaretur, sive quia Emerici Cibaci necis conscium suspicaretur, sub specie capiendi consilii Budam accersivit, ibique honestæ custodiæ tradidit; qui tandem sedato motu Transylvanico dimissus, Varadinum ad Joannem venit, à quo aliquot millibus aureorum donatus, Debrecenum etiam Civitatem ab eo tenendam accepit. Solimannus datis ad Joannem literis, Grittum repetit, minarum interminatione, & sua merita, & Ferdinandi injurias exaggerando; missum nimirum fuisse Grittum in Hungariam, ut pari cum Joanne dignitate præesset. Ad hæc Joannes præter voluntatem suam, qua præclarè vellet de Solimanno mereri, id accidisse renunciat, neque se resistere potuisse Transylvanis citra diminutionem authoritatis Regiæ, utpotè quorum propensa in Cibakum fuerunt studia. Quibus delinitus Solimannus, in commodiorem occasionem malè rem tentatam distulit.

*Nova Ferdinandi contra Joannem expeditio.*

Ferdinandus sumptâ fiduciâ è re non semel malè à Solimanno gestâ & dato negotio ducibus, exercitum conscribit, atque eodem tempore Mehemetem Belgradi Præfectum, & Joannem adoriri proponit. Bipartitis copiis Leonhardum(*a*) Velsium contra Joannem ducere jubet, contra Mehemetem Catianerum, (*b*) qui paulò antè, Trenchinium arcem, partim vi, partim deditione cœperat. Velsio Joanni, & quia à Ferdinando defecerant infestus populabundusque, arcem Saaros(*c*) obsidet, & capit; dum interim Joannes contractas subitò copias, Georgio Monacho, Petro Prinio, & Francisco Bebekio Ducibus assignat, qui contra Velsium ad Eperies castra habenda duxerunt, eumque levibus excursionibus ad pugnam educere exprobrando segnitiem conantur, sed ille inferior numero, commodiorem rei gerendæ occasionem captabat. Joannis Duces, frustra teri dies dolentes, mutatis castris commutandam belli gerendi rationem arbitrati sunt, quos Velsius ad Tokaium assecutus fundit, fugatque atque in Tibiscum propellit. Interierunt hic ex præcipuis Nicolaus Bathori, Joannes Kendi, & Joannes Kornis. Sic Velsius re benè gestâ, & Tokaio præsidio firmato, ad Echedum contendit, quo cognito Memhetes copias cogit, Joanni in auxilium mittit, ut & Ustrephus Bosniæ Præfectus accedebant, & Haidones & Rasciani frequentiori in dies numero.

*(a) Leonhardus Velsius dux contra Joannem.*

*(b) Catianerus contra Mehemetem.*

*(c) Saaros per Velsium obsidetur.*

*(d) Velsius Ioannis exercitum fundit ad Tokay.*

Interea Catianerus Capronczam exercitum duxit, ubi spe affuturæ annnonæ, cujus angustiâ premebatur, paulisper substitit. Ventum deinde ad arcem Veruczam est, unde Paulus Bakithius cum parte equitatus, & peditatus Italici missus hostium consilia exploratum. Qui ubi præter Zopiam arcem ad Dravum fluvium militem duceret, præsidiarii territi annonam & arcem comburunt, ipsi fugitivi per Bakithianos partim cœsi, partim capti, qui postea detexerunt Mehemetem ad Eszek, quam item Dravus fluvius alluit, instructis copiis ire constituisse, hostium adventum expectare, quos speraret priusquam confligat fame perituros. Perventum ad Eszek sine annonâ, neque expectatis auxiliis Saxonicis, magnâ sui fiduciâ, quasi ad exploratam victoriam.

*Fuga ab obsidione Eszeki.*

Ponebantur castra in valle planâ, opere à Turcis impedito; ad extremum infesto numine inglorii, fugientibus similes, discedere coacti sunt, corruptis tormentis, ne in hostium usum cederent, & magna sui parte ex prioribus etiam familiis, Bohemis, Austriacis, Carinthiacis, & inter eos Paulo Bakithio desiderato; ut mirum fuerit instructissimum, & florentissimum exercitus Ducem, peritissimumque, qui nuper Solimannum à Viennensibus mœnibus rejecisset, tàm fœdam infamiæ notam, illinc reportare debuisse. Verùm hic apparet, plerumque res, utut ad successum dispositæ videantur, cruorem corrumpere. Proinde boni exercitus Imperatoris munus, non in solâ acie instruendâ positum est, aut locis ad victoriam oportunis capiendis; sed etiam ut rectè Cambyses Cyro consuluit, in tuendo exercitu, ab inopiâ morbi. Joannis Macri, Lodronii, Bakithii capita, ad Solimannum missa. Catianerus profugus famosis carminibus à vulgò proscindi, perferre debuit, qui Viennæ in custodiâ habitus, pavimento, lateritio opere strato perfosso, è subjecto fornice per fenestram elapsus est, atque ad loca tutiora equis conscensis properans, de transitu ad Solimannum consilium cœpit, quò ut securiùs transiret, rem cum Nicolao Zrini communicat, adhortans eum, ut sibi in pro-

*Catianerus in carcerem traditur Vienna.*

*Elabitur ex carcere.*

propoſito conſentiret; in quo ipſi ſpecioſius blandiens Zrini, vino, & crapulâ onuſtum, immiſſo percuſſore interficiendum curavit, nunquàm ſibi probro datum iri arbitratus, ſi perjurum, & perfidum hominem, ſuis artibus deluſum ſuſtuliſſet. Pollicebatur Catianero Mahometes præter opima ſtipendia, totius Croatiæ præfecturam, ad inſtar beneficiorum Regni, ſi Solimanno in ſubjugandâ Auſtriâ fidelem operam præſtaret.

*A Zrinio perjurus interfici curatur.*

Tandem Joannes ad pacem propenſus Franciſcum Frangepanem Colocenſem Archiepiſcopum ad Cæſarem mittit, permiſſo arbitrio pleno in controverſiis, quæ ipſi cum Ferdinando intercederent; qui mox ad Fratrem Ferdinandum, Lundenſem Epiſcopum expedit Joannis conſilium, exponens, admonensque, ut unionis gratiâ aliquid de ſummo jure remitteret. Quibus permotus Ferdinandus, eundem Cæſaris Oratorem, ad Joannem direxit, de pacis conditionibus tractaturum. Is ſanctæ concordiæ procurator, tantâ fidelitate rem geſſit, ut Joannes tres legatos, eundem Colocenſem Archiepiſcopum, Stephanum Brodericum Vacienſem, & Stephanum Verbeoczium Cancellarium, ad firmandas certas pacis conditiones Viennam ad Ferdinandum mitteret. In quibus omnibus tractatibus, Regnicolæ nullam majorem cautionem exiſtimabant adhibendam, quam ne ad Regni partitionem aliquam condeſcenſio fieret, à qua maximè ſibi metuebant, ob hocque ſæpiùs apud Regem, tàm publicè, quàm privatim inſtabant, ne ſine ſcitu Conſiliariorum Hungarorum Tractatus pacis tranſigeret. Neſcio tamen an efficaci cautione hoc anteverterint, cum certi Comitatus (ut ſuo loco infra dicetur) tum ex pacto, hæredi Joannis traditi fuerunt, & hodie in Tranſylvanorum poteſtate permanent, indeque Tranſylvaniæ Principes, (*a*) titulum partium Regni Hungariæ Dominorum, uſurpare cœperunt, & ad hodiernum uſque diem uſurpant; ut Tranſylvania olim pars Regni, nunc partium Hungariæ domina appelletur. Nec ſine ratione à partitione Regni abhorrebant Hungari. (*b*) Signa enim vel potius cauſæ inclinantis Reipublicæ quæ ſint, ſi alieno periculo ſapere volumus, oſtendit Romani Imperii imago. Prima videlicet translatio ſedis Imperialis Roma Conſtantinopolim, velut pernicioſa novitas, paulatim excellentem Monarchiæ iſtius dignitatem, ad periodum ſuum urgebat, cum nullæ res exitioſiores ſint, Reipublicæ quam magnæ novitates, quibus qui ſtudent, non plus minusvè faciunt, quam ſi quis ad dandam animali meliorem formam, cerebrum ad genua, aut cor, è ſuo loco, ad cubitum transferret. Secunda illa diviſio Imperii, quam poſtquam Conſtantinus Imperator Romanorum admiſit, partitusque inter filios, ex magno imperio tria fecit, notabilis diminutio authoritatis, & virium ejus ſecuta eſt, quam mox enatæ diſcordiæ, ferè ad ruinam promoverunt.

*Nova pacis tractatio cum Ferdinando an. 1530*

*Regni partitionem aversãtur Hungari. An. 1536. decr. Art. 1 fol. 465. 483.*

*(a) Transylvaniæ Principes partium Hungariæ Domini unde?*

*(b) Signa ruitura Reipublicæ*

Poſtquam pacem cum Ferdinando compoſuiſſet Joannes, iis propemodùm conditionibus quibus antea concordatum fuiſſe paulò ſuperiùs diximus, ad publicas res conſtituendas animum convertit, muniendo Regiam Civitatem, ac diluere maculam nomini ſuo, ex uſu auxilii Turcici inuſtam laboravit, atque propagandæ etiam ſoboli animum adjecit, ductâ Iſabellâ, Sigismundi Regis Poloniæ filiâ, quam ex Bonâ Reginâ ſuſceperat. Solennitas nuptiarum & inauguratio Albæ peracta.

*Nuptiæ Joannis cum Iſabella.*

Interea Stephanus Mayláthus & Emericus Balaſſa, qui Tranſylvaniæ præerant, novis adverſus Joannem conſpirant conſiliis, antehac maximè ipſi fideles. Quo intellecto Joannes, & collecto Budæ exercitu, in Tranſylvaniam movet, conventum Tordæ indicit, ex quo datis, ad conjuratos literis, judicioſè ad certum diem ſe ſiſte jubet. Verùm Maylathus malè ſibi conſcius, in arcem Fogaras ſe recipit, ubi militum manu ſtipatus, exitum conventus præſtolari conſtituit.

*Maylathi & Balaſſa contra Joannem conſiliâ.*

Interim Joannes Balaſſam in ditiones ejus nocentiſſimas excurſiones fecit, Almas & Diodo in poteſtatem redactis. Balaſſa pœnitudine ductus, pullato amictu in Regis caſtra veniam imploraturus proficiſcitur, quam obtinuit, duabus captis arcibus à Joanne retentis, ſimiliter & Franciſco Kendi uni ex conjuratoribus ignoſcitur. Conventu dimiſſo, partem copiarum ad occupandas Kendii arces, partem adverſum Maylathum Fogaraſium dirigit, quod ſub Joannis mortem demum capitur. Ipſe enim Saſſebeſium conceſſit, neque multò poſt, dum graviter ægrotaret, accepto prius de nato filio Budâ allato, nuntio, diem ſuum obiit. Corpus ejus Saſſebeſſio Albam Regalem, comitantibus funus exterorum Regum legatis, defertur & ſepelitur.

*Ioannis Regis mors Saſſebii, ætatis ſuæ 53.*

Joanne itaque extincto, in cujus poteſtate Corona fuerat, nonnulli Proceres, Joannis filio infanti, dum ſacro fonte abluitur, Coronam imponunt, indito etiam Stephani nomine, quaſi renovatâ antiquiſſimi & ſanctiſſimi Regis memoriâ, qui hoc Regnum fœlici virtute cum religione Chriſtianâ condidiſſet: Verùm tanta erat & nominum diverſitas, ut Re-

gis sancti virtutes, & fortunam ne minima parte consecutus sit, vulgò tandem Joannes secundus vocatus.

*Prini ob defectionē ad Ferdinandum remuneratur.*

Nec multò post filii Coronationem, Petrus Prini, Franciscus Debek, Stephanus Raskay, & alii nonnulli potentes, Georgii novi hominis, viduæ, & infantis imperium pertæsi, ad Ferdinandum transierunt, ex quibus Prini summus Hungariæ Cancellarius creatus, Agriâ & Tatâ donatur. *Nunquam enim frequentiùs defectionis vitio homines laborant, quam in tali Reipublicæ scissione, ubi vel fortunæ pleniora vela secuti potentioribus se adjungunt, illorumque ope & augescere, & sua tueri cupiunt, vel ob displicentiam & odium alterius, aut simulatione erga pares accensi & leviusculis sæpe offensionibus corrupti, nunc hæc, nunc illa arripiunt consilia, sicque Principes in trepidationem adducunt, qui nullis firmis favoribus committere se audent, ipsi verò levitatis, & inconstantiæ crimine apud posteritatem annotantur.*

*Ferdinandus mortuo Joanne regni in repetit.*

Urgebant hi & cum iis Alexius Thurzo, Franciscus Bottiani, Caspar Seredi, Balthazar Bánffy, Joannes Castellanffy, Franciscus Niári, non prætermittendam occasionem armis regni recipiendi; alii mediam secuti viam consilio priùs, quàm armis rem agi suadebant, inter quos Hieronymus Laskius, qui etiam ad Ferdinandum jam defecerat. Præmissâ itaque ad Isabellam legatione per Nicolaum Salmensem Comitem obitâ, cum regnum repetenti, secundum pactum cum Joanne initum difficiliorem se exhiberet, & moram resolutionis suæ, prius rem cum Solimanno patrono suo communicatura, traheret, non sine Ferdinandi periculo, ipse usus secundis populorum studiis, celeriter ingenti, equitatu, atque peditatu collecto, Duce Leonhardo Vellio, ire Strigonium jubet, ac ne quid à tergo relinqueretur, rem gerendam impediturum, Visegradum inter Strigonium, ac Budam adoritur propugnante Valentino Deak arcis præfecto (fuit scriba è regio tabulario ad militiam traductus, opinionem fortibus factis superans) quod per deditionem capit, multis captivis, & ipso Præfecto. Mox Danubio transmisso Pesthum occupat; eo successu militem Vaciam ducit, quæ se deditione obtulit. Tandem ire Budam pergit Velsius non parùm confisus favori Budensium quorundam in Ferdinandum. Ad thermas castra ponit, sed militari seditione enatâ, dum Germani populabundi agros Hungariæ, Hungaris ægrè ferentibus vastarent, & ex Balthazaris Bánffy colloquio, quod cum Valentino Teoreok Budense Præfecto habuit, suspicione conceptâ, obsidionem solvit. Itum deinde ad Albam Regalem consultore, & ductore Prinio, qui visâ arvorum suorum populatione, portas aperuerunt. Pesthum validioribus copiis firmatur, ut Budenses in metu continerentur.

*Visegradū capit. Pesthum & Vaciam occupat.*

*Budensis obsidio solvitur.*

Interea Solimannus cognito per internuntios de arcibus occupatis nihil proficiente, apud se Laskio Legato Ferdinandi, qui pacem petitum, & significatum quod ex pacto cum Joanne facto Regnum per Ferdinandum repetatur missus fuit, suum esse Regnum prætendens, neque Joannem de eo cum quoquam pacisci potuisse, datis ad Illyrii Præfectos literis, militem cogi, naves instrui commeatum tormenta, & alia necessaria apparari jubet.

*Regina auxilio Turcarū, occupata recuperare nititur an. 1541.*

Quo facto Ustrephus & Mahometes Reginam de adventu suo certiorem reddunt, opem oppressæ à Germanis polliciti. Regina venientibus cum copiis in occursum Valentinum Teoreok mittit, quibus ille conjunctus, transmisso Danubio, Vaciam militem ducit, propugnatoribus nudatam. Pestum inde itum, ubi infeliciter tentatâ oppugnatione, tùm urbem defendentium robore victi, tùm commeatus inopiâ debilitati Turcæ discedunt, discedentes Pestiani persequuntur, Achomate qui extremum agmen agebat interfecto.

*Budam Ferdinandus adoritur Duce Rogendorffio. Regendorfius exercitus per Turcas profligatur Francisci Revay, in obsidione Budensi virtus.*

His ita gestis, Ferdinandus bellum instauraturus, Ratisbonam proficiscitur in Conventum, atque expositis Carolo Imperatori periculis, quæ non solùm Regno Hungariæ, sed, & Bohemiæ, Silesiæ, Austriæ, Germaniæ impendeant, nisi tempestivè de expellendo è finibus Turcâ provideatur, simul oportunitate rei benegerendæ commendatâ, dum distractæ essent bello Persico Turcicæ vires, Carolum ad novum delectum instituendum inducit, cui Gulielmus Rogendorfius præficitur, qui tormentis, telis, commeatu instructus, lustrato prius exercitu, Budam copias adducit, eam oppugnat varia locorum oportunitate quæsitâ. Quo cognito Mahometes à Solimanno præmissus, territis nequicquam indulturus, Budensibus imperat, ut militem ex Urbe educant, statuisse se, ut prælio commisso, profligatisque hostibus, pacatum Regnum appropinquanti Imperatori suo prepararet. Ergò collatis viribus Germani primo impetu non impigri, sed defectu recentis manus laborantes, equitatu Teoreoky etiam circumventi elabuntur è castris, partim interfecti, partim incaptivati, Rogendorfius cum paucis trajecto flumine fuga sibi consuluit.

In hac obsidione Budensi inter alios Hungarorum Duces, enituit virtus & fides erga Ferdinandum avi mei Francisci Revay singularis, qui exploratum ferè habens Turcarum Imperatorem, nihil magis in animo, & votis habere, quàm ut Budam in suam potestatem, quovis marte, aut arte redigeret, summo studio & labore internum Budensium

ſium favorem Ferdinando arcano conatu conflavit, conciliatis Judice Budenſe Joanne Athady & duodenis viris Senatoribus cum certis Ducibus militum, qui ſocietatis Turcarum hoſtes ac improborum Georgii, ac Reginæ conſiliorum conſcii, Budam Civitatem in poteſtatem Ferdinandi redigendam, dato fidei ſacramento conſpirarunt. *Subtile profectò hoc artificium. Nam Principes qui imperia ſua dilatare cupiunt, in expeditionibus voluntates primum ſibi conciliatas habere debent, & tùm miſſis copiis propugnacula murosque expugnare, alioquin difficilè vel parum illis proderit ſaxis potiri, ſi rebelles ſint voluntates.* Ne verò præclarus hic Revay conatus in certâ fide, & eventu apud conjuratores interrumperetur, præmiis, ac muneribus illos obligandos primùm judicavit.

*Arcem Skelabinia Revai obligat.*

Arcem igitur ſuam Sklabinia cum bonis omnibus quæ poſſidebat illis eorumque hæredibus firmis hypotheçis, ac inſtrumentis obligaverat, ſi res fœlicem eventum habitura fuiſſet. Conſenſerunt his Budæ plerique alii, Petrus Palczán, Georgius & Thomas Bœnemisza, qui operâ, ac ſtudio Revay perſuaſi, præclaro hoc opere, & nomen in Hungariâ bonum ſe conſervaturos, & à jugo Turcarum vindicaturos de omnibus rebus, ita convenerant, ut teſſerâ certâ datâ, tempore nocturno, Hungari occultâ portâ, aditu patefacto in Urbem immitterentur. Jam priùs conſilium hoc, Duci Rogendorffio Revaj aperuit, de modoque convenerat inter ipſos, ut non niſi ſuâ, & Hungarorum operâ in aditu portæ & Urbis uteretur, tantâ animi fiduciâ, ut avus meus patrem meum Michaelem Revaj, Rogendorffio veluti obſidem patrandi facinoris relinqueret. Verùm Rogendorffius, ne gloriam pulcherrimi facinoris, ſuæ genti præreptam, Hungaris traderet, mutato (ut refert Jovius) Revay conſilio, contra fidem ipſi datam, delectas quatuor Germanorum cohortes, ſilentio ad portulam præmiſit, Condæo filio, cum alâ Germanorum equitum in ſtatione collocato, quo faciliùs majori portâ patefactâ, in Urbem inducerentur. Pornemisza cum ſociis, magno fidei & conſtantiæ argumento, ſecundum conſilium cum Revajo initum, portam aperit, ac magnâ ex parte ſuſpenſis veſtigiis, cohortes Germaniæ introductæ, teſſeram de qua convenit, requirit, præcipuèque nomen Revay intensâ voce ingeminat. Cui cum non niſi Germanico fremitu, ac ignotâ voce reſponderetur, ſubita animum occupavit formido cum ob id, quod ſe fraude circumventum animadvertiſſet, tùm quod Transactionis cum Revajo factæ ignaros, nihil ex compoſito facere, ac definito ordine præſcripta Urbis loca occupare, nec fortiter ac animosè agere videret. Dum interim Budenſes excubiæ levi inceſſu armorum ſtrepitu, accenſisque ſclopetorum funiculis cognito hoſte, ad arma conclamant. Germani metu, & conſternatione animorum ſummâ comprehenſi, retrò ad portulam regreſſum flectunt, audaciſſimique illorum, qui primi erant in ingreſſu, ultimi in anguſto exitu trucidantur partim, partim capiuntur, ſuperveniente Urbano Bottiani, & Vichio cum copiis, qui vigiliis diſpoſitis præerant. Ac jam luce ortâ, ſubita Reginam, ac Duces ipſius conſternatio invadit, habitæ de ſociis Bornemiszæ conjuratis quæſtiones (nam ille inter primos evaſerat) extortâ totius conſpirationis ſerie, ac ordine, diro ſupplicio afficiuntur. Revay cum Bornemiszâ ſpe ſuâ fruſtratus, non jam adverſam ſociorum ſortem, quam fortunam Urbis miſeratus, ac Ferdinandi optimi Principis conatus unâ Ducis cauſâ eluſos deplorabat, ac deteſtabatur. Ipſe quoque Rogendorffius, ſerò fidem ſuam & conſilium à Revajo ſpretum damnans, à Solimanno magnâ totius exercitus ſtrage profligatus, magnoque Ferdinandi damno, ac dedecore pulſus, Samariæ moritur. Solimannus Tartaros quorum magnum robur adduxerat, ad loca Strigonio, Nitriæ, & Albæ vicina, ad depopulandam Regionem dimiſit, captivos quorum magnus numerus, à Præfectis ei donatus erat, trucidari in conſpectu ſuo juſſit, duobus aut tribus ex præcipuis reſervatis Balthaſare Buchaim, Melchiore Borſita Bohemorum Præfecto. *Tam perniciosa omninò peſtis eſt, ambitio & invidia, quæ in eodem exercitu ſcindit voluntates, & conatus diverſos facit, quibus inutiles redduntur multæ rei præclarè gerendæ occaſiones, imò etiam ſæpè toti exercitui exitium afferunt.*

*Michael Revay in obſidem Rogendorffio datus.*

*Germani in recuperatione Budenſi malè rem gerunt.*

*Budenſes conjurati puniuntur*

*Rogendorffius cum exercitu profligatus.*

*Solimannus per Tartaros depopulatur regionem.*

Poſt hanc victoriam Solimannus evocatis in caſtra Principibus, ac filio Reginæ, cauſâ officii paterni, ac tutorii allato (quem amplexus, ſuam curam, amorem, delitias vocabat) ſubmiſſis clam Ducibus, ac fortiſſimis militum in Urbem ſpeculandi gratiâ venientibus, portam Urbis occupat: Regina fraude, ac aſtu circumventa, muliebri more lamentando, fruſtra Deorum, hominumque fidem implorat, Principes in caſtris, verborum ludibriis vexati, difficulter dimiſſi (excepto Valentino Teoreok, qui Conſtantinopolim deductus, in Inſulâ Galathâ, turri incluſus fuit, ubi etiam ſub perpetuâ cuſtodiâ, mortuus eſt) unà cum filio ad Reginam: quos ſubſecutus Solimannus, malus clientis patronus, Matrem cum pupillo ſpe humanitatis, & clementiæ deluſam, ac ſpecie infauſtiſſimæ clientelæ deceptam, ſede Regiâ excludit, barbarorum more Tyrannorum, qui tan-

*Solimannus Budã dum patrocinatũ venit, occupat.*

*Valentinus Teorek Galathæ in carcere interiit.*

tam perfidiæ, & crudelitatis labem, suo velamento officii paterni, & prætextu securitatis plausibilis occultatam prodidisset, Verbecium verò cum ille multa inter suos de perditione patriæ, & indigno Tyranni in Hungaros imperio dixisset, illaque ad Solimannum delata essent, ne sub initium imperandi, cœde viri magni, animos hominum à se alienaret, in Urbe Regiâ captâ, juridicendo præesse inter cives, velut eundem honestaturus præcepit. Quo fideliter perfunctus munere, Verbecius brevi postea veneno, ut creditur, sublatus expiravit. Probabile est Tyranno crimen lœsi per Verbecium non longè ante Ludovici mortem innotuisse; quod ulciscceretur, monumentum sibi esse in præsens ac posteris existimavit, ne quippiam simile in se quoque ab eodem attentaretur.

*Verbecius veneno tollitur.*

*Hac ratione, non solùm illustres viri, sed & imperia, propter quæ invadenda, duo alii inter se conflugunt, à tertio interim facilè occupantur, & pereunt. Discordia profectò Christianorum, pax est Turcarum: pro qua Christianitatis mutua & continua digladiatione, dum rem ut putant, divinam agunt, vota faciunt.*

Quid verò ad barbarorum crudelitatem stupendiùs, quando à purpuratis consilium Imperatori Solimanno datum fuisset, ut Regina in Poloniam ad patrem ablegaretur, filius verò Bizantii nefandis Mahometicis ritibus institueretur, Regnum uti jure belli toties captum, in Provinciam redigeretur, proceres necandos, diruendasque arces Hungariæ, ac ex omni regione familias insignes, quæ ferociores spiritus gererent, in Asiam traducendos, reliquum verò vulgùs, quod agros coleret, atque Urbes inhabitaret, impositis servitutis vinculis coërcendum ac firmitate præsidiorum conservandum.

*Ars Turcarum subjugandi Provincias.*

Hoc nimirum pacto gentem Hungaram, ad id usque tempus invictam indomitamque, excidio perituram. Verum Deus Opt. Max. cum omnibus Sanctis, Penatibus Hungariæ misertus, S. Coronæ, & Regni, victoris Solimanni insolentiam moderatus est, & animum in diversa crudelitatis consilia tractum, velut hamo continuit, qui veritus ne hoc perfidiæ & crudelitatis facinore, potentiam Christianorum Principum discordiis civilibus occupatam colligeret, & famam suam (cujus cupidissimus fuit) obscuraret, lenitatis prætextu in Hungariam usus est.

1542. Ferdinandus clade ad Budam acceptâ, amissis Jaiczâ, Slavoniâ, Croatiâ, Strigonio, Albâ-Regali, Soclosio, & Valpoviâ, innumerabilibusque arcibus, & oppidis, cum immensis ditionibus, Velsio negotium dat, ut statim Comaromium profectus, dispersos milites, & reliquias eorum, sub signa colligeret, ne se hostibus dedere cogantur. Ipse verò, quod Carolus (in quo spes auxiliorum erat) Germanicis negotiis implicatus erat, novâ legatione apud Solimannum de compositione agere constituit, quam multis periculosam visam Nicolaus Salmensis accepit, cum Collegâ Sigismundo Lichtensteimio.

*Ferdinandus cum Solimanno de compositione agit.*

Hi inducias firmaturi, amplissima munera (*a*) Tyranno deferunt, inter alia horologium mirifici artificii, annuâ cœlestis motus revolutione celebre. Hilariter quidem accepta munera, & Legati vicissim donis onusti, unâ superbâ denuntiatione conturbantur. Ut (*c*) Ferdinandus Austriæ finibus contentus Hungariæ Urbibus decederet, ex Austriâ non secus, quam sibi stipendiaria certam pecuniæ vim penderet, & nisi in has conditiones pacem arriperet, tum de ratione qua ad ingrata descendere cogeretur, se cogitaturum.

*(a) Horologium miri artificii donat.*

*(c) Solimanni responsum.*

Dimissis Ferdinandi Legatis, Solimannus Mahometem Taurunensem præfectum in Ferdinandi ditionem, & imprimis in finitimam Austriam populabundum dimisit, Cassino cum copiis in Silesiam Moraviamque eodem vastandi studio directo: sed Solimannus impeditâ continuis imbrium tempestatibus ferociâ, autumno quoque appetente discedere coactus est, postquam Budæ præfectum genere Hungarum constituisset.

*Populatur Austriam Silesiam, Moraviâ.*

Solimanni superbo responso Ferdinandus bellum sibi denuntiari intelligens, Conventum Novocomium Urbem Austriæ indicit, ubi de expeditione exercitus, copiarum numero & contributione concluditur.

*Ferdinandus Novocomii de nova expeditione consultat.*

Duces delecti duo, Andreas Bathori, & Petrus Prini, præcipuè ad libertatem vindicandam propendentibus Hungaris, ut non desint, qui credant, Georgium etiam Monachum accessisse, in uno cautum, ut nullo se fœdere alligari pateretur, cujus ullæ literarum notæ extarent, veritus Solimanni animadversionem. Etenim versatile ingenium, ubi minus eventus voto responderet perfugii locum, tum apud Ferdinandum, tum apud Solimannum, quocunque inclinaret victoria quærebat, satis se utrique gratificaturum arbitratus, si neutralis, medius in duos propenderet.

*Georgii Monachi versatile ingenium.*

His peractis Spiram ad Conventum à Carolo indictum proficiscitur, ubi Legati Hungariæ questi sunt quantas calamitates Turca hactenus Regno ipsorum intulerit

*Conventus Spirensis.*

rit, clades maximas patraverit, nec aliquid auxilii ab Imperio submissum esset, quod nisi tantâ bellorùm mole defatigatis subveniatur, se id tentaturos, quod in rebus extremis, & desperatis juvare videbitur. Principes quod Cæsar, Galliæ Regem hostem haberet, bellum Gallicum prætulerunt Turcico, Christianum barbarico, quod domito hoste domestico contra Turcas progressus faciliores fieri posse putarent, decretaque contra Gallum pecunia, ad equitum millia quatuor, peditum viginti quatuor elegerunt, discordiis domi nequicquam repressis, suis vulneribus confici, quam unitam fortitudinem, in hostem communem convertissent, etsi utilius, & religiosiùs hic vincere potuissent. Cæsar nihilominus ex contributione pro bello Gallico, partem aliquam pecuniæ Ferdinando pro munitione finitimarum arcium communicavit. Pro futuro bello Turcico, decreta pecunia viritim, nullo exempto per totam Germaniam exigenda, juxta rationem facultatum cujuslibet, & census. Ergò Ferdinandus qua potuit fiduciâ, Duce Joachimo Brandeburgensi designato, quæ ad belli apparatum spectabant, magnâ industriâ curabat ex Noricis & finitimis gentibus fortissimis. Præparatis jam omnibus, Joachimus Viennâ movit: Hos Hungaricus equitatus sequebatur, Ducibus Andreâ Bathori, & Petro Prini. Diu multumque disputatum fuit, quorsum vires dirigendæ essent, vicit tamen Ducis sententia, qui instructis copiis, Pesthum, in cujus præsidio Segemensis Dux erat, (*a*) contendit. Certatum est cum erumpentibus Turcis, cœsis utrinque paucis, restauratur oppugnatio, sed irrito conatu, dum jam ferè victoriam in manu tenentes, iniquiore fortunâ elusi cesserunt.

*Ioachimus Brandeburgensis Dux Ferdinandi.*

*Bathori, & Prini Duces Ferdinandi.*

*(a) Pesthū irrito conatu oppugnatur.*

Expeditionem hanc parum lætis auspiciis susceptam, excepit Prini calamitas. (*b*) Capitur enim Prini, cum soluto omni cura animo, in Strigonii arce diversaretur, & Viennam arctâ custodiâ munitus, ad Ferdinandum perductus est. Nam & offensæ priores, altius in animo Ferdinandi insederant.

*(b) Prini capitur.*

*Causæ captivitatis.*

*Proinde cavendum, ne quis Principi sibi infesto subjiciatur, & in ejus potestate maneat, & sit.* Causa carceris præter inconstantiam, fuit & illa, quod sub idem tempus, quo bellum ad Pesthum gerebatur, adolescens filius Franciscus, alii Michaëlem nominant, obses Solimanno datus, custodibus, aut largitionibus delinitis, aut astu & consilio deceptus ad patrem rediit. Inde criminandi fabula conficta, restituto filio parenti à Solimanno desponsum esse Hungariæ Regnum, vivente Joannis hærede Præfecti titulo administrandum. *Magna ergò cautione opus est, & prudentia in recipiendis illis, qui ab hoste, vigente præsertim bello, ad nos profugiunt. Nam fieri non potest, quin gravis apud omnes suspicio, de intercedente nobis cum hoste communione, enascatur. Proinde sint licet charissimi, sint necessarii, quos ab hoste profugere contigerit, minimè tamen statim amplectendum sine arbitris, præscituque superiorum & Magistratus; quod aliquis tali testimonio, licet nulla doli conscientia in discrimen trahi posset.* Accedebat in privatâ fortunâ regiorum spirituum ostentatio, qui ita multi in eo dicuntur fuisse, ut quà iter faceret, equos centum ampliùs præ se ageret Thracios generosos, manu illos suis ducentibus, quorum ingens agmen semper secum trahebat, quod suspicionem regnandi libidinis, apud plerosque omnes augebat. *Quod cavendum primariis in Regno viris, ne se majori comitatu, aut populi benevolentia, ac favore conspicuos cerni patiantur, quàm ipsummet Regem, si modò tutè vivere & non suspecti Regi velint, solent enim principes in subditos suos, præsertim à quibus læsi sunt, esse suspiciosi.*

*Prini magnos spiritus cum damno suo gerit.*

Itaque Prini cum rhedâ non longè Viennâ abesset, ad eos qui illum custodiebant, sic dixisse fertur, inter alia plurima prolixioris rationis verba. *Vna me conscientia rerum, quas gessi, ita sustentat, ut quemcunque me inimici mei videri velint, si data optio sit, hanc præsentem meam calamitatem cum eorum beata, & delicata vita, non sim commutaturus.* Unus hic est interior sensus eorum, quæ præclarè agimus, quem non vincula, non catenæ, nec squalor carceris evellere è nostris mentibus possit. Ab irato Ferdinando, inquit, à depravato inimicorum calumniis, ab immemore Regii muneris, ad eum Ferdinandum appello, cujus justitia, religio, sanctitas, norma atque exemplar est cœteris Regibus ad populos justè & sapienter regendos. Quid verò est, quod mihi inimici objiciunt? à Solimanno remissum ad Patrem filium. Audio nimirum per quem transactum sit de tradendo patri Regno Hungariæ. Quid si ille non Solimanni beneficio, sed servi Rasciani astu, qui illi fugæ compos, & Dux itineris fuit, ad patrem rediit? Qua ejus oratione duo Duces emolliti, suam apud Regem operam interponere polliciti sunt, effecerunt etiam, ne reus metueret ullum à carnifice periculum. Ita Neostadium abductus & in carcerem conjectus, in quo etiam mœrore consumptus, mortuus est. Triste parentis fatum, liberi quoque repræsentarunt. Michael ille

*Ejus ad custodes suos oratio.*

*In Neostadiensem carcerem deducitur.*

qui

*Michael Prini filius à fratre Gabriele veneno tollitur.*

qui Constantinopoli profugerat, à Gabriele fratre natu majore pellitur, ut per quem hæreditatem suam diminutam iri intelligebat; qui non multò post ignotus, & obscurus inter suos, nullo patrono habito causæ justissimæ, latitat, per ignominiam Por Mihály appellatus, tandem veneno, ut creditur, à fratre Gabriele sublatus obiit. Ipse verò Gabriel, lineam prosapiæ suæ, per casum defectus conclusit, quorum bona ad Fiscum Regium devolvuntur.

*Conventus Vormatiensis, an. 1545.*

Post infœlicem expeditionem, naturâ Tyranni cognitâ, Ferdinandus, quâ Solimannum successu elatum, non facilè quieturum sciret, Wormatiam ad conventum indictum venit, rursus de auxiliis Principes sollicitaturus, ubi decernitur, ut ex antiquo more, collecto milite Hungariæ Urbes in finibus Turcarum sitæ, validis præsidiis muniantur, suppeditato sumptu ex censu Principum, & Civitatum. Solimannus verò Hadranopoli sollicitè se ad bellum præparat, ineunte vere suscipiendum. Ergò nactâ oportunitate, Budam cum exercitu proficiscitur, ubi non diu moratus, Strigonium contendit, non sine magno labore, per deditionem in potestatem suam redactum. Inde ad Tatam cum exercitu itum, quam Tahy ad primum hostium adventum, Strigoniensium exemplo, tradidit. Jam Albæ Regali quæ cor Regni putatur Solimannus imminebat, quæ Urbs quamdiu esset in Ferdinandi potestate, non credebat se Regno Hungariæ posse potiri, quorsum Ferdinandus aliquot Germanorum cohortes, & equites gravis armaturæ ducentos præmiserat; quum & ipsum antegressis trophæis adjungit. Prædæ nihil præ se retinuit, præter tormentarias pyxides, in quibus chalybs è silice ignem excitaret, eò quod tum apud eos novum, ad perdendos homines, pestis genus videbatur. Ibi quingentis viris fortibus virilia membra execuit, eosque rasit, & passim per Græciam dispersit, ut victoriæ parte testes essent. Captus quoque eodem tempore Tartarus unus ex prædonibus, qui bimulum infantem ambesum in pera habuit. Idem Tyrannus insolentiâ victoriæ furens, victos in uno plano loco non procul ab Urbe convenire jussit, quasi in fidem eos recepturus. Venerunt illuc vestibus & armis solito induti, ac in aciem ordinati, quos obequitans Tyrannus, dum inspexisset, alios robustiores selegit, alios à tergo circumventos, gladiis concidi jussit, alios pro scopo jaculatoribus proposuit, ac præsertim filiis suis, quos duos secum habebat, pro experimento sanguinario, uter nimirum eorum profundiora, aut conspectiora vulnera infligere posset, & Caurorum corpora (ita Christianos appellant) proscindere habilior videretur.

*Solimannus Strigonium capit.*

*Tatam.*

*Alba Regalis cor Regni.*

*Albam Regalem.*

*Bombardæ in Alba Regali Turcis prædà nova & grata.*

*Duo filii Solimanni*

Nondum à Solimanno Albâ receptâ, Ferdinandus ingentibus comparatis copiis ad Jaurinum castra habebat, qui ne nihil agere videretur, missi depopulatum Albanum agrum, cum equitum delectis mille Franciscus Kapolnai, & Carolus à Serotin, quos, obviam missi Turcæ exceperunt partim interfectos, partim fugatos.

*Visegradū Budæ Præfectus capit.*

Tandem in Thraciam discessurus Solimannus, Mahometem Budæ Præfectum reliquit, qui ne quid hostile inter Budam regni caput, & alia ditionis Solimanni intercederet, Visegradum in potestatem unius mensis spatio redegit.

*Et oppidū Spikszo.*

Mox itum ad oppidum Szikszo positum in Ferdinandi ditione, quod brevi expugnatum, cum toto circumjacentis regionis tractu. Achomates Albæ Præfectus quoque, qui post discessum Solimanni, è quadraginta Hungaris Ferdinando faventibus supplicium sumpserat, arcem Csokakeo, in altâ rupe contra Albam sitam recepit, inde Szent Endre arcem adortus, suam fecit. Circa quod tempus Solimanni Quæstor Budæ certior factus, Achomatem Albæ Præfectum, Urbis majorem ædem fœde compilasse, quæ supererant, ad sacræ rei usum vastis, direptis, de eo ad Imperatorem perscribit, qui irâ incensus, Quæstori imperat, ut Albam profectus, eâ de re cognosceret, & hominem puniendum ad se mitteret. Ita Achomates peculatus convictus, restituere ablatum debuit, & ignominiæ causa solus absque comitibus ire Constantinopolim, & se Imperatori sistere jussus, Mahometis gratiâ, cujus erat propinquus, ægrè capitis supplicium effugit. Reo tamen vita infamis relicta, inustâ nomini fœde ignominiæ notâ, ut quoad viveret, ad Urbanos Magistratus, & militiæ honores nullum haberet aditum. Deinde Regius Quæstor diligentius ædem perscrutatus, nec à Regum sepulchris abstinuit. Inventa Regni insignia, Coronæ, sceptra, orbes, aut ex solido auro, aut ex argento auro illito: adhæc aurei torques, magni pretii gemmæ annulis alligatæ, quæ omnia Quæstor in rationes Imperatoris retulit. Cadaver Joannis Regis è sepulchro ejectum, Prætori Urbano tradidit, quasi ex aliorum Regum censu eximeretur, quod Solimanno summum jus tenente, nomine Rex, non re fuisset. Illud postea Prætor ad ædem Michaëlis in suburbio tumulavit. Referunt nonnulli, quòd hac tempestate, ardentibus bellis, Turca ex Hungariâ tormentorum bellicorum quin-

*Solimannus propter expilatū templum Albense, in Achomatē animadvertit.*

*Regni insignia in Regum sepulchris inventa.*

quinque millia abduxerit: quod credibile est: cum in ipsâ clade Mohachiensi sexcentâ, & octoginta quinque promiscuè ad Eszek perduxerit, non pauca raræ magnitudinis amissa sint. Talium plurima nos in recuperatis à Turcis arcibus vidimus, & ex signis hæc Catianeri, illa aliorum fuisse cognovimus. Et sic, & armis, & gentibus nostris propriis, Turca contra nos malo nostro maximo, magnâ virium suarum accessione, bellum gerit: Nec solùm ab hoste externo, sub colore patrocinii grassante. Fuit hoc tempore Regnum cædibus, rapinis, carceribus, violentiis, occupationibus bonorum inordinatis deformatum, sed & à domesticis, quorum licentia rerum confusione pro commoditate opum comparandarum usa, ad res alienas arripiendas anhelabat, inter quos Ioannes, & Raphaël Podmaniczki, qui non solùm ipsi castra, castella, ac bona Ecclesiastica, & secularia violenter apprehendebant, possidebant nullâ habitâ tranquillitatis, & super restitutione eorundem bonorum communis constitutionis ratione, sed etiam externos stipendiarios in Marchionatu Moraviæ, & Ducatu Silesiæ intertenebant, qui interdum furto, interdum manu violentâ pecudes, & pecora ex Regno abigere soliti erant, in extremam afflictissimorum Regni Civium vastitatem. Et non solùm aperta vis ad latrocinia profuit, sed & dolus, ac fraus, pro coacquirendis alienis juribus tentata, ut vel hoc uno exemplo sequenti apparet. Petrus enim Keglovith bona (quæ deficiente semine in Caspare Ernust de Cháktornia ad peculium Coronæ, de jure, & de facto devoluta extiterat) ficto quodam titulo, pro se usurpaverat, & castra ejusdem Casparis Chaktornia, & Strigo, Szent Giörgy, & castellum Kaproncza, in Zaladiensi, & Crisiensi Comitatibus prætendendo se Testamentarium tutorem filiæ suæ, relictæ ejusdem Casparis, & hæredis nascituri (nam prægnantem filiam suam mansisse fingebat) contra jura Fisci Regii intercipere ausus erat, nec illa toties repetita, restitui publicis constitutionibus jussa, imò & per ipsum coràm Rege promissa reddere in animum induxerat, & alioquin manifestè cognitum esset, Nobilium aliarumque fide dignarum & honestarum Matronarum testimonio, ad custodiam partus, ne suppositititius ederetur, adhibitarum, omne id falso prætextu fuisse excogitatum. Ideò pœnæ formidine ejusmodi insolentia & habendi cupido coërceri necesse habuit, ne exemplis facinorum impunitorum patria, ad prædas non tàm externas, quàm domesticas dilaberetur.

*Tempora multis confusionibus notabilia.*

*Ioannes & Raphael Podmaniczki, violenti.*

*Petri Keglovith dolus.*

Quapropter hoc tempus continuâ quadam serie, ab anno præsenti usque ad quinquagesimum, condendis legibus occupabatur, quas plurimas, plurimæ in Regno inordinatæ confusiones necessario extorquebant. Ac imprimis, ut animis dissentientibus coalescendi modus inveniretur, cunctis violenter occupatis bonis, & possessionibus alienis, ad legitimos dominos & possessores, redeundi necessitas lege imposita est, oppressiones violentiæ & alia malorum genera prohibita, justaque animadversio in secus facientes statuta, in absentiâ Regis datâ potestate Generali, & supremis Capitaneis, cum gentibus adjunctis tales inobedientes coërcendi, & quia Turca, capite Regni in potestate habito insolescens ulteriores in regno grassandi progressus meditaretur, expeditionis futuræ forma publicæ decreta, gentes per loca finitima, & excursionibus Turcarum suspecta per supremos Capitaneos distributæ, confiniorum castra, & munitiones præsidiis firmata, castra, & fortalitia, prædonum receptacula diruta, in prædonum fautores & patronos damnis personæ, & bonorum gravius animadversum, taxis competentibus singuli Regni Cives limitati extiterunt, quin & ipsa Isabella Regina, pro ratione bonorum quæ in Hungariâ possideret. Doleo enim referens, quam in diversas partes tum nobilissimum Regnum, vindex ira Dei (quam causam ipsi Hungari tanto tempore annis videlicet plus minus quindecim, non eliberatæ ex tot bellicis procellis patriæ, agnoverunt) discerpi permiserat. Illinc Turcæ, hinc scissæ indiversa studia factiones, reiparandæ compendia sequi non negligebant. In horum remedium Posoniensis, Tyrnauiensis, Novizoliensis Conventus, crebrò instituti, juris & justitiæ quasi postliminio reducendæ (quod aquâ turbidâ singulis piscari licuit commodiùs) consilia inita. Ac optassent quidem immediatè post decessum Stephani Batthori Palatini, alium hoc titulo commnnis æquitatis causâ salutare, sed quia unio Regni, per horum injuriam temporum, velut divortium quoddam fecerat, & de lege Regni peculiaris, & generalis quidem Diæta ad hujus personæ electionem, indici solet, illud operæ ad aliud tempus rejectum, & interim Propalatinalis dignitas ad causas Palatinatus discutiendas introducta. Dici non potest, quàm conservandæ Regni saluti, & tranquillitati Ferdinandus faveret; proinde post studium unionis, & concordiæ domesticæ, quinquennales cum Imperatore Turcarum Inducias, ex consilio Hungarorum Consiliariorum pepegit. Interim quia tutum est, ita rebus stantibus, de præparatione ad nova pericula cogitare, pro pecuniariis subsidiis apud Status Imperii laborabat, qui in singulos Induciarum annos, centena aureorum millia,

*Leges plurimæ sub Ferdinando sancitæ.*

*Regnum Hungariæ in diversas partes scissum.*

*Art. 2. An. 1546.*

*Palatinalis dignitas post Bathoreum interpolata.*

*Propalatinalis introducta.*

*Induciæ inter Turcā & Ferdinandum quinquennales anno 1547.*

lia, cùm ad finitima loca munienda, tum ad alenda præsidia ipsi devoverunt. Et quidem omninò ille in publicos usus convertit arces fortificando, augendo ædificiis, ut munitiones multæ diversis in locis Jaurini, & alibi, ac tormenta sub signis ipsius conflata, passim testimonium perhibent. Ita semper omnibus modis & rationibus ad eliberationem defensionemque suorum jam ab initio intentus nec quicquam prætermisit, quo sanctissimos suos conatus ad exitum potuisset perducere. Ruinas & damna patriæ sarciebat, bona apud Isabellam Reginam, & Comitatus Hevesiensem, Uyvariensem, Saaros, Zemplin, & Ungh, per Georgium ab Hungariâ distractos, ad integritatem corporis Regni restituere satagendo, aliaque industriè faciendo, quæ ad bonum ordinem & vinculum communis societatis, adeoque pacificæ permansionis spectare videbantur.

*Ferdinandus unire corpus Regni Hungarici contendit.*

Interim Regina Transylvaniam & partes ipsi vicinas obtinebat, quieteque aliqua fruebatur, dum metu clientelæ Turcarum in fide Joannis Regis plerique Proceres retenti concordes multis præmiis, & gratiis Reginæ nitebantur: Verùm his partim ambitione, & avaritiâ partim odio & emulatione distractis, & ad augendam propriam potentiam intentis, gliscentibus imprimis odiis, discordiâ tandem, quæ Reginam astu, & ambitione muliebri frustra occurrentem pessundedit, exorta est. Inter illos Princeps facilè Georgius Monachus erat, qui præter duo opima sacerdotia Varadiensem, & Chanadiensem, Comitatus ab Hungaria distractos tenuit, neque iis contentus, prævalidas arces in Transylvaniâ, variis artibus Reginâ elusâ, suæ ditionis fecerat, donis præterea largitionibus, multisque titulis Principes, & Civitates sibi conciliare studebat, ac exosus imperium mulieris, & Joannis ex ephœbis excedentis, indolem corruptam metuens, pariter Procerum quorundam potentiam, & avaritiam, ipse avarus, detestatus Ferdinandi authoritatem, respicere & nova cum illo consilia agitare cœpit.

*Georgii Monachi avaritia & perfidia.*

Multùm Regina super Georgium quæsta est: nomine se Reginam, penes ipsum Regni jus esse: ipsũ vectigalia, ac proventus omnes percipere, parvâ eorum parte Reginæ attributâ, quibus ægrè se cum filio sustentaret: Sibi ipse nobilitatem conciliaret, & omnes in Regis verteret odium. Jam Regina in Poloniam ad matrem se recipere cogitabat, sed illa providens quæ ex absentiâ filiæ orirentur, eam à cœpto abduxit, & Georgium officii pupillo debiti admonuit; quo effectum est, ut Georgius cum Reginâ rursus rediret in gratiam. Porrò interjecto tempore, scriptæ etiam ad Solimannum literæ, quibus Regina Georgium accusat, quem Solimannus insolentiæ arguens, ad mediocria omnia sequenda hortatus est, nisi faceret, ab armis sibi esse periculum.

*Georgius cum Regina redit in gratiam.*

Ille ad Ferdinandinandum (qui, si operam in provinciâ & Coronâ tradendâ navaret, Archiepiscopatum Strigoniensem, & interpositionem apud Pontificem pro Cardinalatu consequendo pollicitus fuerat) defecit, habito cum Nicolao Salmensi in Tokay consilio. De eo Regina certior facta, Joannem Zalanczium Bisantium mittit, qui Solimannum de molitionibus Georgii prodendâ nimirum Germanis Transylvaniâ, edoceret, & opem imploraret defensivam. Mox Solimannus Budensi Præfecto negotium dat, ut Georgium, aut vivum, aut mortuum, quamprimum ad se mitteret, datis mandatis ad Civitates Transylvanicas, quo mandatum promoverent: simul publicatum fuit Regium edictum, quo Georgium omni administratione publicâ privatum esse intimabat. Georgius sni memor, interfectis Andreâ, & Valentino Martonfiis Reginæ fidelibus, & collectis (*a*) quatuor millibus hominum, eos, jurejurando in suâ verba adigit, quibus adjunxit & alios largitionibus quæsitos. Dum jam Georgio armato esse contigisset, Regina Budensem Præfectum (*b*) de auxilio requirit, ipsa ad septem millia hominum coëgit, & Duce Petruvicio, Brancicam Alvinciumque in fidem suam traduxit, Chanadium obsedit, cui Georgius Thomam Barkoczy in auxilium cum aliquot millibus misit; solvit is obsidionem, ad duo millia & quingentis interfectis, quatuor millibus vivis in potestatem redactis; milite verò cum spoliis Varadinum reducto. Nicolaus Kereputz erat, (*d*) qui cladem acceperat. Is rediens ad Reginam, ab uxore propriâ asperius exceptus fuit, his inter plurima. Indignus (*e*) es, qui ex me suscipias prolem, ut si quid indolis à matris ingenio liberi hauriant, corrumpat à patre inertissimo homine haustus animus. Me miseram, quam mea spes me, & opinio fefellit. Facessas hinc indignus vir, quem iis oculis aspiciam quibus nihil reliquisti, quod intueri sine lachrymis possint, tàm fœdâ maculâ notatus. Atque eundem aliquot menses vetuit, præ irâ, & odio in conspectum suum admitti.

*Transit ad Ferdinandum cum quo de Transylvania & Corona, tradendâ paciscitur.*

*Georgio Solimannus periculum molitur.*

*(a) Georgius militem cogit.*

*(b) Regina Civitates in fidem suam traducit.*

*(d) Nicolai Kereputz ad Chanadium per Georgianos clades.*

*(e) Nicolaum redeũtem inglorium uxor perstringit.*

(*f*) Rediit rursus Regina cum Georgio in gratiam, annuente Solimanno, & ultionis tempus differente: sed non multo post denuò cum hominibus Ferdinandi, de novis rebus transigit, inter alia, ut ad eum, quatuor majora tormenta, & mille Hungaros equites delectos soluto illis quatuor mensium stipendio mitteret. Regina conventu Enjedini habito, de Georgio cum proceribus decernit. De eo certior factus (*g*) Georgius, cum voluntariorum collectâ manu Vara-

(*f*) *Georgius Reginâ conciliatâ mox Ferdinandum sequitur.* (*g*) *Reginam in conventu opprimere tentat.*

Varadino movit, ut subito oppressam Reginam à cœpto desistere cogeret, jam jam in Conventum impetum facturus, nisi furorem ratio temperasset; Petruvicius absens, auditis his, militem cogit, munit arces, commeatus expedit Ferdinandus etiam eodem tempore cum Carolo Cæsare de mittendo Duce præclaro egit, qui gerendo in Transylvaniâ bello præesset, non ignorans Solimannum pro more suo causam Transylvaniæ suam, reputaturum. Missus ergò inter cœteros Duces, clarus Joannes Baptista Castaldus, huic additi post collegæ, Andreas Bathori, Thomas Nadasdi, Stephanus Losonczy. Interea Georgius per crebros nuntios accelerare jubet, & quid sibi de ordine & necessariis expeditionis placeret, quibus se Duces Ferdinandi accommodarent exponit. Castaldus Agriam venit, militem lustrat, & omnia quæ belli usus poscebat comparat; Instructis copiis inde movens, ad Tibiscum amnem pervenit, trajecto fluvio Debrecinum, mox ad arcem Zolnok, qua præsidio munito in Transylvaniam exercitum traduxit. Hi dum properant, Georgius collectum militem Albam Juliam adduxerat, ad sedem Reginæ omni commeatuum facultate, ad tolerandam obsidionem ipsi ereptâ, propter quod cum diffidentiâ Sassebesium in locum tutiorem se recepit, Francisco Horvàth in præsidio Urbis relicto. Porrò apud Castaldum Georgius per literas instat, ne sero adventu occasionem capillatam elabi patiatur; circumsessum à se oppidum acriter oppugnari, in quo Transylvaniæ Regia, & armamentarium sit.

*Ferdinandus Duces ad bellum Transylvanicum deligit.*

*Regina ex angustiis Albæ Iuliæ Sassebesiũ venit.*

Per invia tandem, & salebrosa loca, ex consilio Bathori, & Nadasdi, eò quod Melchior Balassa transitum insederat, Castaldus exercitum in Transylvaniam traduxit, & Claudiopolim ire pergit. Territa Regina, & coacta tempore, compositione certis conditionibus cum Georgio (*a*) præmissa, Urbem obsessam illi tradi jubet, ubi Regia gaza fuit, ex qua cum aliam Regiam supellectilem, tum muliebrem mundum ad Reginam (*b*) Sasebesium exportandum curavit, militemque prædæ inhiantem, ab ingressu Urbis prohibuit. Interim dum hæc administrantur, & Almas Reginæ imperio deditionem fecerat. (*c*) Factâ deinde colloquii cum Reginâ facultate, Castaldus Ferdinandi mandata, Georgio interprete, Sassebesii exponit, nimirum rem eò deductam, ut Transylvaniâ, quam ad placitum Solimanni teneret, nec suis viribus defendere posset, cedendum, & Corona ac Cassovia haud cunctanter tradenda sit; ipsam centum millia aureorum dotis nomine accepturam, filio Ducatum Opuliensem in Silesiâ, & patrimonium plus minus ad quadraginta arces restitutum iri, venturam denique firmioris fœderis gratiâ in conjugem, Ferdinandi filiam, natu minimam: quibus ut assentiatur, postulat: Ferdinandum præ Turcâ commendans Reginæ fortunæ, & potentiæ adversæ partis cedens, dictis facilè assentit, ac gratias Ferdinando egit, quod tantis malis in Hungariâ finem imponere negotium susceperit. Interim Georgius fit Archiepiscopus Strigoniensis. Actum tandem de Reginæ ex Provinciâ discessu: Scribitur etiam ad Petruvicium, ut Civitates, arces, & reliqua Reginæ ditionis, secundum conditiones initas, Ferdinando reddat, qui sollicitavit quidem clam Solimannum pro auxilio, sed nihil officere potuit.

*Castaldus Ferdinandi Dux in Transylvaniam venit.*

*(a) Georgius Albæ Iuliam capit.*

*(b) Reginæ res in gazâ repertas restituit.*

*(c) Summa mandatorum Castaldus Reginæ exponit.*

Inde Comitia Claudiopolim indicta, ubi cum Castaldus, Bathoreus, & Nadasdius pro Ferdinando, & Joannâ ejus filiâ aris adhibiti, ad conditiones pacti adimplendas jurassent, Coronam quæ à morte Joannis Regis mariti, in ipsius potestate fuerat, & sceptrum cum alia Regiâ supellectili, Regina resignat: Ita Corona in manus Georgii & Ducum Ferdinandi tradita, imperium quoque Transylvaniæ, (*d*) & Hungariæ inferioris in Ferdinandi potestatem cessit. Corona etiam cum cœteris sacris ornamentis finitâ transactione à Castaldo, Comite, Thoma Nadasdi Judice Curiæ, & Andrea de Bathor Tavernicorum Magistro legatis accepta, per Dominicum Dobo de Ruszka, Andream Bathori de Somlo & Laurentium Nyari de Bedegh in Tokay usque delata est, ibidemque Marchioni Sfortiæ Palavicino bellico Consiliario, & Georgio Seredi Capitaneo Cassoviensi, quos eo nomine Ferdinandus ablegârat, assignata. Quam tandem cum adjunctis ornamentis Regalibus Posonii in Comitiis recepit, datâ super assignatione, & receptione Coronæ Apochâ. Ipse verò Castaldus Claudiopolim ad cœtera peragenda veniens, Principes & civitatum Legatos, ac Georgium, Siculosque in Ferdinandi verba jurare fecit; copiosâ ad eos oratione habitâ. Quæ omnia Ferdinandus rata & accepta, approbavit confirmavitque, Themesvár, & Lippa tandem præsidiis munita, aliaque oppida, & arces, restaurari cœpta, quæ ut commodiùs administrarentur, duorum Sacerdotiorum opimorum vectigalia Transylvaniensis, & Agriensis operi inchoando, perficiendoque Ferdinandus addixit.

*Coronam & aliam Regni supellectilem Regina restituit.*

*(d) Transylvania & Hungaria inferior Ferdinando cedit.*

*Corona Ferdinando Posonii assignatur an. 1552. 25. Mart.*

*Episcopatus duo promittendis arcibus deputati.*

Regina juxta pactum Transylvania decedens, Cassoviæ substitit, & præstolatur, ut Ferdinandus promissa præstaret; sed frustrata, Georgium Blandratum

*Regina in Poloniam abit.*

pro liberandâ fide acturum mittit. Nec benè Ferdinandi responso contenta, ad Sigismundum fratrem in Poloniam concessit, qui suam apud Ferdinandum interposuit operam: Apud quem dum nihil effecisset Regina apud matrem Varsaviæ morata, tandem evicit, ut in possessione Opoliensis Ducatus & Francvestiniensis collocaretur.

*Solimannus Transylvaniam Ferdinando cessisse dolet.*

Quem dum ingressa fuisset, omnia deserta, impignorata, inculta reperit, & ruinosa. Rursus proditam se, & delusam queritur, mansit tamen Opoliæ, unum atque alterum mensem, unde in Poloniam reversa, medio matris apud fratrem Regem Samboriensem præfecturam obtinuit, situm oppidum in Transylvaniæ finibus. Ad eam Solimannus Legato misso explorat, an ad Transylvaniam redire velit, effecturum se pro fide tutoriâ, ut brevi ibidem collocetur, sin minus, non permissurum se, ut Provincia Ferdinandi Regis præda maneret. Quæ consulto fratre, & bonâ Reginâ respondit statuisse se, Ferdinandum omnibus necessitudinis officiis inviolato amicitiæ jure perpetuò culturam.

*Bellum in Transylvaniam movet. an. 1551.*

Interea gliscit fama de Turcico bello, proinde Ferdinandus ad Cæsarem, & Ordines Imperii refert, ut si per Turcam Induciæ non steterint, auxilia sibi dari postulat, quæ Norinbergæ in Conventu, licet gravatè, decreta fuerint. Nam Turcæ arcem in finibus Ferdinandi ædificabant, & Zolnokum coacti sunt occupare, præsidioque munire: Præterea profectus Turcicus exercitus plurimis Ducibus, arcem Becheam, quæ primâ fronte occurrebat, Beskerecum, Chanadium, Lippam, alia præterea plurima castella, partim vi, partim deditione sibi subjicit: ad Temesvár progressus, illud quoque triumpho adscribere nititur, sed quod dies D. Demetrio sacer, ultra quem in castris durare, legibus suis Turcæ prohibentur præterierat, ab obsidione discedit. Prudentia hic Georgii Monachi & virtus Castaldi cœterorumque Ducum Ferdinandi commendabilis, qui coactis ex Transylvania & Hungariâ sexaginta millibus, non solum Lippam virtute, marteque fœlici recuperant, cœsis plurimis Turcis, sed & à Temesvári oppugnatione perterritum rejiciunt. Enituit hoc rerum discrimine inter alios Simonis Forgácz, Patris Sigismundi Forgach, tunc Regni Hungariæ Palatini virtus insignis, cœterorumque Hungarorum, quorum operâ victoria hæc constitit, Forgach inter primos, & audacissimos, Dux præliantium, postquam strenuè simul, & fortiter rem gessisset, casside & ense deaurato excussis, plurimisque acceptis vulneribus, propè cadavera hostium cecidit. Ubi nullo tanti viri casum relevante, fimo involutus, jam neglectorum vulnerum putredine vermes in corpore suo facilè conceperat. Cognitus tandem fato mirabili, à Turcâ quodam, qui apud parentem suum Sigismundum Forgacz in captivitate fuerat, humaniùs excipitur, ac obligatis vulneribus curatur, pro cujus etiam redemptione, lytron octingentorum florenorum idem Turca numeravit, neque à liberato ultra quàm erogaverat exegit.

*Turcis dies Demetrii sacer.*

*Duces Ferdinandi Turcu resistunt.*

*Simonis Forgach virtus ad Temesvár*

*Georgius Monachus interfectus an. 1551. 8. Decemb.*

*Georgii morte plurimi Hungarorum offendunturur.*

*Pontifex Ferdinandum ob cædem Georgii citat.*

*Forgachii in casu quodam Posonium citati.*

Interim in Georgium Monachum, orta à Ducibus indignatio, ex multâ suspicione, quod veniam, & incolumitatem Ulmanbego è Lippâ dedisset, ac per eundem Ulmannum literas ad Solimannum composuisset, quibus illi se, & Hungariam commendavit, & Joannem in pristinum statum reductum iri asseveravit. Id quod causa fuit fati ipsius, dum per Italos in lectulo, cum horas ut vocant Canonicas peroraſſet, multis vulneribus cœsus mori debuit. Quo extincto, varii rumores de Ferdinandi inclementiâ spargi cœpti sunt, illud aliis etiam Hungaricis Principibus, ni caverent expectandum. Quibus ad Ferdinandum perlatis, Francisco Uylaki, qui ejus loco Hungaris jus dicebat, Episcopo nimirùm Jauriensi & omnibus Consiliariis Pragæ literas dedit factum excusantes, & prolixè turbulenti, & seditiosi hominis, non tantum vivente Joanne, sed & post mortem in tutelâ Reginæ facinora detegit, ut qui multa in perniciem Reipublicæ Christianæ, cum Turcâ inierit consilia, pacta datæ fidei sæpiùs violaverit, & ad favorem fortunæ, nunc huic, nunc illi parti sese accommodaverit. Parùm tamen profuit, quin nimiæ crudelitatis Ferdinandus à vulgò accusaretur: Ob id Pontifex & Cardinalium collegium offensum ipsi, citato Romam diem indixit, quos tandem summa difficultate placuit.

Porrò & alia Comitia Ferdinandus Posonii priusquam Corona restituta fuisset, habuit, ad quæ Sigismundum, Franciscum, Petrum & Ladislaum Forgachios pro dicendâ causâ citari jussit. Illi enim Lupi Pucham, qui tum Zolio & montanis Civitatibus præerat, Legatum Georgium Coppanium, quod in eorum fundis & pascuis à militibus suis, insolentiùs cuncta agi, & innoxiam plebem intolerabilibus damnis affici pateretur, & nonnunquam juberet coactis agrestibus damnificatis interficiendum curaverant: Eoque Ferdinandum offenderant. Mutatis ergò vestibus supplices gratiam Regis implorant, quibus tamen Rex Puchanio favens duriorem se præbuit. Postremò tandem

dem cum Franciscus Revay, & Michaël Merey clari Senatores, & in aulâ Regis plurimum valentes, quorum ille filiam Ladislao Forgach collocaverat, hic Petri Sororem in matrimonio habebat, suas interposuissent partes, magnâ contentione veniam illis impetravêre, non tamen secùs quàm ut trecentorum agricolarum fundis privarentur, quorum centenos Rex Revajo, & Merejo, quinquagenos verò Bartholomæo Horoath & Joanni Zomori Fisci procuratori donavit. Verùm duo illi affinitate Forgachiis juncti: eos qui sibi cesserant, colonos restituerunt: ipse etiam Ferdinandus deinceps eos in gratiâ habuit, & ad prærogativas dignitatum extulit.

*Franciscus Revay, & & Michael Merey veniam illis obtinet. Donatos sibi Forgachiorum fundos restituunt.*

Post Mortem infœlicem Georgii, Ferdinandus de unione Hungariæ, & Transylvaniæ, & de bello contra Turcam gerendo nimium sollicitus fuit, sicut in Hungariâ, ita in Transylvaniâ concordiæ, & unionis animorum rationes secutus, omnia bona per vim occupata, ad legitimos suos, & hæreditarios possessores redire decrevit, in casu remittere nolentium, Vayvodis executionis potestas concessa, introducta firmioris pacis gratiâ injuriarum omnium inter unius partis & alterius subditos illatarum amnistitia. Donationum vigor ab utroque Principe, justo titulo factarum, & legitimè apprehensarum stabilitus, exceptis Reginæ Isabellæ, & filii ipsius collationibus, quæ annihilatæ, & cassatæ, quod ab obitu Joannis Regis, nullus præter Ferdinandum Rex in Hungariâ agnosceretur. Inita etiam consilia proceribus ad Austriam impignoratis redimendis, tredecimque oppidis Regno Poloniæ inscriptis corpori Hungarico applicandis. At salutaribus his conatibus, arcana sœpè Reginæ machinatio obstabat: Solimannus quoque accensus vindictæ cupiditate ardebat, parvas quoque injurias, magnâ clade pensare solitus, ad Joannis Beneficiarii restitutionem intendebat. Et mox centum sexaginta millibus armatorum, Duce Amhato Beglerbego Temesvarum denuò obsessum: Cujus obsidionis ille eventus fuit, ut trigesimâ secundâ die, summâ necessitate coactus Losonci (*a*) egressus, atque fide, & fraude Turcicâ circumventus, cum sociis pugnando atrocibus vulneribus confectus obierit. Hic quoque Simon (*b*) Forgacz eximiæ fortitudinis, cum multis vulneribus captus, & sœpè à gemoniis mandante Amhato retractus, atque tandem ab avaritiâ hostium multo argento redemptus. Fuit sub initium anni 1556. horribilis Cometa, colore sub pallido in cœlo, futurorum in Hungaria, Gallia, & aliis Regnis bellorum significator. Habuerat hactenùs Ferdinandus cum Turcarum Imperatore pacem anno 1552. pactam, cujus conservandæ firmandæque gratia, Antonium Verantium & Franciscum Zay statim à cœde Georgii Constantinopolim miserat, ut juxta pacem, Transylvaniam & partes Hungariæ, velut jure, & marte à se partas, intactas sibi relinqueret, qui tamen tàm diuturnæ legationis spe frustrati, nihil egerunt.

*Ferdinandi conatus turbantur.*

*Solimannus Temesvarum denuò obsidet.*

*a) Losoncius occumbit.*

*(b) Simon Forgacz iterum lytron solvit 1556.*

Solimannus enim obstinato, & indomito erga Ferdinandum animo, ne unum quidem lapidem se concessurum respondit, & jussit potiùs eam Joanni in integro restitui, nisi bellum habere mâlit, & ad Transylvanos, atque Hungaros Comitatus, ac Proceres, instigante Petrovicio, mandata dedit, sumtio viribus, ut Joannem reducerent, aliàs se ferro, & igne in eos animadversurum. Implorabat Transylvania quoque opem Ferdinandi, quam licet fide integra expectaret promissam, sed ob hostium immanissimorum metum, multitudinem atque summam potentiam, necessitate ita imperante, Ferdinandus ad libitum Tyranni eandem Joanni restituit, quandoquidem Turca omni induciarum fide, ac omnibus honestatis legibus neglectis, pleraque loca partim armis, partim proditionibus occupabat. Bassa enim Budensis de injuriis præsidiariorum, qui Sigethum & Babocham tenebant, prolixè questus, coacto ad decem millium exercitu, Capos Uyvár & Babocham deditione occupat. Adactis ad Sigetum castris, globo in tentorium suum ex arce delapso, territus retrocessit: quod tamen paulo post reversus, iterata aucto exercitu obsidione cinxit, defendente cum lectissimis militibus Marco Horváth. Hoc periculo excitatus Ferdinandus, Imperii Principes Ratisbonam congregatos de auxiliis sollicitat, interim conscripto per Germaniam opera Nicolai Bolvilari milite, magnis itineribus ad Babocham abstrahendorum ab obsidione Sigeti Turcarum consilio contendere, festinabat. Hungari tunc Nicolao Zrini, & Thomæ Nadasdi imperio parebant. Quorsum Turcæ quoque advenientes, occupato excelsiore loco, nostros parum æquo marte, vel ob loci iniquitatem retrò cedere coëgerunt. Quo discessu Babocham adorti, ni pulveris tormentarii inopia impedivisset, expugnassent. Claudebant extremum agmen Equites Austriaci, quos nigros vocant, illi insequentes à Tergo Turcas morantes, cum universa ferè Turcarum multitudine pugnabant, ac Hungarorum quorundam auxilio, imprimis Thomæ Nadasdi adjuti, hostes magna clade affectos rejecerunt, atque ita illorum exercitus incolumis cum tormentis reductus: Turcis fatentibus, nunquam sibi cum formidabiliori hoste rem fuisse, quàm cum nigris his militibus, quos diabolos lingua

*Ferdinandus Transylvaniam Ioanni restituit.*

suâ vocabant. Circa id tempus Agaria quoque & Filekum amittitur, infœlicitèr propugnantibus Stephano Dobo, & Stephano Meczkey amissa, Filekum dolo sacerdotis unius, atque inertiâ Bebeki perditum erat.

*Palatinalis dignitas post Bathoreum restituta: non computatis locum tenentibus, Stephano Bathori successit Nadasditis.*

Hic quoniam mentio Thomæ Nadasdi incidit, eâ occasione aliquid extra seriem annotandum. Successerat hic Thomas Nadasdi Banus, Stephano Bathori Palatino, pro restauratione dignitatis istius post Regem summæ Regnicolis supplicantibus, electus anno quinquagesimo quarto supra millesimum quingentesimum, dum interim interjectis aliquot annis à morte Stephani, ad præsens Palatini officium, in tres partes divisum fuisset, in publicam Regni administrationem, juridicas actiones, & rei militaris exercitium, quarum prior Regni nimirum administratio, ad locum tenentem actiones Juridicæ officium Palatinale concernentes, ad Propalatinum res militares ad Generales Capitaneos pertinebant. Eadem forma denuò introducta post fata Nadasdi, usque ad electionem Stephani Illesházi Palatini, de qua inferius.

*Vacante officio Palatini qualis Regni administratio.*

*(a) Ferdinandus successoribus cavet Palatini creationē.*

*(b) Cives Regni à gubernatione omninò removere non tutum.*

(a) Præterid enim, quod difficulter in electionem Palatini Ferdinandus consenserat, proditum etiam memoriæ est, ipsum successoribus suis diligenter cavisse, ne imposterùm futuris temporibus, velut Regiæ dignitatis, cum socio divisâ Majestate creatio Palatini in Hungariâ admitteretur, sed antiquata haberetur, quandoquidem summum jus, & supremam potestatem cum socio partiri, cum eo præsertim qui subditi nomen inter alios Regni Cives obtineret, indignum videretur. At quam non satis tuto & securo insistit calli, talis gubernationis mutatio, & eâ principum voluntas, omnes ex summo throno humiles despicere, & cum ipsi caput existant, subditis suis velut manibus non uti. (b) Periculum enim est, ne si quibus vicarium saltem imperium in suâ regione nimis negatur, aut invidetur, aliquando armis sociis, & auxiliaribus, summum adipiscantur, quod impatienter ferunt omnes populi, si dignitatibus suis priventur.

*(c) Palatini officium quibus terminis continetur*

*(d) Anni 1492. Art. 33.*

*Extractus Iuramenti Palatinalis.*

Quoniam autem hactenus sæpius in Palatini mentionem incidere contigit, hoc loco, velut in transitu attingendum, quibus limitibus partes officii ejusdem claudantur, (c) quod nimirum primum in electione Regis obtineat suffragium, si curator vel tutor hæredis Regum in tenerâ ætate constituti, Rege nullo aut puero existente, Diætas indicendi habeat authoritatem, discordias sopire, & differentias inter Regem & Regnum, ut sequester componere necesse habeat, legationes, & querimonias audire, easque ad aures Regis deferre, judicia ad se pertinentia exercere, in absentiâque Regis locum tenere, Regia omnia cum Consiliariis facere, præter majora quædam, quæ non nisi de Regiâ authoritate pendent. Hæc omnia summis capitibus in juramenti Palatinalis formulâ posteriora (prior enim quàm Constitutiones Uladislai Regis exhibent, (d) & brevior, & cum aliis Regni Judicibus ordinariis communis fuit) ut longâ, ita strictissimâ & difficili comprehenduntur. Fidem enim Christianam ibi (medullam hic juramenti annotato) honorem & humanitatem, coram Deo vivo obligat, ad obedientiam obsequium, & fidelitatem Regi præstandam, & omni factione populari posthabitâ, authoritatem, gloriam, dignitatem, exaltationem ejus promovendam, omniaque adversa devitanda, & propulsanda.

Omnes inimicitias & confœderationes in derogamen, & detrimentum Regis cum quibuscunque abjurat, ea studia in omni rerum eventu, & casu pro virili promittens constanter, & fideliter, quæ decus, honorem, utilitatem, & incrementum rerum Regiarum spectarent. Ad fidelem proventuum Regiorum administrationem, ac aliorum bonorum defensionem, & augmentationem adstringitur, per nullam abalienationem, vel in suum commodum, vel favorem fratrum; & amicorum curandam. Cœterùm quod post Regem universos & singulos patriæ Cives in eorum libertatibus, & juribus tutabitur, proteget, & conservabit, judiciorum consuetorum cursum pro Regni quiete, & tranquillitate promovebit, non impediet, aut suspendet, de castrorum finitimorum restauratione, conservatione, & defensione providebit, aliaque ad officium suum pertinentia justè, probè & fideliter postpositis omnium affectuum impedimentis exequetur & administrabit.

*Locumtenentis officium quibus partibus continetur.*

Locumtenentes autem (ut & hoc sermoni de summis hisce Magistratibus addatur) cum plenâ infra scriptâ authoritate, & dispositione creabantur; administrandæ videlicet citra omnem appellationem justitiæ: Indicendorum Conventuum particularium, ita Regni necessitate postulante: Cum facultate imperandi omnibus confinia tenentibus, & cœteris officialibus in omni publicâ administratione: potestate item conferendi bona ad triginta duos colonos se extendentia, etiam Ecclesiastica beneficia in quibus Prælati jus patronatus non haberent, exceptis Abbatiis Præpositurisque majoribus: Denique cum libertate impertiendæ gratiæ, omnibus ad sinum Regium cum resipiscentiâ redeun-

deuntibus. Christiano exercitu ad Zorgonem constituto, Ferdinandus filium suum Ferdinandum Austriæ Archiducem, Pragâ cum tormentis, & nonnullo apparatu evocatum, expeditioni Turcicæ, addito ducis militiæ titulo adjungit: Qui ad copias, quæ ad Canisam operiebantur, Viennâ progressus, contra Turcas, contemptis qui eo tempore Sigethum graviore obsidione cingere laborabant, sed virtute Marci Horvath Præfecti effectum, ut crebris eruptionibus ex castro, hostes damnis insolitis affecti, cum Bassâ consilium discedendi cœperunt, qui etiam maximâ animi amaritudine, quod per quinque dies unicum tantum ex Christianis cœsum audierat, obsidionem solvit. Præmiserat Archidux cum parte exercitus Bolvilerum ad occupandam Cariothnam munitissimam cum oppido arcem, quam facilè ferè sine sanguine locum, aliàs naturâ, & arte munitum occupavit, ad cujus interceptæ famam, reliqua Turcarum præsidia ex Babocsâ, Sammartino, & aliis pluribus, succensis castris, & corruptis tormentis Quinque ecclesias profugerunt. Spe victoriæ accensus Archidux, reliqua etiam vicina castra recipere cogitavit, sed hyeme, & tempestatibus urgentibus, annonæque penuriâ coactus, revocante simul per literas patre, postquam Sigethum obsidione liberasset, nec ex parte Turcarum prælii facultas daretur, exercitum reduxit, ipse Viennam ad patrem profectus.

Regina verò pertesa belli atque otii delicati cupida, pacem cum Ferdinando, arbitro Sigismundo Poloniæ Rege fratre, consentiente Solimanno confecit his conditionibus. Filiam per Castaldum, & Nadasdium promissam, Ferdinandus uxorem Joanni filio daret cum dote Cæsareâ, Comitatus Abauyvár eidem cederet, propterea quod Cassovia Metropolis superioris Hungariæ in illo esset. *Regina pacem cum Ferdinando confecit: quo pacto.*

Beregh & Vgocha Comitatus inter duo imperia tributum & censum utrique penderent, dimidium tamen singulis, Muran, Huszth, Marmetiam certas partes Hungariæ superioris, & Transylvaniam Joannes suis juribus, legibus, liberè, absolutè, ac perpetuò Regiâ authoritate possideret, titulo tantùm Regis non usurpato. Quæ conditiones mortuâ Reginâ, ambitione Hungarorum adhærentium Joanni filio Reginæ mutatæ, & turbatæ, & aliæ quædam appositæ nimirum ut extinctis hæredibus Ferdinandi, regnum ad hæredes Joannis veniret, & Danubius imperium utriusque disterminaret. Ferdinandus iniquitatem conditionum per legationem excusatam, non occultâ indignatione prosequens, mox bello redintegrato, superiore fortunâ Joannem aliquoties afflixit. Erant ab annis duobus legati Ferdinandi in aulâ Turcarum Imperatoris, quibus ibi existentibus Turcæ per innatam fraudem ad Fulek occupandum animum convertunt, quo expugnato, Legatos Ferdinandi pacem octennalem offerentes, subitò dimiserunt: cui Joannes etiam inclusus erat; Ita inter Inducias infidas, bellum licet sæpius cessaret, tamen belli incommoda inter Hungaros dissensionibus cœdibusque desinebant. Post hæc Ferdinandus gravibus mutationibus à morte summorum hominum, Regnum jactari edoctus, tempestivè de successore providere statuit. *Conditones pacis post obitum Reginæ mutatæ.* *Fœdus Ferdinandi cum Solimanno octennale.*

Maximilianus ergò prius jam Cæsar, & Rex Bohemiæ, sæpius antehac ab Hungaris expetitus, ut parentis absentis loco in Hungariâ maneret, Monarchiam Sacræ Coronæ suscepit, publicè in Comitiis coronatus Posonii, Ferdinando & Carolo fratribus Escopo Salisburgensi, Episcopo Vratislaviensi, duobus Ducibus Lignicensibus, duobus Ducibus Munstenbergicis & infinitis Hungaricis Bohemicisque Proceribus præsentibus, subsecutâ mox alterâ die Reginæ Mariæ coronatione. Obtigerunt ipsi tria hæc Diademata intra annum ferè, singulari Dei gratiâ, & hominum favore. Absens enim Bohemiæ Rex designatus, ab Hungaris quoque ultrò expetitus fuit: & cum Carolus Imperator Philippum filium suum successorem in Imperio optasset, lite coortâ Ferdinandus filiorum suorum expectationem atque commoda diminui non permittebat: ac evenit postea cum ob præclaram indolem, morum elegantiam, tum ob id quod Regnum Bohemiæ jam apprehendisset, in Hungarico verò consequendo indubiam spem haberet, ut Maximilianus duplicatam jam dignitatem, Cæsarea authoritate ex Principum consensu triplicaret, & consumaret. Contigerunt tempore electionis ejus, Hungariæ Comitia tumultuosa, ob quæstionem de libera Regis electione. *Imp. Cor. 1562. ultimâ Octob. Bohemiæ Rex 1562. 20. Sept. Hung. Rex 1563. 8. Sept.*

Hanc enim Hungari, successionem Cæsar tuebatur, adducto Sigismundi exemplo, & pactis Ladislai, asserendoque ibi electionem valere, ubi Regis liberi nulli superessent. Sed Hungari jus gentis sibi per manus traditum severè & strictè allegabant, pactaque vi & favore interdum exprimi agebant. Inde apparet Hungaricam gentem magno semper zelo libertatem electionis asseruisse: ob quam rationem (a) etiam, ne dominorum & Universitatis animi seducerentur, externorum Principum & Regum Oratores in Comitiis Regi creando indictis, statuto publico anni 1498. prohibiti fuerunt. Per id tempus Joannes *Hungari de liberâ electione Regis disputant. Gens Hungarica libertatis studiosissima.*



(a) *Oratores Principum externorum, ad quæ Comitia Hungarica non admittebantur.*

*Ioannis ad Ferdinandum in negotio pacis legatio.*

Stephanum Bathoreum de Somlyo Varadini Præfectum, ad Ferdinandum mittit, qui studium pacis nomine Joannis testaretur, & filiæ Joannæ conjugium à Castaldo promissum, cum Regis titulo & ditione omni à Transylvania usque ad Tibiscum peteret. Respondit Ferdinandus, eligeret Joannes qualemcunque titulum, præter Regium. Se enim vivo, & Maximiliano filio jam coronato, dignitatem hanc in alium transferri non posse, ideo contentus iis esset, quæ ultra Tibiscum possideret: cis Tibiscum verò quædam, quo firmior pax constitueretur ei concessurum, nec filiæ connubium negaturum. Verùm confestim mutato consilio & secessione à pactis Somlianis facta, Balassæ, & Zayo Ferdinandicis, prætextu insolentiarum quarundam, evocato Turcâ, bellum Joannes intulit, ubi minutis præliis certabatur, certò quasi ad majores motus præludio. Coërcebat enim Turcas ab ausis majoribus Induciarum pactio, quas salutis & conservationis publicæ gratiâ Rex inierat, & quas Hungari tantâ Martis inquietudine fatigati, gratissimas agnoverunt approbaruntque.

*Ioannes Ferdinandicis bellum infert.*

Crescentibus tandem rumoribus de Turcarum in Hungariam ingressu, Rex ad insurrectionem viritim instituendam penes personam suam Hungaros hortatus est, quod ipsi ratum habentes, etiam si rumores præsentes nullo secuturo eventu firmarentur, sancto proposito Regem suum insistere volunt, viresque ad recuperandam sub jugo Turcico Regni partem convertere parati sive penes personam Regis, sive filii Maximiliani per singula capita armati insurgere.

*Ferdinandus moritur anno 1564. 26. Iulii. Prage tumulatur.*

Excessit tandem rebus humanis Viennæ Austriæ anno ætatis 61. Princeps liberalissimus munificentissimus, ut potè qui fideles suos, plurimis cumulare solitus est beneficiis, privilegiisque multarum salutarium legum conditor, pietate ac sanctitate morum nunquam satis laudatus, consiliis validus, de Hungariâ optimè meritus, corpus ejus postquam annum unum & dies tredecim Viennæ in templo arcis jacuisset, celebratis exequiis Pragam deductum est, ibique Annæ Conjugi, quæ in partu decimæ quintæ prolis mortua erat, (Maximilianum enim successorem suum Ferdinandum Carolum & filias complures ex ea susceperat) Uladislai filiæ appositum.

Hæc erat non inter postremas vicissitudo Monarchiæ S. Coronæ, cujus occasionem præbuit interna civium seditio, & studia populi contraria, quæ ex privatis offensionibus orta, in publicam pestem certando progrediuntur. Errabat nimirum apud suos Corona, quando nullo religionis cultu habita, nullo Custodi legitimo tradita, in loca illa longè à naturâ Visegradiensi distantia commigrârat, inter Reginæ muliebres pompas, ornamenta, ac delicias versata aut servata. Cœterum Ferdinandus præclaram divinitus laborum suorum mercedem ac testimonium ex Coronâ ad ipsum lata tulit, non improbantibus Hungaris, & cum jam Buda cum sacro Visegradi habitaculo in potestate Turcarum esset, ut quietem à turbis, obsequium ac fidem à subditis, imposterum sortiretur, in domo Austriacâ sedem, & custodiam sibi Corona delegit, tacito aut manifesto gentis consensu.

*Ferdinandus ex domo Austriaca primus Coronæ conservator.*

Primus igitur Ferdinandus Conservator S. Coronæ, principia suæ Provinciæ conservationis, ac media gubernationis difficilia, infœlicia habuit, vetantibus fatis, ne fœlicitatem temporaneam Monarchia S. Coronæ haberet, sed velut quædam Martialis schola & arena æterno cum hoste Turcâ, assidua belli exercitia excoleret, atque tot suorum millibus, pro salute, & tranquillitate totius orbis christiani sanguinem litantibus, æternas laureas consecraret.

*Maximilianus de bello Turcico disputat.*

Suscepto regimine Maximilianus nihil prius habuit, quàm ut Deo propitio pacem Hungariæ, & vicinarum gentium tueretur, aut si belli, quod cum ipso imperio accepit, necessitas postularet, rebus præclarè gestis, decus Monarchiæ S. Coronæ, contra quosvis hostes defenderet, quare convocato frequenti Senatu de bello Turcico deliberat, an fidelibus fœderibus, & induciis standum esset. Dehortantur alii rerum experientiâ celebres; Comes Nicolaus Zrinius longâ oratione suscipiendum suadet, propendente tamen ad pacem Maximiliano, Solimannus literas de servandis induciis mittit, si illæ à Maximiliano quoque salvis conditionibus servarentur. Itá res in Hungariâ tranquillas, Transylvania turbavit, dum (*a*) Joannes Sakmarium astu militari, submissis inter pulverem ab armentis à pastu redeuntibus excitatum, promptissimis militum occupat, Balassii Præfecti Sakmariensis (*b*) conjugem cum filio, & filiâ in Transylvaniam abducit, supellectilem in prædam vertit, oppidum propè rivulum Dominarum cum arce deditione capit. Balasso ex vulnere gravi accepto refectus, Debreceni-um tum ad Joannem pertinens per insidias occupat, & direptis civium bonis incendit.

*(a) Ioannes Sakmarium occupat.*

*(b) Balassii Conjugem & liberos capit.*

*(c) Maximiliano bellum Ioannes indicit.*

(*c*) Hoc successu animatus Joannes, bellum Maximiliano indicit, ac primum Hadadum (*d*) arcem vi expugnat, Echedum obsidet, cujus obsidione ex certis pactis cum Nicolao Bathori initis solutâ, ad Kis Vardam oppugnandam contendit. Superato Tybisco Corazonem Arcem oppugnare adortus est, quàm captam solo æquavit, nihil intermissâ celeritate, ad aliam Micha-

*(d) Ioannes Hadad expugnat, & Eched obsidet.*

chaelis Bidii arcem pervenit, deditione occupatam. Jamque ad Cassoviam expugnandam animum adjecerat, nisi cœli injuriis depulsus, cœpto absistere debuisset.

Tantis in ipso exordio affectus injuriis Maximilianus, nequaquam ferendas eas existimans, exercitum comparat, & insolentias Transylvani, Duce Lazaro Svendio in Transylvaniam misso, vindicandas decrevit, cui Andreas Bathorius, Melchior Balassa, Gabriel Prini collegæ adjunguntur, per quos acerrimâ hyeme recuperatæ arces, & amplissima dominia Tokay, tum Scherediorum familiæ arx Francisci Némethy pupilli, Tutore ibidem interfecto, Munkach vix tentatum, Erdeöd densissimarum nebularum beneficio (quod Ferdinandus, ob fertilitatem non semel expetierat, Bátor Uybanya, Zendereö, Zaad, Husth, Pelteö, Krasznahurka, cum aliis locis insignibus, Joannes retinendo Szakmario diffisus, illud igne vastatum deserit inque Transylvaniam revertitur, Svendius verò recuperatum nullo labore castrum, novis munitionibus reficit. Joannes visâ Maximiliani fortunâ, Turcarum Imperatoris opem implorat, quem ut Melitensi bello impeditum cognovit, Stephanum Bathori de Somlyo, qui postmodum Rex Poloniæ factus est, ad Cæsarem pacis gratiâ mittit, in quam ipse, licet fraude animadversâ, conditiones retinendarum, quas Svendius cœperat arcium consensit. Verùm Turca re malè ad Melitam gestâ, odiũ Christianorum in Hungariam convertit, injurias clienti suo illatas commemorat, tributum non solutum longo tempore queritur, & paci factæ, quam Joannes se inconsulto inierat, reclamat. Igitur Temesvári Præfectum, ad Pancotam, Geonam & Desnam castella occupanda mittit, ut deinceps Giulâ faciliùs potiri posset.

*Svendius Dominia in Hungaria recuperat.*

Svendius de Turcarum adventu certior factus, ad Cæsarem pro auxiliis impetrandis proficiscitur, castris inter Tokay, & Debrecen relictis. Quo cognito Joannes Erdeodum cum Turcis obsidet, quod post seram oppugnationem, & Turcarum cladem, datâ præsidiariis, annonæ penuriâ laborantibus, discedendi facultate, deditione occupat: qui citra datam fidem castra Transylvanica transgressi, à Turcis tandem crudelissimè trucidantur. Posthæc Cæsariani Munkaczium per insidias occupant, & diripiunt prædamque omnem Szakmarium traducunt. Turcæ Neostadium deditione occupant, non multò post à Cæsarianis receptum. Castra tandem ad Tibiscum Svendius collocat, cui Turcæ sua proximè apposuerunt, non levibus à Cæsareanis damnis affecti, quo tempore Svendius gravissimâ febri correptus decumbebat.

Hoc tempore explorata Albæ Regalis recuperandæ spes offerebatur, dum præcipui illius cives, cum Comite Salmensi Jaurini Præfecto, datis obsidibus paciscuntur. Verum cum ille cum exercitu ab Albâ non procul abesset, à Cæsare, ne per se pax non coiisse videretur, redire jussus, pactionem irritam fecit, conspiratoribus ferendo supplicio per Turcas affectis.

Deinde Comitia Hungarica Maximilianus Posonium indixit, quibus Carolum fratrem præfecit. Turbulenta illa satis, absentiam Regis Nobilitate ægrè ferente, ob externos homines adhuc in Præfecturis in suum præjudicium relictos, insolentiam militum, & alia in Regno inordinata. Ipse in Comitiis tum Augustæ constitutus fuit, quo antequam discederet, Georgium Horzuthothi Constantinopolim Legatum misit, impetratum ut Transylvanus fœdere excluderetur, siquidem crebras patraret insolentias, quibus se ad arma, provocaret. Solimannus irritatus ob munus honorarium non allatum, adhibitis in consilium Mehemete & reliquis purpuratis, bellum Cæsari indicit. Quo cognito, in Comitiis Hungari, auxilia Cæsari decernunt, quin & penes personam Cæsaris, vel fratrum ejus, Proceres se ad bellum profecturos pollicentur, deinde Pontifex etiam & alii, Italiæ Principes, Galliarumque Rex de auxiliis compellati, ordines imperii in Comitiis Augustanis sumptum pro duodecim equitum, peditum verò viginti millibus ad menses octo sedulò promiserunt; in quatuor simul equitum millia per duos annos & dimidium alenda consentientes. Solimannum, interim Transylvanus, & Arslanes Budensis ad bellum instigant.

*Solimannus Cæsari bellum denuncias.*

Transylvanus præterea, Nobilitatem Hungaricam, sparsis per Comitatus literis, ad defectionem sollicitat, & ad Conventum Tordam indictum vocat. Svendius contra authoritatem Cæsaris, omnes ad fidelitatem hortatur, & constantiam, secus facientibus, gravissimorum suppliciorum interminatione denunciatâ. Ergò Transylvanus excursionibus operam dare cœpit. Turcæ quoque ad Szigethum profecti, à Nicolao Zrinio, non sine sanguine profligati; & postea variis eruptionibus lacessiti, & cœsorum Turcarum capita currubus Szigethum devehuntur. Svendius Hustam frustra obsederat quidem, sed Transylvanum cum Turcicis copiis auxilio obsessis advenientem fudit, aliquot millibus trucidatis, vexillisque quibusdam Turcicis & tormentis fœliciter reportatis. Arslanes porrò Bassa Budensis Palotam aggreditur, cujus Præfectus Georgius Thuri, auxilis à Cæsare missis animatus fortiter restitit, & terrore hostibus incusso, se ab obsidione liberavit. Salmensis interea Comes Jaurino egressus, Vesprimium nullo negotio cœpit, & Georgio Thuri muniendum commendavit. Inde

*Palotam irrito conatu obsidet.*

Tatam expugnat, Turcis omnibus trucidatis, ut terrore perculsi ex vicinis castellis Turcæ Strigonium profugerant.

*Gyula oppugnatur.* Tandem Solimannus Bizantio movit, Pertafuni Bassam, ad Gyulæ obsidionem ordinat, ipse ad Agriam aut Sigethum exercitum directurus. Gyula cum lentè oppugantur, Solimannus Belgradum venit, ubi per aliquot dies stativa habuit, deliberans an Agria vel Sigethum esset obsidendum. Quo ibi morante, Joannes cum splendido comitatu venit, à quo vestes Phrygii operis aureas, pro se & suis oblatas accepit, Joanni ad postulata difficilior, cò quòd Mehemetes, primus inter purpuratos Joanni infensus, animum Solimanni corrupisset. Solimannus Agriam obsidet, qua relictâ, castra Szigethum versus promovit. Quæ dum geruntur, Maximilianus cum Ferdinando Fratre Viennâ discedit, & cum viginti quinque millibus equitum, peditum octoginta millibus ad Jaurinum castra locat, sub quod tempus Joannes Tokaium quoque obsedit, defendentibus Jacobo Ramingo & Matthia Calvasi.

*Obsidio Szigethi.* Itaque immensis copiis Solimannus Sigethum palude longâ latâque circumseptum aggressus, cujus arcem, atque oppidum fossa tantum discernit, mœnia, atque propugnacula ex arte non saxo, aut cocto latere, sed triplici ordine cratium, ferreis clavis, vinclisque inter se junctarum, duo, & viginti pedes lata, & media humo solida, fortissimi muri vim habentia circumdant, primum ab oppido capto initium ejus potiundi habuit, post attentatas plurimas arduas in nostros oppugnationes, quibus noctes ac dies indefesso hostium furore lacessiti, impari quidem numero, paribus tamen animis conficiebantur, præter alias oppugnationis operas, Turcæ tres moles saccis terrâ, & lanâ completis, murorum altitudinem superantes, mirâ celeritate construunt, in iisque Janiczaros cum tormentis disponunt, ex qua omnem muniendæ arcis facultatem eripiebant.

*Oppidum primum capitur.*

*Arcis Sigethi Præfectus Nicolaus Zrini Comes. Muneribus corrũpi non potest. Nec filii proprii vitæ periculo terreri.* Arcem propugnabat fortissimus, magnanimus, constantissimusque heros Nicolaus Zrini, ejusdem Præfectus & generalis Capitaneus, partium Regni Hungariæ ultra Danubianarum, cum non multo milite præsidiario: quem dum Solimannus, amisso jam oppido, nequicquam ad deditionem desperatis fortè viribus, bonâ jam parte absumptis, proclivem cerneret, constantissimum ejus animum, spe munerum amplissimorum expugnare statuit. Sagittâ igitur missâ cum literis intra arcis mœnia, totius Illyrii præfecturam, & possessionem Croatiæ pollicetur, maximas opes, & facultates offert, si dedat arcem. Quo artificio cum profecisset nihil (imminente enim Turcarum adventu, Dux, & milites, ac cives juramenti sacramento se se ad mutuæ fortunæ patientiam obstrinxerant) ad novas conversus artes, immittit tubam capti tubicinis, filii ipsius Zrini, de qua pendebant depicta arma illius, cujus tubicen esset, hoc indicio captum filium docturus, cujus vitam nonnisi arcis deditione conservatam iri, sin minus pertinaciter defendat, mox filii caput, ad portam hastæ infixum, miserabili spectaculo visurum inquiebat. At verò Comes animi constantiâ incredibili, opulentissima præmia, necessitudinem quoque sanguinis, cui unico sub sole post Deum plurimùm debetur) unicæ fidei Principi suo datæ posthabuit, ad quam servandam militiam quoque suam animosè hortatus est, paratissimus dulcissimæ Patriæ perpulchra vulnera, & mortem honestissimam, suum litare sanguinem. Igitur Solimannus more & irritorum hactenus conatorum cœdiumque exercitus sui, quem in tres partes diviserat, pertæsus, vehementi indignatione intra præcordia conceptâ, incidit in gravem morbum apoplexiæ, quo etiam mortuus est. Cujus mortem aliquo tempore primarius ipsius Bassa Mechmetes callidè occultabat, interfectis medico, & iis quos mortis ipsius conscios sciverat, interim indignationem Cæsaris ferè sub horarum momenta maximam exaggerando, mortem quoque, ac internecionem sibi & reliquis Bassis, Janiczerisque imminere denunciando, nisi intra breve tempus, excitatis viribus arx caperetur. Cum autem purpurati, mortis suspicione, Cæsaris sui videndi desiderio incenderentur, jam propè seditiosi, is protinus demortui cadaver, solito habitu ornatum, & sublimi sellæ impositum, eminens ostendit, observatâque in omnibus solitâ aulæ solennitate, ita omnibus persuasit, ut superstitem putarent. Jam ferro & flammâ extrema omnia tentare proposuerunt: pugnatur Turcis invicem succedentibus, nostris vix ad suspirandum dato spatio, quorum plurimis cœsis, reliquis præter animi virtutem constantiamque nihil erat reliquum. Postremò ferro & flammâ eò angustiarum fuêre redacti, ut patefactis portis erumpendum sibi in arcem exteriorem putarent. Flammarum enim tanta vis erat, ut tota igne jam colluceret, corripereturque area arcis. Unica pars, qua ex arce in oppidum ponte satis longo itur, ab ignibus immunis erat, quæ tamen infinitâ barbarorum multitudine tenebatur. Quocirca non tàm ferro hostili, quàm flammarum magnitudine, & suorum paucitate Zrinius vulneribusque coactus, sermone priùs ad milites habito, quo animos extremam fortunæ aleam experturos, accendebat, & vexillo ingenti inaurato dextrâ, (quod in unâ parte insignia Regis, in alterâ Regni Hungariæ habebat) gladio sinistrâ manu prehenso, veste holosericâ indutus, repositisque ad dextram partem centum, ad sinistram centum Principis sui aureis, (quos præmium sepulturæ illi, quisquis tandem barbaro-

*Solimannus ad Sigethum moritur. Mors ipsius fraude occultatur.*

*Arx incẽditur.*

rum

rum corpus humasset, esse dixit) cum trecentis commilitonibus, in confertissimos hostes erupit, ac multa obvia ferro sternendo, tandem duobus exceptus globis æneis circa tempora altero, altero in sinistro pectore, concidit. Eo die Zrinii caput ab humeris revulsum est, paloque alligatum, in castris ostendebatur, post biduum tandem Budam Mustaphæ à Mechmeto transmissum. Hoc ubi Mustapha inspexisset, serico involutum per unum, (a) atque alterum Agricolam Jaurinum ad Cæsarem ablegavit; moxque Balthasari Zrini filio traditum fuit, qui in arce Châktornyâ monumentis majorum suorum illud mœstus recondidit.

*Zriniius globis trajectus occumbit. 1566. 7. Septembris.*

*(a) Caput ejus à Turcis Cæsari restituitur.*

*Ita omnes viri fortes, qui in exemplum prædicantur ærumnis suis inclyti floruerunt.* Reliquorum Commilitonum tantus pugnandi ardor fuit, ut ex trecentis non quatuor vivi in manus hostium pervenerint, & qui quemque locus exceperat, vivum idem mortuum texit.

*Præstat quippè armatos mori, quàm miseros vivere, si tamen mori dicendus est ille, qui animi magnitudine, nominis & gloriæ immortalitatem sibi comparavit. Triginta millia hostium, Sigethiana obsidione interierunt.*

Par fatum fuit Gyulæ in Hungariâ superiori, quæ viris potens, munitionibus armis æquè instructâ Duce Kereczeni, in Berthæ Vezirii Bassæ, per deditionem venit, præsidiariisin armis dimissis, Turcarum fide mox in perfidiam mutatâ, vix quarto lapide, ab oppido trucidatis, & Kereczenio capto, ac, crudelissimâ morte perempto. Qui tantum meruit malæ famæ, quantum Zrini laudis, egregio facto gloriæ bonæ consecravit. Hos exitus duo propugnacula Christianitatis habuêre.

*Gyulam Turca intercipit 2. Septem.*

Cæsar interim, ut dictum, cum insigni Germanorum, & Hungarorum exercitu, comite Ferdinando fratre, Alberto Laskio Polono, Hungaricum habitum, ne ea res Polonis, tùm pacem cum Turcâ habentibus fraudi esset, cum suis comminiscente, Anglis item Illustribus viris, Henrico Duce Gvisio Gallo, & aliis Galliarum ordinum hominibus non obscuris, Comite quoque Svartzenburgio, in Regnum Hungariæ Jaurinum usque ad hostium vim reprimendam descenderat, ut non solum Regni hujus, sed & totius Christianitatis propugnacula, contra hostis Sigethi expugnatione insolescentis incursiones tueretur. Castris ergò ad Taurinum positis, continuas excursiones in Turcas non longè in castris degentes (triplici enim viâ Hungariam tum aggressi fuerant) faciebat, inter quas notabilis illa fuit Emerici Forgach, (soceri mei & fratris germani illius Simonis Forgach cujus supra mentio facta) ex qua profligatis fortiter hostibus, aliquot vexilla, & captivos, ex præcipuis etiam Turcis multos, magnâ virtutis laude attulit, nec parvâ suorum utilitate, quando Cæsareani de clandestinis hostium consiliis, hoc pacto edocti, securiora omnia cogitare potuerunt. *Multum siquidem interest ad victoriæ fœlicitatem, si hostium studia, quibus circumveniri posset Dux belli, habeat explorata, prævisa tela majori cautione excepturus.* Erat in Castris Cæsaris Georgius Thuri, vir solers, & impiger. Is involantibus inexpectatò in nostros Turcis, Mahometem Albæ Regalis Præfectum, (qui Hispani cujusdam testimonio in aulâ Turcicâ versati, Romanorum Regem debellaturum se superbâ fiduciâ dixerat) vivum capit, & coram Cæsare sistit, aureo torque, & equestri dignitate ab eo ornatus.

*Cæsar ad Iaurinum castrapo-nit.*

*Emerici Forgach facinus egregium.*

Interim Gyulam à Berthâ expugnatam, Joannes velut castrum ad Transylvaniam pertinens sibi restitui petit, sed non nisi quadringentorum aureorum millium pretii expugnationis conditione, nihil obtinuit. Defuncto in castris Sighetianis Solimanno, optima invadendæ inconditæ multitudinis Turcicæ, occasio oblata, sed dum nuntiis fides derogatur, interim Selimus Solimanni filius, Magnesiâ egressus, Bizantii Imperator declaratur. At Mahometes Bassa, motis castris Belgradum versus cum omni exercitu, & Solimanni cadavere, revertitur, cui Selimus obviam factus, habitu lugubri, Solimanni corpus regali lecticâ vectum perlustrat, ac postquam defixis in terram signis exercitus indicia luctus edidisset, erectis confestim novis vexillis, Selimum Imperatorem acclamarunt. Solimannus Constantinopoli tumulatur, Maximilianus verò Cæsar Viennam revertitur. Cœterùm Selimus Bertham cum ingenti Tartarorum multitudine in Hungariâ reliquerat, quorum parte Joannes ad se pertractâ, Tokayum propugnante fortiter Svendio, & in Transylvaniâ Tartaris grassantibus, frustra obsederat. Anno sequenti (1567.) Suendius Szakmariam obsidet, cujus Præfectus Georgius Bebek, acerrimus Cæsaris hostis, non expectato obsidionis eventu, fugâ sibi prospicit, uxore, & filiis in eâ relictis; qui dedito castro, & ipsi liberi dimittuntur. Posthæc Maximilianus Antonium Verantium Episcopum Agriensem, Christophorum Tiffenbachum Austriæ Baronem, Consiliarios, legatos ad Selimum misit, & pacem postulavit. At Selimus bellum maritimum in Venetos moturus, Maximiliano octennales inducias dedit, his conditionibus: ut quod sibi quisque coacquisivisset, retineret, & possideret, agricolæ limitanei, Turcis juxta ac Cæsari pendere soliti, imposterum solis Turcis solverent, Transylvanus etiam hoc fœdere comprehenderetur. At Cæsar interveniente Rege Poloniæ, tractatibus ultrò citròque habitis, Comitatus Biharienſis cum Varadino, Zolnoko, item Provinciam Maramaros, cum

*Inducia cum Solimo octennales 1568.*

arce

arce Husztac Mineris salinarum possidendos tradidit. Quod si verò Transylvaniam per vim atque impressionem Turcicam ipse amitteret, in Silesiâ Opuliensem Ducatum, cum iisdem ditionibus ac finibus, quibus antea tenuit cum matre Isabellâ, Maximilianus aut sui, Johanni suisque assignarent, traderentque.

Anno deinde sexagesimo nono supra millesimum quingentesimum Maximilianus Comitia Posonium indixit, ut ærumnis, & afflictionibus populi, modis omnibus remedium adinveniretur. Nam præter alias domi urgentes calamitates, Joannes initam cum Imperatore Turcarum pacem, interturbare conatus est, & operâ nonnullorum transfugarum, & perversorum consiliariorum, nonnullos ex Hungaris Maximiliano fidelibus ad defectionem sollicitare. (a) Ex qua paucorum hominum criminis notâ, ne Rex fideles suos, qui fidelitate & constantia in Regem suum nihil antiquius haberent, æstimaret, iisdem comitiis rogatum fuit. (b) Fuit inter alios defectionem cogitantes Joannes Balassius, & Stephanus Dobo, qui adversus Cæsarem conspirant, & Joanni Veterosolii arcem cum oppido, & Levam, quæ in suâ potestate erant tradere, & Nitriam sublato clandestinè Paulo Abstemio occupare constituerant, iis consiliis, ut conscio Selimo è Transylvaniâ, cum exercitu advolare, sedeque belli Nitriam translatâ, ac Posonio & Tyrnaviâ, occupatis, Cæsarem possessione Pannoniæ exturbarent. Fundamenta conjurationis, per Georgium Bochkaium jacta, qui multos ex ordine senatorio sollicitavit, & in sententiam pertraxit Franciscum Tataium, parum abfuit, quin Draskovithium quoque, & Nadasdi Palatini viduam. Quæ consilia, indiciis quorundam, Cæsari nuntiantur, ac imprimis per Szentkiralium sceleris scena aperitur, qui Balassii literas interceptas Cæsari tradidit. Tandem Cæsar in Comitiis Posoniensibus, serie totius conjurationis proposita, Dobonem, & Balassam custodiæ tradi petit, qui etiam à senatu convicti, custodiæ mancipantur, reliquis conjuratis venia datâ.

*Ioannes pacem cum Turca factam interturbare vult.*

*(a) Statû Regni Hũgaris turbare.*

*(b) Balassa & Dobo contra Cæsarem conspirant.*

*Carceri mancipantur.*

Hoc anno denuò exortus in Hungaria niger homo, ex oppido Rivulo, qui cum decem millibus hominum, ad Debrecen Oppidum tumultum concitavit, & victorias contra Turcas promittebat, sed à Turcis victus interficitur.

*Niger homo in Hũgar exortus.*

(c) Anno abhinc sequenti, Joannes, postea quàm trigesimum secundum ætatis annum attigisset, è vivis excessit, ejus successor Stephanus Batthory (postea Rex Poloniæ factus) Princeps salutatur, ejecto per Proceres Caspare Bekess qui à Joanne successor erat designatus, cujus electio à Cæsare, & Selimo confirmata. Hic finis fuit stirpis Zapolidum.

*(c) Ioannes moritur. 1570.*

*Batthori Princeps Transylvaniæ 1571 die 14. Maji.*

Quid autem hic Zapolius uterque, pater, & filius, cum asseclis suis, ex amicitiæ simulatione, auxiliisque Turcarum emolumentum accepit? Illud nimirm præcpuum, ut hoc exemplum ipsius, Hungaris ac Transylvanis sit memorabile, ne sub velamento libertatis, ac dignitatis suæ tuendæ, ad turpissimum capitis Turcarum ornamentum respiciant. Tam enim est verum, quàm quod verissimum, quod extremum semper amicitæ Turcarum est, & fuit, & erit, imposterùm pernicies, & servitus certissima.

*Societas Turcarum qualia fert commoda.*

(d) Quæ verò conditio mox fuerit posteaquam in Turcicam potestatem Regni pars redacta fuisset, & nunc sit Christianorum sub jugo Turcico detentorum, priusquam hinc abeam, vel leviter attingam, cum numerosiores sint eorum calamitates, quàm ut verbis exponi possint.

*(d) Christianorum conditio sub jugo Turcico quæ sit.*

Ac primùm præsidia quibus loca Christianis surrepta tuentur, deligunt ex perditis, cœdibus sanguine adsvetis nebulonibus, ex fœce hominum, & colluvie, à nobis ad Mahometicam impietatem deficientium, quibus nullum jus, nullum æquum, nulla fides colitur. Loca præsidiorum, duorum sunt generum, Buda, Temesvár, hodie Agria, & Canisa exceptis. Hi supremum habent imperium, super certos arcium Præfectos, qui immediatè ad se respiciunt. Castra ergò majora Begi Præfecturarum nomine regunt, inter quos illa est crudelitatis æmulatio, ut qui plura oppida, villas vastarit, exusserit, major æstimetur. Castris minoribus selectissimi ex omni numero præsunt Vayvodæ. Ipsi omnes ad solos Begos respiciunt, quomodo Begi singuli binos aut ternos Vayvodas, cum castellis totidem sub se habent. Populus porrò per hos eorumque officiales, quos Zupassas vocant, tàm severè, truculenterque affligitur, sine modo fineque in animâ, corpore & fortunis, ut, Ægyptiacam servitutem, multis gradibus hæc superet, & vitam morte graviorem exigat. Tyrannidis ipsorum conatus omnis est, ut totum orbem, suæ superstitioni Mahometicæ, conformem efficiat, vi, & dolosis artibus, ad id adhibitis, propter templum nedum ædificare, imò nec restaurare licet. Usq; adeò sanctam Christianorum religionem detestantur, ut in Turcam creandus, templum Christianorum lapidare, & conspuere debeat. Nulla transactionum cura, census decimarum, exactionis ratio habetur, duplum, & triplum annis crescentibus libido Turcica, nullâ æqui æstimatione, & Dei religione exigit, ex quo Quæstor Budensis, quem illi Tesserdár vocant, stato semper tempore stipendiarios contentos reddit. Quodque miserabilius est, ibi de pueris decimæ Tyranno maximæ, quotannis penduntur. Nam quantumvis ingenti ære, infans

*Gradus Præfecturarum apud Turcas*

*Zupassa.*

*Tesserdár.*

redimi

redimi non potest; ex quibus eliguntur, qui formâ excellunt, ex his postea educantur illi Cacodæmone pejores pedites Janizari. Pro levi noxâ adeò reus cœditur in plantis, ut cutem utraque plantarum relinquat.

Ridiculum est, quod ab expertis narratur. Officialis Colonum miserat allatum vinum, qui redeundo per lubricum, altero pede ferè labitur. Narrat hoc Colonus cum risu, si inquit alter quoque pedum meorum, sic tibi inservire voluisset, ut alter, vino caruisses. Rogat uter pedum sit ille, qui servire noluit, ac ostensum graviter cœdit. Caponi subjecti fuerunt pulli gallinacei, rogat officialis an capo illos pepererit, hospes negat. O indignum inquit facinus, tàm egregiam alitem, tantâ servitute premi. Eam ob rem hospes mulctam solvere debuit, ut plagas & verbera evitasset. Callido, & versuto ingenio sectantur levissimas occasiones, imò ipsi sæpiùs subministrant, quibus sanguinem Christianum, aut profundere, aut fortunis emungere possint. Nullius rei defectus, nulla tàm justa excusatio, apud eos tanti est, quin si quid necessariò negligatur, mox palis, plagis, tormentis, securibus, postremò morte etiam non vindicetur. Quid labores, fatigia, pacis bellique tempore referam, quæ veluti brutis animalibus, nullo modo, inclementer imponunt? Ibi illorum quæ circa corpus sunt, nihil præter animam proprium censetur.

Post Joannis fatum, memorabile est, quod Franciscus Forgach scriptor nobilissimus de thesauro Joannis scribit his ferè verbis. *Gaza erat maxima, & cuicunque Regnum par. Nam Stephanus de Zapollya avus, apud Matthiam Gazæ regiæ Præfectus, thesauros regios in proprium converterat usum, & qui potentia tum creverat adeo, ut ubi orbitas Principis ad potentiam accessisset, Matthiam insidiis petitum & sublatum certò crederetur. Gazæ ergò Regiæ major pars inter sese, Regem Poloniæ, & tres sorores est divisa: Selimo missa quædam non magni momenti. Maximiliano, & uxori ejus nonnihil.* Ita cum Gaza Regum priscorum Hungariæ, Regium quoque nomen sublatum est. Hæc ille. *Franciscus Forgach, de thesauro Ioannis.*

Interea Balassa post sextum carceris mensem, perforato muro, ac deceptis custodibus evasit, ex arce Posoniensi per mœnia delapsus, relicto in captivitate Dobone, infirmo dolore articulorum. Balassius cum Turcis Fülekiensibus fœdus init, & in patrocinium Selimi se insinuat, quo tutus à persequente fortè Cæsare persisteret. Sed cum Rudolphus cum Ernesto loco patris, tùm ob arduas & necessarias causas, ac imprimis ob affectam valetudinem absentis, Comitio Posoniensi præesset, à Regnicolis exoratur, ut pro Dobone se apud Patrem interponeret. Cæsar igitur primâ filii intercessione æstimatâ, Dobonem dimittit, & Balassam absentem in gratiam recipit. Hic Ernestus & Carolus Archiduces deinceps concreditâ sibi rerum bellicarum administratione, pro Regis Vicegerentibus, hic in Croatiâ & Sclavoniâ, ille in Hungariâ acceptati & cogniti fuerunt. *Balassius elabitur è carcere.* *Gratia donatur Dobo dimittitur.* *Ernestus & Carolus Regis Vicegerentes in bellis.*

At Maximilianus, æmulo sublato, suæ gubernationis per factionem Joannis bello continuo implicatæ, optatam quietem consecutus, cum Stephano Bathori pacem coluit. Ac quod reliquum vitæ, & imperii erat, beneficentiâ, & clementiâ fortunas Hungarorum afflictus levare solitus, certus etiam de filii successione, cum decem annos nec bello inutilis, nec pace incommodus, meritis bonis abundans imperasset, in rebus humanis ex palpitatione cordis, qua viginti continuis annis laborasse fertur, Ratisbonæ 1576. in die Maximiliani, anno ætatis 49. esse desiit. Moriens nihil sibi aliud repeti, quàm meritum Jesu Christi crucifixi voluit. Princeps fuit prudens magnanimus, plurimis heroicis virtutibus illustris. Habuit in matrimonio Mariam Caroli quinti Imperatoris patruelis sui filiam, ex qua sibi toro fœcundissimo junctâ, filios suscepit Rudolphum, Ernestum, Matthiam, Maximilianum, Albertum, Vencesilaum, filias decem, sedecim in universum liberos. Quorum ipsius filiorum (quod fœlicitatis loco pientissimo patri ducitur) duo Rudolphus & Matthias, ad Imperialem dignitatem evecti fuerunt: Maximilianus verò, raro Principum exemplo, aperto Marte cum Turcâ prælium inivit. *Maximilianus meritur.* *Maximiliani soboles.* *Maximilianus aperto marte cum Turca pugnavit.*

(a) Alter fuit hic ex domo Austricâ Coronæ Conservator fidelissimus, qui postquam Rudolphus ab Hungaris expetitus (vivente enim adhuc Maximiliano Rudolphum & Ernestum Archiduces Austriæ, ex Hispaniis revocari, & alterum (b) in Hungariâ collocari petebant) fœlicibus auspiciis electus fuisset, eandem Coronam Posonium solenniter deduci curavit, quâ etiam Rudolphus patre, matre, & Ernesto, Matthiâ, Maximiliano, Ferdinando item, & Carolo Archiducibus (c) præsentibus coronatus est, quo anno (9. Novembris) nova & prodigiosa stella visa est in sydere Cassiopeæ, quæ in eodem loco immota, continuis quindecim mensibus stetisse scribitur. Illa tamen præter variam Rudolphi in bellis fortunam, de diuturnitate regiminis ejus vix aliquid detraxit. Licet enim astra in rebus sublunaribus & humanis singularem habeant energiam, tamen pietas erga Deum, & fato prudentia major, efficaciter casus futuros avertere potest. Hoc verò non minus laudabiliter, quam sapienter principes (d) fecerunt nostri, qui non tàm sibi quàm patriæ nostræ, consultum volentes, maturè dum adhuc in vivis essent, de suc-

*(a) Corona Conservator ex Domo Austriaca alter fuit.* *(b) Rudolphus eligitur 1572. in conventu Posoniensi Purificationis Mariæ.*

(c) *Coronatur 25. Septemb. 1572.* (d) *Interregnum Reipublicæ noxium.*

successoribus præsentibus regno providerunt, veteres illos Monarchas imitari, uti Davidem Regem & Prophetam, qui superstes adhuc successorem Salamonem filium constituunt in Israel, pro quo gratias egit Deo suo dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo videntibus oculis meis: item Augustum, qui Tyberium, Nervam, qui Trajanum vivi successores reliquerunt, non ignari naturam mortalium, ut esse aridam imperii, sic impatientem Regiæ dignitatis consortii novisque & magnis conatibus opportunos esse transitus rerum; & quantum post fata Regum, mali atque periculi nisi maturè de successore prospectum sit, consequetur: si quidem scissis in orbitate varias in factiones Proceribus, Respublica, velut navis sine nauclero seditionum fluctibus non raro jactari, vel etiam mergi solet, *& populi nunquam sine gravi inter se seditione agunt, præsertim si Rege, aut bello careant, cujus domestica obvia, & ea satis luctuosa sunt exempla.*

3. Reg 1.

*Eligendorũ Regum Hungariæ consuetudo antiqua inter arma.*

Veterum electio Regum Hungariæ (digredi hic modicum placet ad ritus eligendorum Regum) in generalibus comitiis, olim in campo Rakos, inter arma fieri solebat; at perquam rara est armatæ multitudinis concordia, ut verum sit quod Mar. Tul. Cicero pro Murænâ dixit. *Nullum fretum, nullus zephyrus, tot motus, tantas tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & æstus habet ratio, comitiorum, potissimum armatorum.* (a) Inde evenit frequentius, ut qui robore viribus clientelisque potentiores extiterunt, ad eorum nutum, Reges quandoque plures in Hungariâ, cum maximo Regni damno creati sint, sicque libertas electionis interdum intercipi solet, non sine legum maximo periculo. Hodie togata indicuntur comitia, intra mœnia Civitatis, ut his solennitatibus Posonium celebre est: & dependet Regis electio ex consuetudine antiquâ, à statibus & ordinibus, hoc est, à præcipuis Regni Civibus, & flore gentis, non à vulgò, aut exercitibus seu legionibus militum, ut olim Romani Imperatores declarabantur, & nunc Turcicus Imperator consuetudine non planè dissimili, qui legitimus dicatur approbatione & proclamatione Janiczarorum, opus est. Sed quanto istorum exaltatio fœlicior, qui ab optimatibus cooptantur, tanto illorum deterior, qui autoritatem suam, honorem & salutem inconstantiæ armati populi committunt. Cum enim populus sit multorum capitum hydra, sæpe nec rationi obtemperat, maximè armata multitudo, sub legum disciplinam difficulter redigitur, cautè præcipiat oportet, *qui multitudinem contra se concitare non vult.* Inde Romanis Imperatoribus tot cædes illatæ: etenim inde à C. Cæsare, qui spectante Senatu concidit, ad Carolum usque Magnum circiter triginta fuerunt ex iis interfecti, quatuor verò sibi mortem ipsi consciverunt. Semper enim aliquid erat, quod in illis desiderarent milites: itaque captâ ex levibus causis occasione, illos sæpè jugulabant, quos etiam invitos ad dignitatem pertraxerant, ut Ælio Pertinaci accidisse constat. Inde crebræ Regum mutationes, quibus nihil Reipublicæ inutilius, imperantium pluralitas, ut aliquando per singulas legiones, singulos Imperatores numerare potuisses. Inde denique malè provisum bono publico, quando milites non ad utilitatem communem, sed pro ingenio suo, accommodum hominem inveniebant.

(a) *Armata comitia quid vitii habeant.*

Paulatim deinde hic mos aboleri cœpit, imprimis cum ipsi Imperatores, collegas, & consortes Regni sibi cooptabant, ut Valentinianus fratrem Valentinum, & eos successores quoque suos designabant, ut Justini successor fuit Tiberius jam antea imperii collega. Posterioribus tandem seculis, ad evitandas has & similes inconvenientias, aliasque graves ob causas, quæ superius Cent. I. in mentione Electorum, penes quos manet hucusque jus eligendi Cæsarem, qui legitimus Rex & Imperator Romanorum dicitur, idque hoc ordine & cœremoniâ. Defuncto Cæsare, Moguntinus Archiepiscopus Imperii Cancellarius indicit comitia Francofurtum, ubi cum Electores convenerint (nemini tamen licet majori comitivâ, quàm stipatum ducentis equitibus & quinquaginta armatis) in æde D. Bartholomæi, præmissâ divini Numinis invocatione pro dono Spir. Sancti ad aram trabeati juramentum præstant, se bonâ fide servaturos, quæ aurea bulla, cujus articuli publicè prælegunturs, præscribit, & nihil se facturum eâ in re ullius vel pacti, vel mercedis, vel pollicitationis, vel largitionis causâ. Ingressi deinde sacrarium, ubi electiones fieri solent, habent consultationes præside Moguntino, quos tamen imprimis ad concordiam hortatur, & suffragiorum consonantiam; quandoquidem discrepantibus sæpè Electorum sententiis, Germania bellis civilibus graviter afflicta esset, & dignitati nominis germanici non parùm derogatum. Tandem conveniunt in Curiam, quæ vocatur Romana, & fiunt de electione suffragia. Quæ omnia peraguntur, magnâ cum revetentiâ, silentio, & sobrietate. Nec inde Electoribus discedere licet, quàm creato Cæsare; quòd si electio ultra dies triginta differatur, ex præscripto aureæ bullæ; subtractis omnibus aliis cibariis, præter aquam & panem, nihil eis suppeditaretur, hæ Romani Imperii cœremoniæ. Fuerunt & antiquitùs varii eligendorum Regum, & Imperatorum modi, dictis longè absimiles; ut Dario Regnum per hinnitum equi obtigit, aliis per hastiludium,

aliis

aliis per ſagittã ex fasciculo deprõptã, aliis per calculos albos & nigros: Sed in his maximè valet ſortis cœcitas, quæ plerũq; minus idoneos ad Regnorũ gubernacula obtrudit. Lõgius digreſſus fuiſſe videor, ſed exiſtimo nõ extra oleas, ſiquidem occurrere quædã in ritu creandorũ Imperatorũ videbã, quæ noſtri Hungari ad imitandũ utiliter ſibi proponere poſſunt. Nũc ad propoſitũ.

Gubernatio Rudolphi ut magnitudine rerum geſtarum, & fœlicitate belli, ac victoriarũ in Hungariâ contra Turcas pulchritudine, ita pacis diuturnitate famam & lucem, aviti & paterni nominis in Regno Hungariæ non ſolum obſcuravit, ſed & gloriam domus Auſtriacæ, in ſummo Monarchiæ S. Coronæ ſplendore, & decore auxit. Et quoniam dignitatis magnæ, non magna eſt æſtimatio, niſi & authoritatem quis habeat, ſeu quandam eminentiam, qua cœteris prævaleat & velut in admiratione ſit, Rudolphus jus Majeſtatis S. Coronæ multiplici ratione tueri conatus eſt, pacis & legum & militiæ laboribus armis, & literis inſtructus, tùm domi conſilio inſignis, tùm foris exercitium bellicę fortitudinis præclarũ oſtendit. Itaq; imprimis ſcintillas quasdam incendii Transylvanici, quæ adhuc in plerorumque Hungarorum animis ſopitæ jacebant, penitus extinguit, ſancitis concordiæ legibus, ne ſcilicet ſibi magna, & ſalutaria, animo volventi quicquam domi noxium, quod eſſet obſtaret, neq: interim diſſenſiõ civilis Rempublicam conficiat, & perdat, ac ſine lãbore ullo hoſtibus victoriam tradat. Anno ab inauguratione Rudolphi tertio (1574. Selymus Turcarum Imperator febri ardentiſſimâ correptus, poſtquam nullũ bellũ in propriâ perſonâ geſſiſſet, moritur. Ei ſucceſſit Amurathes III. Selymi filius, imperium à quinq; fratribus, octavo inaugurationis die ſtrangulatis, auſpicatus. An. ſeq. (1575.) rebus in Imperio & Hungariâ ſedatis, Rudolphus Pragæ Rex Bohemorum inauguratur (22. Sept.) quo peracto ad imperialem quoq; dignitatem, conſentientibus Hungaris, menſe à coronatione Bohemicâ ſequenti evectus, & Ratisbonæ ſolenniter coronatus, habitos titulos authoritate Cæſareâ condecoravit. An. eodem Henricus Poloniæ Rex, Caroli Galliæ Regis frater, defuncto in Galliâ fratre, ex Poloniâ in Regnum avitum, clam citatis itineribus diſcedit, quo ad conſtitutum à Polonis diem non redeunte, renunciato ipſi obſequio, pars Procerũ & Nobilitatis, Maximiliano Cæſari imperium deferunt, pars inter quos Sborowszky Palatinus Cracovienſis, Stephanũ Bathori, Transylvaniæ Principem, deſtinatâ ei Annâ Sigismundi Auguſti ex ſtirpe Jagellonicâ ultimi, ſorore virgine quinquagenariâ, Regem eligunt: quam dignitatẽ, dehortantibus licet partis Cæſareæ fautoribus, Stephanus ſumendam ſibi cenſuit, ac relicto in Transylvania Chriſtophoro fratre, cum exiguo comitatu in Poloniam advolat, & ducta uxore Anna, Regni inſigniis inauguratur 1576. Poſthæc Maximil. in comitiis Ratisbonenſib. (12. Oct. 1576) partim curis, partim valetudine, calculi præſertim doloribus debilitatus, animam Deo tradidit cum quinquageſ. ætatis an. attigiſſet: Princeps optimus prudentiſſimus, de Eccleſia, & Republica Chriſtiana optimè meritus. Cœterum ſub Imperatoriis Rudolphi auſpiciis, renovatum eſt Calendar. à Greg. XIII. Pontifice, qvod ſicut ubiq; in terris, & dominiis ſuis ſuſpiciendũ, & uſurpandũ Pontifex præcepit, aliisq; Chriſtianis Regnis, & provinciis cõmendavit, in Hungariam quoq; introducere conſtituit, valuit tamen authoritas & mandatũ Rudolphi Imperat. in eo magis, qui pœna gravis mulctæ deponendæ, & ſeveræ animadverſionis declarata effecit, ut uſus ipſius renovati Calend. publicè in Regno Hung. admitteretur. An. abhinc 4. (1586.) mortuus eſt Steph. I. Polonorũ Rex; cujus funeris occaſione recordor impudentis verſutiæ & ambitionis Turcicæ, qua Regnorum, quorum poſſeſſionẽ inexplebili avaritia Chriſtianis invidet, libertatẽ in Regnum electione potiſſimũ fundatam & enitentẽ convellere, conſtringere, adeoq; artificioſa impoſtura, pulcherrimo Magiſtratus creandi ornamento, ſpoliare conatur. Per beneficia pacis, aliis venenũ tyrannidis inſauciat, aliis oppreſſione aperta, aliis deniq; per amicitiam barbarico fuco conterſã. Mox enim poſt mortẽ Stephani, ſolennẽ ad Polonię regnũ miſit legationẽ, memorię renovandæ cauſa, qualiter illud pro novo creando Rege ſuffragia collaturũ, nihil ſine conſenſu Turcarũ Imperatoris, vicini, & confœderati patrare poſſit, & debeat, quod antiqua conſuetudo & mos in electione Regis Poloniæ talis inveniretur, ne nimirum bona amicitia, pax, fœdusq; antiquiſſimum, aliquo modo turbaretur; proinde conſilium, venia, conſenſus Turc. Imp. minimè poſthabendus eſſet, quin potius diligenter trutinandum, quis ex benevolis amicisq; ſplendidiſſimæ portæ idoneus, ac Imperat. placens videretur, ut pax nullo pacto impedita perſiſteret. Si enim potentiſſimi Imperatoris voluntas & conſenſus in electione Regis non poſthabebitur, pacem, antiqua fœdera, eorũq; articulos obſervatos iri. Unde apparent callidæ hoſtis inſidiæ, in delendo præſtantiſſimæ libertatis regnorũ titulo, qui eò conſtantiùs ſumma cõtentione retinendus eſt, quod actũ eſſe de hoc populo oportet, cujus cervicibus ſceptra ex arbitrio, & libidine alterius impẽdẽt. Porrò in Hungaria induciæ erant à Turcis, à patre adhuc æquis conditionibus acceptæ, quæ nimirùm liberã excurrendi ad fines hoſtiles facultatẽ, ad lucrũ relinquerent, negato tormentorũ omniũ in oppugnandis arcibus uſu & conatu. Initia ergò Rudolphi ſub novo malibus iſtis induciis, ex Ducum ſuorum minoribus pręliis, fortunę favore, fuere lætiſſima. Zrinius enim cum Bathorio, Tratmanſtorffo, & aliis vicinis præſidiorum præfectis, Saſvarem regionem Styriæ finibus vicinam

*Rudolphi gubernatiõ qualis.*

*Domeſticas diſſenſiones imprimis cõponit.*

*Calendariũ Grẽgor. Pontifex renovat. anno 1582.*

*Hungaria renovatũ Calendarium recipit mandante Rudolpho.*

cinam, ad flumen Mura vastantem, & depopulantem fudit fugavitque in paludibus & sylvis, ad duo millia hostium extincta, capti mille quingenti, viginti tres, ac inter eos Quinque ecclesiensis, & Coppanianus Præfecti. Magnum Sasvaris dedecus, qui postquam Muratem sibi propterea infensum, & querelis eorum quorum fratres, & propinqui in prælio cecidissent, præoccupatum intellexisset, veniã desperans, veneno hausto, paulò post interiit. (a) Comitia circa idẽ tẽpus Posoniũ ad Cal. Nov. indicta, ubi inter alia de creando Palatino cũ Cęsare tractatur, sed nullo tamẽ effectu. Aliàs omninò Monarchiã S. Cor. reformare, & ad pristinum, ac veterẽ nitorẽ reducere conabatur Rudolphus, non solùm propriis consiliis, sed bonorum & sapientũ civium, & Consiliariorũ studio imò, & virtute, ac fortitudine Serenissimorũ Archiducum Ernesti, Matthiæ, (b) Maximiliani, quos velut socios fortunæ consortes imperii, gloriæ æmulos, tũ pacis ocio, tũ belli futuri negotio, sumã prosperitate adhibere gubernaculis solebat, ut majorem tranquillitatis publicæ, ac salutis Hungariæ, quam suæ dignitatis rationem habuisse videretur. Evenit autem tandem successu imperii prospero, & temporis progressu cum Martiales homines, (c) utrinque pacem hanc ægrè tolerarent, prædarumque assvetudine, ac dulcedine irritati per inducias, infidas, plurima damna, ac clades darent, & acciperent, ut pax hæc omninò intolerabilis visa esset. Nec enim Hungari fortes illi viri, & injuriarum minimè patientes, vel iniquas Turcarum in subditis suis exactiones, atque oppressiones ferre, vel incursiones, prædas vè suis oculis, ac ociosis manibus tolerare poterant.

*Sasvaros rẽ, malè gestã venenum haurit.*

*(a) Palatinalem dignitatẽ Hungari restituere laborant.*

*(b) Rudolphus fratres suos honorificè habet.*

*(c) Hungari ex licentia excursionum sub Induciis bellum parant.*

(d) Cum ergò Ferhates è Bosnia Budam venisset, Turcæ populos sibi subjectos pro libidine intolerabilibus tributorum exactionibus opprimere cœperant, ac imprimis oppidum Sixo, cujus incolæ millenos aureos quotannis solvere jubebantur, quod supra vires suas, freti præsidio Cassoviensi, Tokaiensi, & Szendereo pendere intermiserunt. Illud Ferhates ægrè ferens, copias conscribit equitum selectissimorum sex millia, peditum totidem aut ampliùs, quorum ne tertiam quidem partem, nostri, æquare videbantur, qui in universum duo millia bellatorum, quingentos & quinquaginta novem non excederent. Pugnatum est ad oppidum magna Turcarum clade, qui maxima suorum parte desideratâ, se in fugam proripuerunt, ita, ut equites attoniti, pedites suos proculcatos nostris mactandos relinquerent. Multi in fugâ capti, cœsiq;; pars flumine & gurgitibus absorbta. Duces nostri fuerunt Sigismundus Rakoczy, Stephanus Homonnay, Stephanus Balasdeak, Joannes Barchay, Michael Sereni.

*(d) Pugna ad Sixoviam, & ejus occasio an. 1588.*

Atque hæc erant præludia majorum rerum. Mox enim fortuna Monarchiæ, S. Coronæ, quam Deus non nisi bellicâ virtute contra hostem Christianitatis, velut quibusdam legibus, ac spaciis descripsit ab initio, produxit bellum illud, plusquam quindecennale, ac à condita Monarchia S. Coronæ maximum ac difficillimum, ex cujus consideratione luce clarius patet, salutem Hungariæ Deo curæ esse, cujus judicio ac beneficio ambitionem Turcarum magnâ fœlicitate tot sæculis superat & retundit. Jactatur quidem proverbium de Hungariâ: Longum consilium, intestinum odium: Privatum commodum, evertunt imperium Hungaricum. Osorũ illud est & qui malorum principia, ac venena, Monarchiæ S. Coronæ in ipsis visceribus ac meditullio corporis rimantur. Bellum meo judicio est, caput, & pes Monarchiæ S. Coronæ, quibus vel benè vel malè consistit & habet: benè quidem si Dei munus virtutem Hungarorum S. Coronæ alumnam integram spectes, malè si iterum Dei iram, ejus asperitatem, atque culpam, erroremque gentis illius contemplaris. Hujus belli cum infinitam ferè molem complecti animo, aut operâ impossibile sit, titulos paucos prælorum, ac victoriarum, ac pariter cladium, quorundam annorum serie ceu in synopsi recensere volebam.

*Sub Rudolpho bellum quindecennale contra Turcam. Bellum caput, & pes Hungariæ.*

Initium nobis dabit Annus nonagesimus primus, secundus, & tertius supra millesimũ quingentesimum, quibus nimirum veluti occasionibus quibusdam, & prætextibus bellum hoc nascebatur, ex Induciarum scilicet jurejurando per Bassam Bosnensem violato. Is enim nullâ legitimâ causâ, ingenio inquieto & barbaro contra fidei sacramentum, jam inde à temporibus prorogatæ pacis varias irruptiones, incursiones, occupationes præsidiorum, incendia in Regno Hungariæ patrando, Imperatore Turcarum in tantum non refragante, ut potiùs ob res auspicatis successibus gestas, amplis missis muneribus conatus ipsius promoveret, Vichicz, Hrastoviczam, & reliqua multa, non contemnenda præsidia iniquissimè occupârat, cœde, atqve incendiis, Canisam, usque grassabatur, neque his contentus ad occupandam qvoqve Zizek, cum novem Begis, & quinquaginta armatorum millibus trajecto flumine Colapi, longè lateque processerat, posteaquam superioribus abhinc diebus Castella Dereczina ex animi sententiâ expugnasset. Quo quidem Zizeky obsidionis tempore, ad suppetias ferendas, & arcendum à finibus hostem animo intrepido profecti fuêre Thomas Erdeodi Banus, N. ab Eckenpergh Generalis Carlostadiensis, cum aliis provincialibus, militibusque mille quingentis confiniorum Sclavoniæ, atque collatis signis in Insulâ præfatæ arcis Zizek, cum hostili exercitu congressi, ipsum ad sua castra, in ulteriore fluminis ripâ collocata fugientem in aquam compulerunt, quatuor Begis (inter quos Dux belli Hasson Basa, & Muhet Begus sororis Cæsaris Turca-

*Initium bellorum Rudolphi. Induciae Bassa Bosnensis violat occupatis præsidiis*

*1593.*

*Thoma Erdeodi ad Zizek victoria.*

rum

rum filius) & toto ferè exercitu aquis submerso, Zizek tamen infirmo admodum præsidio munitum, tandem in potestatem Turcarum, vix obsidione ejus solutâ concessit. Rudolphus verò favente fortunâ repulsis hostibus (a) præceps in bello inferendo, imposterùm non fuit, sed omnia consilio priusquàm armis experiri sapienter judicavit.

(b) Turcarum ergò Jmperatorem per Nuncios Rudolphus pertentavit, munusque honorarium, à Cæsare ei quotannis mitti solitum, satis nimirum magnam pecuniæ vim, nunc etiam duplicatum, quod integro biennio missum non fuerat, jam Comaromium deportatum, ad portam Otthomanicam destinavit: ut si non æquioribus, at primis illis conditionibus pacem secum coleret. Verùm Turcarum Imperator Amurathes tertius dictus, non solùm munus illud honorificum contemnit, sed & fœdus violat, bellum quàm pacem & exitium barbarâ superbiâ denunciat. Et ne animi hujus ac consilii Tyrannici crudelius desit signum, paulò post novum Oratorem Rudolphi Crecvicium Silesium, contra omnium jura gentium, cum omni suâ familiâ comprehendi jussit, eundemque interimi curavit. Utque hoc suum consilium Turcis notum esset, majorum suorum exempla secutus, extimulante odio nominis Christiani, incitantibus suis mulierculis, & maximè sorore (quæ casum filii nuper in Cupâ fluvio cum Bosnensi Bassâ submersum dolebat) more luctus Turcici, acervo carbonum capiti imposito, & crinibus ardentibus vindictam sollicitante, fœdus pridem cum Cæsare actum, apud omnes gentes sacrum perrumpens, bellum Rudolpho movit. Ergo interfecto Gragiâ Præfecto, ac Fabricio capto, Siscia (c) à Turcis capitur, unde Beglerbegus castra movens, Budam ad patrem Sinanum contendit, qui nihil cunctatus, castra Vesprimium versus progredi jussit. Præfuit Vesprimio Ferdinandus Marius cum collegâ Hoffkirchio, qui muris virtutis (d) desperatâ salute erumpentes in fugam se effuderunt, quo Turcæ intellecto, Ferdinandum & Hoffkirchium, undiquaque missis indagatoribus vivos cœpêre, alii cœsi, capti alii, alii in sylvæ Bakon latebris perstiterunt.

Vesprimio obtento, quadriduanâ oppugnatione, Sinanus Palotam iisdem tormentis & exercitu, non longè distantem obsedit, qua bidui spatio potitus est, per deditionem (e) à Præfecto Petro Ormándi, sub conditione salvi egressus factam. Egrediens nihilominus, (f) violata fide, equo deturbatur, & telis undique petitus in vitæ discrimen venerat, nisi à notis Turcis defensus fuisset Sinan tandem non ulterius belli fortuna tentata, Budam rediit.

Hanc occasionem Rudolphus bellicæ virtutis exercendæ, violentiæque coërcendæ oblatam tandem accepit, nec diu cunctatus, ne occasio hęc prima (g) omnium consilia, ac animi præsumptionem ignavia, ac tarditate moraretur, Hungaris Ducibus, consilia belli, unà cum armis expedientibus, fœlicibus auspiciis fortunam Martis quovis modo tentandam commisit. *Nam honestè & jure à fœdere recedit is, (h) cui fœdus non est ab alia parte servatum, sed prius violatum, velut violaretur manifestè tentatum.* Erant Principes militiæ Hungaricæ, in partibus cis & ultra Danubianis præcipui Comites Georgius à Zrinio, (i) Comes Fanciscus Nadasdi, & Baro Nicolaus Palffy, omnes meritis in patriam, & fide erga Regem insignes, præter militaris rei peritiam ac virtutem. Aderant Georgius Thurzo, Sigismundus Forgácz, Franciscus Dersffy, Nicolaus Istvanffy, Andreas Revay, Petrus Revay, per hos conjuncto Duce exercitus totius, Comite ab Hardek Jauriensi Capitaneo, & Praun N. Præfecto Comaromiensi, primum Alba (k) tentata, ac per negligentiam Ducis, qui apparatuum bellicorum curam, cui illa præ aliis incumbebat, intermiserat, relicta, non procul verò inde cum Bassa Budensi, ac multis Janicerorũ millibus, paucissimi cum magna multitudine Turcarum, acie congressi, magna animi fortitudine (l) confligunt (pridie enim conflictus istius, Praun Comaroniensis Præfectus, complurimique alii discesserant) ut Janiceris omnibus cœsis, equitibusque paucis fuga elapsis, Bassaque lethali vulnere accepto fugiente, stragem ederent memorabilem. Viginti quinque millia Turcarum in hoc conflictu fuisse, & vix quatuor millia salva evasisse feruntur. Est verò memorabile quod hic contigit: Clanculario Turcæ adventu copiis Christianis appropinquabant; magnum sine dubio nocumentum allaturi, siquidem ab inexploratis hostium consiliis imminẽs periculum provideri non potuit, sed divina providentia factum est, ut Tompos quidam, ante annos aliquot ad Mahometismum desciverat, & necdum penitus naturalem erga Christianos affectum exuerat, ad partes Christianorum transiret confestim, hostisque insidias aperiret, qvi proximè in aliqvot stadiorum intervallo abesset, maximo exercitus numero; proinde celeriter prospiciendum esse diceret, nè imparati ab ingenti multitudine obruantur, jam hostem eminentiori loco acies instruxisse, jamque omnia ad impetum effusis turmis faciendum, parata esse. In tanto discrimine, vix consiliis tempus supererat, verùm tantus fuit in Dompos promovendæ victoriæ Christianorum ardor, ut commodas omnis ad resistendum rationes explicaret, locum disponendæ aciei in colle Turcis opposita ostenderet. Circa ortum tandem solis, dispositoqve utrinq; ad pugnam exercitu, nubes densissima oculis Christianorum objecta fuit, per qvod obstaculum, hostis non apparebat, cujus multitudinem si conspicari licuisset, vix fortasse iis animis, visa virium impa-

*Zizek occupatur à Turca.*

*(a) Rudolphus non præceps in bello inferendo.*

*b) Turcarum Imperator à pace colenda alienus.*

*Crecvicium Rudolphi Legatum interimit.*

*A mulierculis incitatus fœdus cum Rudolpho violat.*

*(c) Siscia à Turcis capitur anno 1593. 24. Aug.*

*(d) Vesprimium captis Capitaneis occupatur.*

*(e) Palota deditione à Petro Ormandy tradita.*

*(f) Ormandi perfidos experitur Turcas.*

*(g) Rudolphus bellũ parat.*

*(h) Honestè à fœdere Turcico discedit.*

*(i) Duces militiæ Hungaricæ sub Rudolpho.*

*(k) Albam recipere tentant irrito conatu.*

*(l) 1593. 5. Nov. Congressus cum Bassa Budensi ad Albam felix.*

ritate, congressum fuisset: Simul tamen, atque nomen JESU altâ voce inclamatum, & classicum personuit, subitò ventus quidam vehemens exortus, toto impetu ad oppositas Turcarum acies tendebat, discussâque nubis caligine aërem patefecit, continuisque flatibus, ab incensis majoribus quoque tormentis (quorum magnam copiam Turcæ habebant, & demùm omnia, cæsis ad internecionem Janicaris iisdem adjunctis, in potestatem nostram asserunt) fumos retrorsum rapiendo, visum & actiones Turcarum confundebat, parti verò Christianorum per hostium obscuram perturbationem, magnum ad victoriam attulit momentum. Quod enim Turcæ, & fumorum repercussione caligarent, & nostri ad humilem vallem ex colle descenderent, ferrearum & plumbearum glandium imbres, eminentiùs ferebantur, quàm ut descendentibus nocere potuissent, salvo exercitu, ex quo (quod ego scirem) unicus tantum Ludovicus Szarka Nobilis globo cecidisse repertus fuit.

Est ergò hoc singulare exemplum quod victoria à Domino detur, & non consistit in multitudine, atque potentiâ. Omne namque corporis robur, sicut verissimè quidam dixit, omnis equitatus armorumque apparatus, Deo non adjuvante, ab agmine formicarum prorsus nihil differt.

Hæc victoria in ipso belli limine, ac principio, non solùm Rudolpho & Principibus Christianis virtutem Hungarorum commendavit, atque illustriorem majoremque, omni communi de illis opinione reddidit, sed & lætitiam, atque spem recuperandæ Hungariæ peperit. Nam & altera illa non minùs pulchra & solennis quàm utilis, eodem tempore Hungaris contigerat victoria, virtute Hungariæ Procerum Stephani Bathori, Simonis Forgach, Sigismundi Rakoczy, & Stephani Hommonay Ducum superioris Hungariæ, accedentibus quoque copiis Cis Danubiarum partium Duce Nicolao Palffy, ætate, & amore militiæ florente, quando Filekum & arte & naturâ valde munitum, & in quo Turcæ post Budam maximam fiduciam collocabant, quatuor insuper millibus lectissimorum militum præsidio firmatum, oppido primum, mox arce in potestatem, divite prædâ, redacta capiunt.

*Duces superioris Hungariæ partium. Filek recipiunt.*

Nam cum Bassa superiori clade attonitus, nusquam prodire desperata omnino salutis spe, auderet, cœteri quoque impetu lapidum ex muris vi tormentorum quassatis decidentium afflicti, cum nullibi tutò consistere possent, deditione factâ vitæ corporumque incolumitatem paciscuntur, & transigunt, ut singuli, singulis vestibus amicti, sine signis sine armis, & gladiis incolumes dimitterentur. Mirabili præsentis Numinis auxilio, & fortunæ benignitate nostri tum usi, ut præter armorum adminicula, hostes interno quodam terrore sternerentur. Certum est enim ex relatione Turcarum, quod cum obsessi colubrinis falconetis, aliisque tormentorum generibus, quorum ut & sulphurei pulveris & pilarum magna fuit copia, admoverent manus in perniciem nostrorum directuri, subito deliquio quodam animi correpti, omne corporis robur amitterent, ut ne pedibus quidem insistere valerent. Conjuges qvoqve Turcarum, liberi, obsidionis tempore morbo caduco, apud Turcas inusitato, correpti catervatim, decem, duodecim & sedecim terræ allisi, miserabile suis spectaculum præbuerunt, ad tradendumque Filekum animos obsessorum extimularunt.

*Turcarum familia in Filek morbo caduco vexatur.*

Fluente victoriæ successu, cum exercitus noster nocte intempestâ Begis quinque à Bassa Budensi, ad suppetias Filekensibus ferendas expeditis occurrunt, arces Aynaczkeő, Somoskeő, Kakkeő, Dyvén, Buyak, Hollokeő, Dregoll, Palank in consortium triumphale plenas omnis generis annonâ adjunguntur.

*Recepto Filekoplurimas arces nostri recuperant.*

(a) Deinde Matthias Rudolphi fiduciarius, cum Palffio, & aliis Ducibus Nogradum (præsidium (b) tempore Matthiæ à Nicolao Batthori Præside Vaciense ædificatum) venit, cui præerat Memhetes Niger; quo pertinaciter, à Palffio, & Ducibus oppugnato, obsessorum animi concidêre, ipse Memhetes, juxta conditionem singulis cum ense uno exmissis, fœminarum & puerorum turbâ adjunctâ excedens, arcem cum clavibus Palffio reliquit. Cura autem & Præfectura arcis Neogradiensis Andreæ (c) Revay, forti, & industrio juveni, non minùs fideliter quàm strenuè, sub disciplinâ suâ militanti commendata.

*(a) Matthias Rudolphi fiduciarius. (b) Nogradum receptum anno 1594. (c) Andreas Revay Capitaneus Neogradiensis.*

Paulò post Matthias, ut primitias virtutis majoris fortitudinis facinoribus illustraret, collectis copiis, quæ omnes quinquaginta millia armatorum facilè æquabant, Strigonium obsidet, (d) cujus Civitatem Palffy re cum Thracibus qui intus erant compositâ, patefactis nocte intempestâ portis, Turcis partim cœsis, partim captis occupavit. Arx plurimis oppugnationibus, non sine magno labore magnâ sanguinis profusione, auri non parvo impendio frustra tentata, tandem innumerabilibus hostium copiis adventantibus, tutiora secutus Matthias consilia, castra transfert, & ex monte D. Thomæ extrahit, ac per pontem in ulteriorem ripam transmittit. Maximâ cum gratulatione Turcæ hæc Sinano, qui jam ad Pestanos campos cum exercitu pervenerat, nunciant, qui versus Tatam castra movit, Matthias verò rectâ Comaromium ducere constituit. Quo cum perventum fuisset, ab exploratoribus cognitum est, Sinanum ejus esse consilii, ut redactâ in potestatem Tatâ, rectâ Jaurinum copias duceret. Itaque castra Matthias

*(d) Strigoniensis Civitas capta.*

thias Jaurinum versus duxit, unde mandatis ad omnes regionum incolas datis supplementum exercitus postulavit. Tata(*a*) interim à Georgio Paxi deditione, sub conditione salvi egressus receptâ, (*b*) Jaurinum tandem obsessum. Erant castra Turcarum in Insulâ Danubii posita, quæ ab exercitu nostro flumen dirimebat.

*Matthias ad Iaurinũ castra promovet.*

Itaque loco utrium, fasciculis arundineis usi, flumen superare contendunt, sed impediti à nostris, cœpto destituti, deinceps prouti sternendo opera data, cujus perfruendi facultate concedere Duces nostri rati, ut hostem tanto numero traduci permitterent, quantum opprimere superiores robore valerent, quod stratagema nonnullis parum placuit. Fit enim, ut interclusi hostes desperationem in virtutem vertant, & iter quod aliter non patet, ferro patefaciant. Pugnatum hic sæpiùs fortiter, ex fossis & munitionibus Turcæ pulsi, tormenta eorum corrupta. Multi præclari viri ex nostris occubuêre, quorum in numero an postremum fuisse dicam, fratrem meum Andream Revay, cujus paulò ante facta mentio? ipse quoque Nicolaus Palffy, in pede vulnus accepit. Inde Matthias sive necessitate ita postulante, sive ut reparatis viribus, & ordine statuto rediret, atque obsidioni subveniret retrocessit. Dum interea Jaurinum unius imbellis & avari Ducis Hardek negligentiâ in potestatem Sinani & Turcarum præter omnium opinionem traditum, quod per milites præsidiarios ferè octo millium & adminicula sufficientia, longissimo tempore defendi potuisset. Anno hoc 1594. Tartari juxta Hust penetrarunt in Hungariam, & plurima loca devastarunt.

(*a*) *Tatam Paxi dedidit.*
(*b*) *Iaurinum Turca obsidet.*
*Iaurinum Turca obsidet.*
*Et recipit ab Hardeko.*
*Tartarorũ in Hungariam irruptio.*

Posthæc *Amurathes* Turcarum Imperator moritur, successit *Mehemetes* (*c*) filius, qui edicto publico suis superioribus, preparationem ad bellum Hungaricum injungit. Ab hujus fœdere per prædecessores secum firmato, Sigismundus Batthori (*d*) societate cum *Rudolpho* initâ discessit; statuens, malle se cum Christianorum societate omnia perdere, quàm infidelibus imperium, & salutem debere, (*e*) Titulum deinde Principis, Romani Imperii, & oblatum aureum vellus accepit, potestatemque absolutam in Transylvaniam durante sexu meliori, seu virili.

(*c*) *Mehemetes Amuratis filius fit Imperator.*
(*d*) *Sigumundus Batthori, à fœdere Turcico discedit.*
(*e*) *Aureũ vellus, & titulum Principis Imperii accipit.*

(*f*) Cæsar Jaurini traditione cognitâ, Mantzfeldum evocat Ducem belli, qui ad septimum idus Martias Pragam venit, ac cum eo Svarcenbergus, & Roswurmius quos Viennam præmisit, ipsi paratis necessariis Viennam veniens, ad oppidum Pruck cum exercitu constitit, ac deinde paulo supra Ovarium castra ad Mosonium metatus est, expectans Moravicas, & Silesiacas copias. Interea Cæsar (*g*) Hardekum Jaurini traditorem, & Nicolaum Perlinum Urbinatem, Viennæ in foro supplicio affici curavit.

(*f*) *Mantzfeld Dux belli proficiscitur cum collegis Suarcenburgo, & Rosvvurbio.*
(*f*) *Hardek Iaurini traditor, & Nicolaus Perlinus supplicio affecti.*

Jam Mantszfeldius Strigonium movet cum Palfio, cujus obsidione pluribus vicibus tentatâ, Palfi, ab Exploratoribus certior fit, Budensem Præfectum Hasanem, ac Beglerbegum ejusdem nominis, nec non Mehemetem Ciliciæ præsidem, cum triginta millibus Turcarum, ad ferendum auxilium obsessis, iter suscipere, qui etiam advenientes, uno à nostris milliari castra posuêre. Nostris interea, duorum millium equitum Belgicorum suppetiæ adsunt. Ergò particularibus prælliis antegressis, tandem Mantzfeldius (*h*) hostes, editâ pugnâ prostravit, fugavitq;, Hungaris pariter, & aliis hos trucidantibus, illos usque ad prata Georgiana persequentibus. Moritur (*i*) Mantzfeldius ab omnibus deploratus ex alvi profluvio, & febri quàm ex immodico fructuum usu, & potu quod ad ravim usque in prælio hortationibus & labori indulsisset, contraxerat. Supervenit Viennâ *Matthias* (*k*) Archidux, qui subinde repetitâ murorum verberatione tormentis, tandem irruptione factâ, hostes è muris dejici facit, ac capto oppido aquario (*l*) alios trucidat, alios vivos in potestatem suam redigit. Perdito oppido Turcæ Budenses, ex recenti prælio elapsi, nova auxiliorum ferendorum obsessis consilia agitare significantur quos Franciscus Nadasdi, cum reliquis belli Ducibus, ad veterem Budam capto Bego Kopanensi, dissipat & fundit: Quod magnum ad capiendam arcem, momentum attulit. Desperabundi enim, (*m*) & rerum inopiâ pressi, cum Palfio (*n*) certis conditionibus de deditione concludunt, qui deinde Strigoniensis Capitaneus fuit.

(*g*) *Strigonii obsidionẽ Mãtszfeldius tentat.*
(*h*) *Turcarum copias magnas profligat.*
(*i*) *Moritur ex alvi profluvio.*
(*k*) *Matthias expugnationẽ Strigonii instaurat.*
(*l*) *Oppidũ capitur.*

(*o*) Capto Strigonio, victoriæ continuo proventu, Visegradum *Matthiæ* triumpho adscriptum est fœlici omine, quod cum adyta ipsius contemplaretur, ac penates Coronæ, non famam solummodo restitui Visegradi acquisivit, sed & gloriam Coronæ in patriam reducendæ, sibi cœlitus dandam promisit.

Ita fœlicitas *Rudolpho*, nusquam non comes, sed ejus cursus, prout fortuna belli divinitùs data, gubernacula rexit, modo aspero modo, tranquillo motu peragebatur. *Invidiæ enim authori, in more positum est, ut acerbas aliquas calamitates, atq; infestas prosperis successibus admisceat, tanquã segeti lolium, nec ullum ferè statum perpetuum patitur.* (*p*) Quare anno sequenti indicto Posonium pro decimâ quintâ Januarii generali conventu, cui *Matthiam* Archiducem præfecit, quæ ulterius ad hostium tyrannidem arcendam, bellum prosequendum, & publicã Regni defensionẽ, & salutẽ accomodatissima videbantur deliberãda proposuit, & pro copiosioribus subsidiis, tàm apud principes S.R.I. quã Hũgaros sollicitè egit, quo anno Duce *Maximiliano* (*q*) Archiduce, Vaczium



(*m*) *Arx deditione tradita.* (*n*) *Nicolaus Palffy Strigoniensis Capitaneus.* (*o*) *Matthias Visegradum domicilium Coronæ expugnat.* (*p*) 1596. (*q*) *Maximilianus*

*Archidux Vacium & Hatvanū expugnat. Agriam VValones & Germāni Mahometi tradunt.*

um & Hatvanum magnâ Turcarum clade, octo millibus, in Hatvano cœsis Duce Adolpho de Swarcenbörgk & Francisco Nadasdi expugnatum est; dum interea Turcarum Imperator *Mahometes* tot victoriis *Rudolphi* exacerbatus, cum trecentis millibus ipse præsens, Agriam quod præcipuum superioris Hungariæ propugnaculum fuerat, ac in quo salus illarum partium regni superiorum consistebat, post acerrimas impressiones, & oppugnationes tribus ferè septimanis, die, noctéque factas, turpi deditione Walonum, ac Germanorum (cum jam *Maximilianus* Archidux cum magno exercitu advolavit, & ut certò referebatur, intra triduum, aut biduum Sultanus obsidionem soluturus erat) traditam accepit, Ducibus cum ludibrio, & vitæ periculo servatis. Hæc deditio magno mœrore, ac dolore Cæsaris, ac Hungariæ facta, ad fortunam belli, cum ipso Sultano Turcarum experiendam, *Maximilianum* Archiducem, & Duces Hungarorum, cum Transylvaniæ Principe Sigismundo Batthoreo extimulavit. Igitur decreto prælii edito, & primum Chafer Bassa cum viginti millibus profligato, ac cœso, velitationibus editis, acie jam decertari incœptum est, primoque impetu hostis in fugam datus, nostris victoriæ spe, & specie conceptâ ferè triumphantibus, ac præter præceptum à Ducibus datum, longè usque ad castra, propellentibus, ubi stratagemate hostili, occasione prædæ, victoriâ ferè in manibus habitâ, amissa est, quando Sultanus ubi primùm Christianos, ad sua tentoria penetrasse intellexisset, cum cœteris sociis in fugam se proripuit. Hoste jam fugiente, quidam Cagali nuncupatus, Dux Tartarorum, nostros in prædâ occupatos, non tàm ideò ut jam victores amplius vincere, se posse speraret, quàm ut Sultano fugienti amplius spatium, & periculi evitandi commoditas esset, præter spem, prædâ occupatorum magno clamore sublato, invadit, cœdit, fugat, profligat. Id quod toti deinde exercitui in acie adhuc cum vexillis consistenti, Ducibus imperterritis, frustra à fugâ revocantibus, maximam terroris, ac confusionis, denique fugæ occasionem dedit. Ita nimia prædæ cupiditas sæpè pulcherrimas victorias corrupit, adeoque nonnunquam ex trepidantibus victis, victores effecit. Hostis igitur fugiens persequendus est, nec verò victor exercitus, in spoliis ejus legendis, donec fugientem prorsus profligârit, debet retineri, & demum post victoriam per delectos ex toto exercitu præda fideliter colligi diligenter & justè distribui, parte etiam spoliorum, Deo piisque usibus consecrari. Abeant ad Ditem suum divitiæ, est dulcis alioquin præda. Nullum enim est lucrum victoriâ majus. Dicant milites cum equite illo Sebastiano de Flecknstain (qui sacculum nummorum à Turcâ quem persequebatur ad sellam equi objectum dejecit) non hic aurum, divitias, & alia hujusmodi irritamenta malorum quærimus, sed virtutis præmium, honorem, & gloriam militarem; Utinam verò tàm excelso animo militia nostra hostilem supellectilem contemneret, pauciora sæpè, à congressu Duces ipsorum numerarent funera.

*Pugna ad Keresztes*

*Hungari amore prædæ rem benè gestam perdunt.*

*Præda venenum militum. In belles quales divitiæ quærenda.*

Hæc est illa clades Keresztes dicta, ambiguâ victoriâ Christianorum, & Turcarum, dum Christiani virtute primùm victores, victoriam persequi nescirent, deinde Turcæ victi ac fugati, victoriam à fortunâ oblatam, consequi non potuerunt. *Omnis quidem error per se gravis est, qui tamen in bello committitur, longè gravissimus censendus, cum is novis successibus, & sumptuosa compensatione corrigi, & emendari debet.* Satis hoc ad æternam hujus prælii memoriam.

*Mahometes fugit consternatus. Pseudoprophetæ sui vestem circumfert. Conqueritur in Deos ob vitæ periculum.*

Ibi Turcarum Imperatorem consternatum, & casu aliquo læsum, cum multâ exercitus sui parte fugisse, nullibique penitus substitisse, quàm Constantinopoli, omni suo thesauro neglecto, ferunt; ac dum fortè duobus ab Agriâ milliaribus, in quodam vertice metu angoreque constitisset, viridem Pseudoprophetæ sui vestem, quam religionis, aut superstitionis causâ circumferebat exosculatum, sudorem abstersisse, multasque composuisse querelas, quod victoriâ hosti concessâ, per spem in numen suum falsam, discrimen vitæ adiisset. Et hic ergò fœlicitas à parte *Rudolphi* posita fuit, quasi Duces nostri usi, nec immaturâ fugâ ullo persequente exanimati in castris solùm constitissent, singularis illa & admodum memorabilis de hoste victoria obtigisset. Verum credibile est Divinâ permissione factum esse, ut neutra pars virtute suâ partâ victoriâ gloriaretur, & humanarum virium & consiliorum, vanam ambitionem esse, gloriam rei benè gestæ, in solo nutu Dei consistere appareret.

Quoniam verò sæpè conflictus Turcarum, in hactenùs enarratis facta mentio acierum ordinationes in publicis conflictibus, plerumque à Turcis, observari solitas, hoc loco annotare placuit.

*Ordo militiæ Turcicæ quam in bellis observant.*

Primò omnium finitimi Turcæ, qui alios virtute anteeunt, sub Bassis præliantur, ponunturque in primâ fronte.

Secundi sunt Beglerbeghi, ducentes secum Spahias Asiæ, & Europæ (ex duobus enim Turcicus constat exercitus, ex Turcis & Christianis, illos Americas, vel Asiaticas, hos Romanas vel Europæas copias vocant) & hi ab utroque latere in ipsâ fronte cingunt Bassas.

Tertii post hos stant continuo ordine penè innumeri, omnes videlicet Asiaticæ majoris & minoris, ac Africæ Bassæ. Ex quibus sunt Caramaninæ, Anadoliæ, Bagdadi, Uzrumi, Sami, Missiri, &c. creantur autem Bassæ, Beglerbeghi, ex certis Imperatoris equitibus stipendiariis,

riis; qui Spachi, Ulufagi, Carpici dicuntur, ſuntque tanquam ſeminaria Miniſtrorum, & præfectorum Imperii.

Quarti à tergo horum, ſunt quatuor, vezirii intimi conſiliarii, omniumque rerum Imperatoris Curatores quilibet diſtincto ſuo ab aliis exercitu. Et hi pariter directo ordine ſtant, expectantes priorum fortunam, à quibus excipiunt prælium, ſi adverſo Marte pugnaretur.

Quintus ordo demùm ex peditibus pixidariis: hi vocantur Aſappi, Iſaar, alii.

Sexto ordine locari ſolent quandoque triginta, & plura millia camelorum, quibus in terram decumbentibus, anteriores poſterioresque pedes compedibus vincuntur. Dorſis horum imponuntur ſimulachra, affabrè facta ad terrorem, & hominum & equorum noſtrorum.

Quinque ordines ex camelis fiunt, ſed interſeruntur Camelorum ordinibus; ex mulis equisque ſarcinariis, quatuor ordines, qui & ipſi pedibus collisque vincuntur mutuò, ne ſe loco movere queant, Et ſic novem ſunt belluarum ordines, catenis invicem junctarum qui firmiſſimi cujusque muri vicem explent.

Septimo loco poſt Camelos, demum campeſtres falconetæ majores & minores trecentæ, & aliquando etiam plures, locantur, tribus catenarum ordinibus ſtrictiſſimè connexæ.

Octavo loco ingentia ænea tormenta, ac baſiliſci, plus minus, ducenta, & hæc invicem catenata. Tali enim armaturâ abundant, cum ex ipsâ Hungariâ circiter quinque millia tormentorum abduxiſſe creditur, ut ſuperius dictum. Pulveris pyrii, & globorum immenſam copiam habent, uti ad Melitam oſtenderunt, ubi explosa ſunt plusquam ſexaginta globorum millia: Famaguſtæ centum octodecim millia.

Nono loco poſt omnia hæc tormenta viſuntur ipſi Janiceri, omnes hi moſchetis Turcicis utuntur, & ad luxum uſque elegantiſſimè ornati. Hi multis gaudent privilegiis; honorantur ab omnibus, in profectionibus deprædantur impunè caſas Chriſtianorum, à nullo; quàm ab Aghâ judicari poſſunt, nec plectuntur ſupplicio citra periculum ſeditionis, ideoque fit id rarò, & valdè ſecretè. Eorum eſt electio Principis, qui niſi magnum dominum approbent, aut proclament, creatus eſſe dici non poteſt. In gravi bello egreditur pars illorum, cum Agâ ſuo, ultimique omnium confligunt. Hic conſiſtit jam horum poſt terga Imperator, ferramentis quæ cameli ſemper portant, in circuitu defixis, quæ januas vocant, ſeptus, ipſe eques ſolus, cum duobus ſuis armigeris, nec quisquam eques alius admittitur. Sed de his plura ſupra Centuriâ Quintâ.

*Janiceri multas habent prærogativas.*

Decimi ſunt proximè poſt Imperatoris tergum Solaci, elegantiâ habitus pares Janiceris, omnes arcubus ſagittisque armati.

Undecimi ſunt Mucaferaka ſtatim à dextro, ſiniſtroque Imperatoris latere, extra tamen ordines Janicerorum.

Duodecimo loco poſt ipſos ſolacos, ſunt Spahoglani, aulici Imperatoris haſtati, ſplendentibus haſtarum cuſpidibus. Ordinibus hisce immixti tubicines, tympaniſtæ, quorum Capitaneus Mechterbaſſi, alia quoque ejus generis curat inſtrumenta. Eminet præ cæteris Imralis Aga, vexillifer magni Principis, in cujus vexillo cauda equina pendet, quem morem ab Alexandro Magno deductum volunt, qui eam in capite, & inſigniis geſtavit, quod exemplum Turcas in magno Monarchâ ſumptum, aut glorioſum æſtimare, aut incrementum Principatus ſui, equorum beneficio adſcribere, aut denique more Perſarum, equos ſummo Deo ſacros, credentes, iis quaſi re divinâ uti, cogitandum eſt. Præter hos ſunt Saphiæ, non illi quorum Beglerbegi Duces ſunt, ſed qui gratiâ Cæſaris deſignantur ſucceſſores verorum aliorum ſub Beglerbegis Spahiarum, ubi illi è vivis excedunt. Hi extra acies, & ordines poſiti velitantur.

Supra hos omnes ſunt Jahiogli atque Achaſii, quorum Duces ſemper ſunt Mihalogi. Hi reliquuntur extra ordines, ut à tergo hoſtes circumveniant.

Concluditur Imperatoris Turcarum omnium poſtremò exercitus Tartaris, qui & ipſi cum Achanſiis extra acies linquuntur à tergo, ut invadant hoſtes, Præter hos omnes innumeri, Bulgari, Raſcii Lixæ, Calones, Muliones, Camelarii & omnia ſervitiorum genera, adſunt & qui frumenta è finitimis in caſtra devehunt, alii itinera purgant, & id genus faciunt. Nam commeatus imprimis habent rationem, propterea multos mercatores ſecum circumducunt, manuarias molas nullas habent, jumentorum magnam copiam, ut duplo multitudinem hominum ſuperet. Tentoriorum quandoque cernere licet decem millia plus minusvè, reſpectu expeditionis.

Adjiciendum hic putavi, quod quidam Nobilis Hungarus, *Maximiliani* tempore Bizantii Legatus, in acie Turcarum mirabile ſe vidiſſe Comiti Eccio à Salmis retulit. Primùm, ingentes copias & innumerabiles. Alterum quod in tantâ frequentiâ, ne unam quidem mulierem conſpexit. Tertiùm, quod apud eos, ne minima quidem vini mentio fiebat. Poſtremo quod veſpere omnes altâ voce clamabant ALLA, quod illorum linguâ Deum ſignificat, & in caſtris deinde, altum erat ſilentium, ut nemo niſi ſubmiſsâ voce loqueretur. Minima namque

*Mirabile in caſtris Turcicis.*

delicta ſeveriſſimè puniuntur, ideò nulli tumultus, nullæ pugnæ in eorum caſtris exaudiuntur. Turca enim, ut quidam ſcribit, iturus ad caſtra, vitia ſua domi deponit, Chriſtianus aſſumit: in caſtris Turcarum, nullæ deliciæ, arma tantùm, & neceſſarius victus, ſæpiùs orysâ contenti ſunt, vel eâ deficiente, Salitis cõtritis ac in pulverem redactis immixta aqua veſcuntur, in caſtris Chriſtianorum, non ſolum & vinum abundanter expetitur, ſed & luxus & omnis luxuriæ commeatus eſt. Quid ergò mirum ſi tot annis imperium ſuum, non ſolùm retinuit, ſed etiam acceſſione aliorum regnorum, iniquiſſimus, & potentiſſimus prædo, duo imperia nobis eripuit, Conſtantinopolitanum, & Trapezuntinum; ad hæc ſeptuaginta duo regna, euperetque etiam nunc ſi Chriſtianis omnibus, unicum caput eſſet, illud uno momento perdere, ut & reliqua poſſeſſis terræ plagis adjiceret.

*Turca duo imperia & 72. regna poſſidet.*

Adhæc ſolenne Turcis eſt, ſemper paratum inſtructumque eſſe, ad offendendum & præveniendum hoſtem, uti in expeditionibus celeritate admirabili; Uno tempore plura non tentare, non diu cum aliquo belligerare, ne in armis exercitetur, non conſumere tempus, & pecunias in expeditionibus parvi momenti, non acquirere quaſi per ſaltum, ſed pedetentim. Multum quoque præfuit illis, quod Principes expeditionibus ipſi præfuerint. In ſummâ: Tria habent Turcæ quæ neminem non terrent: Multitudinem hominum inſuperabilem: diſciplinam militarem imperturbabilem: Commeatuum copiam infinitam. Sed ad rem.

*Turca eodẽ tempore multa bella non gerit. Tria apud Turcas terribilia.*

Hoc eventu belli penes Agriam, & Kereszas ſequenti anno *Rudolphus* ſupplementum fœlicitatis meditatus, neceſſaria auxilia, tàm in Regno Bohemiæ eique annexis, & vicinis provinciis, quàm in ipſo Sacro Romo Imperio, in orbe Chriſtiano, ubi fieri potuit, ſummâ curâ cõquerebat, & procurabat, cujus rei gratiâ Hungaris quoque generalem Conventum ſub *Matthia* Archiduce Poſonii, ad feſtum Purificationis Mariæ indixit. Eo tamen anno nihil aliud effectum eſt, quàm ut Cæſar *Rudolphus*, Tatâ per Petardam expugnatâ, & Papâ, in poteſtatem magnâ virtute, & vi armorum redactâ, ubi cœſorum ſtomachis aurei Turcarum (*a*) nummi invidiæ, & avaritiæ oſtentamento inveniebantur, Zerdarum Memhet (*b*) Baſſam, qui Vacium à noſtris deſertum occuparat, ſæpius à *Maximiliano* victum & profligatum, ad pacem petendam compuliſſet.

1597. *Tata & Papa per Cæſarem expugnata.*

(*a*) *Turca in Papa aureos nummos comedunt.*

(*b*) *Memhet Baſſa, à Cæſare pacem rogat.*

Eo anno Sigismundus Bathory, per Legatum Stephanum Joſicam, Cancellarium ſuum, Chanadino, Feolak, & aliis minoribus caſtellis (*c*) expugnatis, Temesvarum obſidione fruſtraneâ oppugnat. Is ductâ Mariâ Chriſtiernâ Caroli Archiducis Auſtriæ filiâ, (*d*) ita frigidum, & maleficiatum tandem ſe ſenſit, ut lentâ tabe in ſingulas horas conſumi videretur; nihil magis quàm uxorem, cujus abſentis amore æſtuabat, odio habens.

(*c*) *Sigismundus Bathori Temesvarum fruſtra obſidet*

(*d*) *In ma. matrimonio cum Maria Chriſtiernâ Auſtriaca infœlix.*

(*e*) Cœterum annus Milleſimus quingenteſimus, nonageſimus octavus inſignis mirâ, & incredibili victoriâ ex recuperatione Jaurini (*f*) fuit, quando primum ſubordinatis quinque Huſaris Turcicæ linguæ peritis, qui commeatum Budâ ante lucem advehi dicerent, pons pro invehendo eo demitti rogatur, quo ſine doli ſuſpicione per excubitores facto, noſtri applicuerunt, clarâ aliàs nocte, ſed tamen (Diis conatui Chriſtianorum faventibus) nebulâ involuta, & ventis ſonante. Admotum tormentum per Nobilem Baronem de wabeccurt Lotharingũ fabricatum (quod Petarda vocatur) cujus impulſu porta maximo fragore diſſiluit. Hic Dux Adolphus Svarcembergus, atque Nicolaus Palffy, cum exercitu 4500 ingreſſus, atque ita ſpatio duodecim horarum cœſis duobus hoſtium millibus, mille captis, cum divite præda, tormentis inter alia centum octuaginta quinque in poteſtatem redactis, non ſine ſanguine (deſiderati enim ex noſtris ſexcenti) Jaurinum manibus Chriſtianorum reſtitutum, die vigeſima nona Martii. Trecenti Janiceri in munimentum quoddam pulvere plenum, ſe abdiderunt, ad qvos cum confertim noſtri, armis infeſtis accurrerent, nec ulla ſpes evadendi ſupereſſet, unus eorum pulvere incenſo, ſe & ſuos perdidit. Dies hæc tanto munere divino celebris, quotannis exploſione tormentorum, aliisque lætitiæ ſignis Jaurini gratiſſimè recolitur. Etſi verò tam in amiſſione, quàm in recuperatione loci iſtius, mediocriter notabilis clades Chriſtiano exercitui accidiſſet, ingens tamen omnium lætitia, minorem accepto lucro triſtitiam longè ſuperavit, propterea quod *ea eſt publicorum beneficiorum magnitudo, & tantum apud bonos habet momenti, ut facilè privatorum incommodorum memoriam ex animis omnium debeat.* Itaque illa Jaurienſis munitionis in Hungariâ fortiſſimæ recuperatio, quanto fuerat non Hungariæ tantum ſed & Auſtriæ, imò toti Cæſaris imperio emolumento, & decori, quamqve animos omnium dubios & anxios confirmaverit, explicare difficilè eſt. Magni momenti certè victoria & inter miracula relata. Quàm verò contra opinionem hoſtium contigerat, vel ex hoc liquet, quod Baſſa Jaurienſis, tàm in portas munitionis, quàm etiam in nonnulla majora tormenta ſua, ac noſtra, quæ iſtic dum locus dederetur, relicta fuere, eleganti Turcico ſermone literas hujus ſenſus, ac tenoris inſculpi curavit. *Nullo unquam tempore poſthac, munimentum tanti momenti per Chriſtianos recipi & debellari poſſe.* Quod ut clarius monumentum eſſet, ſupra portam Danubii, in ipſis mœnibus, cœnaculum erexit, ac in apice tecti, ſignum Triceſimale *Rudolphi* Cæſaris,

(*e*) 1598.

(*f*) *Iaurini recuperatio per Petardam.*

ris ac altiùs gallum ferreum, antea supra turrim templi habitum, apposuit, hæc verba proferens: *Tunc futuram amplius illam munitionem in potestate Christianorum, quando is ferreus gallus cantaret*: quod & evenisse in Jaurini recuperatione nonnulli asserunt, sed fides penes authores relinquitur.

*Gallus ferreus Jaurini cantans.*

Imperator Turcarum confusus, & fœderis jurisque gentium violati pœnas simulans, ingenti apparatu, copiisque maximis, ad Varadini obsidionem properat; quo occupato, facilè ingens negotium Hungariæ peperisset. Verum propugnantibus Barone Redero Silesio, & Paulo Niary Præfecto Varadiensi effecit nihil: & licet mirum in modum omnia ferè propugnacula ac mœnia disjiceret, ac cuniculis factis assultus impressionesque sæpiùs faceret, tamen virtute Ducum ac militum obsessorum rejectus, magno cum detrimento inde discessit, amissis suorum viginti millibus.

*Varadini obsidione Turca rejicitur.*

Pari successu *Matthias* cum aliis Ducibus Gestes, Chokakeö, Palotam, Vesprimium, Tihán, Vason, partim deditione, partim vi, in potestatem Cæsaris redegit & bono mox ac novo consilio, Budam caput Regni obsidione cingit. Magna virtute Ducum, ac totius exercitus Hungarorum obsidio peragebatur, omnibus locis circa Budam, civitate inferiori, atque monte S. Gerardi, fœliciter occupatis, non sine clade Turcarum, quorum ultra duo millia occisa, inter quos Bassa unus, Beghi autem nec non Aghæ, & Ispajæ & alii præcipui nominis Turcæ plurimi. Verùm anticipatâ ferè victoriâ, spe & affectione omnium obsidio continuari non potuit, ob prodigiosam, & præter naturam, tempestatem, ac pluviarum copiam, per triginta ferè dies & noctes continuam. Unde plurimis incommodis & impedimentis enatis, aliter disponente divinâ providentiâ: Buda semicapta, abductis quadraginta tormentis, salvo exercitus recessu relicta est, non omninò nullâ cum fœlicitate, cum non modo magnam partem Budensium Turcarum stravit Archidux; sed & Jauriensis Tatensesque præsidiarii, munitionibus amissis, profligati essent.

*Matthias plura præsidia capit. Buda obsidetur. Plurimi Turcæ pereunt. Budensis obsidio tempestate aeris soluta.*

Interea Turcarum Tyrannus, ut præclaræ fœlicitatis cursum, ac conatus heroicos *Rudolphi* impediret, cum suos Bassas plerosque, tum verò etiam Tartariæ Chanum subordinat, ut de pace instituendâ agant, & Cæsarem quocunque modo, se ad persequendum bellum, parantem, omnibus artibus detineant. Chanus ergò, præter priores suos homines, quos in hunc finem opera Oratoris sui, superioribus mensibus transmiserat, novos iterum Nuncios Pragam ablegat, (*a*) qui fœderis negotium tractarent. Hi posteaquàm commissa egissent, egregiè donati, à Cæsare, spem tantummodo pacis obtinendæ retulerunt. (*b*) Id quod Turcicâ fide, ac fraude actum esset, incursiones ac vastationes per hostes factæ demonstrarunt, nec planè à Cæsare inultæ, quando Bassarum duorum cœde & captivitate compensatæ fuerunt.

*Turcicus Imperator Tartariæ Chanum ad pacem cum Rudolpho faciendam ordinat.*

(*a*) 1599.

(*b*) *Pax perfidè à Turca tractatur.*

Moliebatur Turca circa illud tempus obsidionem Strigonii, ad quod nostra castra posita erant. (*c*) Tartari autem, proditâ in promovendæ pacis negotio fallaciâ, prædas, & depopulationes usque ad Album Montem, & Montanas Civitates agebant, ac totam penè cis Danubianam regionem rabiosâ velocitate pervolarunt, & devastarunt, quam irruptionem magnâ annonæ caritas, & lues pecorum secuta est. Eâ tempestate gravis rerum vicissitudo incurrit, *Rudolpho* ex fato duorum summorum Ducum inopinato ac immaturo Nicolai Palffy, (*d*) & Adolphi Svarcenbergi, & perfidia, ac rebellione Wallonum (*e*) circiter mille, ob non soluta stipendia, quo belli illa prosperitas, ac victoria de hostibus destinata interpolabatur. (*f*) Walones enim & Galli, cum Turcis paciscuntur de traditione Papensis præsidii, pro pecuniâ, quin & Svarcenbergum, qui cum pecuniæ vi, ad comprimendam seditionem, adventare diceretur (ille qui Jaurinum recuperavit) se oppido excepturos, eisque traditurus, aut si hoc non placeret, ipsi Turcæ eodem in itinere, insidiarentur. Post tractatum Tribunos & Centuriones omnes officio dejiciunt & è suis Lamottam, Ducem sibi constituunt. Michaelem Maroth loci præfectum, cum omni familiâ in vincula conjiciunt, lytron postulant, quod nisi solveret, Turcis traditum iri. Turcas captivos vestibus ornatos Albam Regalem remittunt, vexillumque Cæsaris Turcis tradunt. Svarcenbergus cum 200. Papam versus proficiscitur, sed elusus spe resipiscentiæ præsidiorum, tum aquarum eluvione prohibitus, Jaurinum retrocessit. Veniens rursus cum 9000. Svarcenbergus fortunam experitur, munitionem, tormentis concutit: Sed & perfidi magnâ annonæ inopiâ laborant. Proinde nullum ad veniam reditum sperantes, nocte intempestâ, eruptione factâ, Svarcenbergianos invadunt, partim concidunt, partim in fugam agunt, Svarcenbergus glande ictus cadit, cui surrogatus Melchior Rederus. Urgetur obsidio, admonentur ad officium, præfecti, instare periculum vel à fame. Denuò erumpunt, ubi victus defecerit, se captivos Christianos, atque inter primos Marotum præfectum comesturos asserunt. Jam Walones fugæ consilia inierant, quos Franciscus Nadasdy, Comes à Thurn Sigefridus à Kolonitz insecuti, magnâ parte cedunt. Lamotta glande tormentariâ tactus occumbit. Nostri desertum à perfidis oppidum ingressi, captivos liberant, perfidorum reliquias ad internecionem ferro absumunt, alii rota, igne, palis, uncis, & id genus excarnificati, perfidiam solverunt.

(*c*) *Excursio Tartarorum ad cis Danubianam Regionem.*

(*d*) *Nicolaus Palffy, & Svarcenburgh moritur, 1600.*

(*e*) *VValones rebellantes.*

(*f*) *Papa à VValonibus Turcis traditur.*

verunt. Unde apparet: *Militem stipendio suo defraudatum, disciplinæ impatientem, & præsentissimum inimicum esse.*

Porrò *Rudolphus* summâ sapientiâ Cæsar, tum quod hostis magnâ perfidiâ, & dolo, in pacis tractatibus processerit, tum iniquissimas conditiones obtulerit, quæ ad Regni perniciem & excidium vergerent, fortunam belli vacillantem ex publico comitiorum Posoniensium consulto pro festo Purificationis Mariæ 1600. celebratorum instaurat, ac reparat, Duce dato antiquis virtute, & militari peritiâ comparando Philippo Emmanuele Mercurio, *Matthiæ* Archiduci adjuncto Legato. Hic igitur nova bellorum fœliciter gestorum series, quibus potentia Turcarum Imperatorum magnoperè labefactata est. Ille enim pace frustrà jactatâ, partes Croaticas insectans, (*a*) tandem Kanisam obsederat, atque acerrimè oppugnaverat. Dux Mercurius cum mediocri exercitu, accitis Zrinio, Draskovitio, Herbesteinio, & Carlostadianis, ita ordinante (*b*) summo Duce *Matthia*, contra hostem Kanisæ auxilio succurrere decrevit. Quare emensâ itineris longitudine, & relictis, in Insulâ Murakeoz impedimentis, quia hostem nostrorum procinctu territum iri fama erat, necessariò apparatu accepto & commeatu, ad spatium trium dierum contra Ibraimum Ducem Turcarum pergit. Qui intellecto Mercurii adventu, relictâ oppugnatione Kanisæ, copiis in ordinem redactis, magnâ vi obviam profectus, adeò ardenter nostros excipit, ut jam vanâ spe victoriam præconcepisset, quod tandem secus evenit.

*Dux belli Philippus Emmanuel ex domo Lotharingicâ.*

*(a) Turca Kanisam oppugnat.*

*(b) Profligatur à Mercurio & Hungaris Ducibus.*

Namque nihil fortius Mercurius acie restitit, ac tantâ virtute decertavit, ut Turcæ multis ex suis desideratis terga vertere, ac victoriam nostris concedere cogerentur: quos Mercurius usque ad eorum castra insecutus, ac castris unius globi distantiâ metatio, quinque dies integros cum hoste prælatus, victoriâque potitus est, non sine nostrorum clade.

Et licet hostis copiis, & numero longè superaret, tamen tanta fuit Mercurii & militum virtus, & ardor, ut facilè de tanto hoste plenam victoriam reportare se posse sperarent, dum modo longiori tempore in acie consistere potuissent. Nimia enim inediâ, & summâ rerum inopiâ laboratum est. Unde Mercurius coactus, solutum exercitum, ac triumphantem reducem habuit. Ibraimus verò instauratis viribus oppugnationi Kanisæ insistens, eam per ultroneam deditionem cœpit, perfidiâ præsidii Præfecti Georgii Paradeiser Styriaci Nobilis, qui superioribus annis Clissam in Dalmatiâ, pro Cæsare paulo ante obtentam, Turcis reddiderat. Is perfidiam Viennæ capitis supplicio persolvit. Deditionis hujus conditiones à Turcis, quod raro fieri solet, fideliter servatæ. Accepto oppido, Turcarum Imperator publicè edicit, quicunque ibi habitare vellent, permittere religionis, corporis & vitæ securitatem, & trium annorum immunitatem, ab omnibus censibus & tributis.

*Mercurius ob rerum inopiam exercitum reducit.*

Hoc planè tempore Princeps Persarum famâ de *Rudolphi* in bello fœlicitate acceptâ, ad Cæsarem certos homines Christianos mirabili consilio destinavit, qui eum hortarentur, ne cum Turcarum Imperatore fœdus iniret, sed sicut ipse Turcam à parte suâ continuis fatigaret bellis, ita Cæsar in præclaro victoriarum, ac belli cursu pergeret, mutuisque auxiliis, ac viribus Tyrannum ad imperium totius orbis anhelantem reprimerent. Cui per eosdem Ablegatos promissio facta à Cæsare, non facile ullum fœdus initum iri, imò & cœteris Christianis Regibus ac Principibus non deesse voluntatem, ac potestatem contra hostes, modo ipse constans sit, & Georgianorum Principem aliosque suos vicinos in belli societatem adsciscat, & adducat.

*Persarum Rex Rudolphum contra Turcam incitat.*

Magna fuit animorum commotio ex Kanisæ deditione, quandoquidem illa singulare contra hostem, & ferè unicum propugnaculum ad Austriam, in quo salus & incolumitas vicinarum Provinciarum consistere videbatur, erat. Cæsar igitur virtute industriâ seu solertiâ, quæ in rebus gerendis commendatur maximè, illa quippe omnium vim continet virtutum, & decore pulcherrima est fœliciter instaurat bellum, cum Hungaris de hoste armis propulsando, ad idque parandis necessariis Posonii præsidente Archiduce *Matthia*, pro festo conversionis S. Pauli, anno 1601. statuit, compellatis etiam Pontifice, ac Hispano, aliisque Romani Imperii principibus, ut auxilia majora cogerent, & tempestivè in Hungariam expedirent, quod hostis jam Kanisâ potitus, loco terminis Austriæ vicino, Viennæ minaretur. Igitur Mercurius cum Rosvurmio jussa Cæsaris executus, Albam Regalem obsidione cingit, quam ita instituit, ut antequam id faceret, Budam se obsessurum spargeret, ut hostem hic imparatum, & incautum offenderet, & tanto majori facilitate res geri potuisset.

*Rudolphus Pontifice, Hispanũ, & Principes pro auxiliis admonet.*

*Mercurius Albam obsidet anno 1601.*

Quo antequam pervenit, duo ejus præsidia Chikvár, (*c*) & Chókakeö, illud quidem per deditionem, hoc autem virtute militari intercepit. Albam verò perveniens, aggeribus positis, continuis impressionibus, ac omnibus obsidionis artibus hostem fatigavit. Primùm paludibus merâ industriâ & arte superatis, suburbia ab omni parte invadunt, illaque capiunt quatuordecim æneis tormentis potiti. Post muros ferreis globis quatiunt, admonitis prius, qui pro responso tormenta displodebant. Sequente luce nostri per murorum ruinas non sine cœde

*(c) Chikvár, & Chokakeo intercipit.*

cæde multorum, in oppidum penetrarunt. Turcæ domibus sese includunt, quarum rudera tantum nostris relicta. Bassa incolumitate promissâ, vivum se dedidit, quem Mercurius statim in castra misit. Sic undecimo post obsidionem die, Urbs olim Monarchiæ S. Coronæ solennitatibus & sepulturâ Regum clarâ, maximâ cum laude interceptâ, & Cæsari restituta, postquam Turca eam possedisset continuis annis quinquaginta octo.

*Albâ potitur. 29. Aug.*

Et licet igne tam Turcæ, quam etiam res illorum majori ex parte absumptæ fuerunt, magna nihilominus præda militi contigit.

Turcarum Imperator furore percitus ob Albam amissam, novum Vezirium cum centum millibus, ac maximo belli apparatu misit, ut non solùm Albam recuperaret, sed & acie decertando certam referret victoriam. Vezirius cum tanto exercitu ad Albam castris positis, obsidionem institutam, nostris obstantibus perficere non potuit, prælio decertandum duxit. Tribus igitur diebus, summis viribus decertatum est, oppugnatis etiam castris Cæsareanis, sed victoria semper Christianis cessit, & Turcæ magnâ cum clade semper victi, profligati, & repulsi sunt, plurima tormenta cum non exiguâ globorum missilium copiâ iisdem erepta & in urbem adducta. Tandem *Matthias* magno animo adversus castra Turcarum profectus, Marte aperto cum hoste dimicavit, prælio durante à solis ortu, usque ad occasum.

*Vezirius ad Albam recuperandam cum centum millibus missus. Cæsi præcipui Turcæ & gregarii plurimi.*

Certatum magnis utrinque animis, ad virium lassitudinem, nostri præsertim exercitus periculo maximo, qui ingentes Turcarum impetus masculè sustinuit, quin, & nonnullâ clade hostem affecit, ad extremum ubi hostis viribus & numero superior invalesceret, nostrorum acies inclinari cœpta est. Industriâ tamen militiæ Ducis, rumor dispersus, quo recens auxiliorum manus à Canisâ eo tempore obsessâ, per Ferdinandum Archiducem Caroli filium adventare dicebatur, fideique faciendæ gratiâ subordinatus cum quatuor millibus peditum Joannes Prainer, in colle non multum distante, qui expansis vexillis, continuatis turmis, & ordinatis currubus adventantem copiarum speciem ostentaret, maximo ad victoriam momento. Nostri enim persuasione admissâ, facilè in spes novas erecti, recollectis viribus prælium fortiter restaurant, hostemque magnâ suppetiarum fiduciâ premunt & profligant, ubi duo Bassæ, unus Budensis, & deinde Turcici Imperatoris Locumtenens Memhet, quem ipsi Tyhaia vocant cœsi, cum Begis septem, sex Sangiachi, Agæ & milites gregarii ad tria millia desiderati, è nostris pauci sed illustris nemo, ultimò tandem Turca fugienti similis, castris crematis discessit. In certamine profecto seu prælio, auxilium immortale quantumvis exiguum, ex insperato pro nobis hostibus ostentatum, vel in eos irruens, etiam victores in fugam vertit. Nostros verò animos planè confirmat, fortes reddit, & in spem erigit.

*Vezirius fugit.*

Credimus enim nos opem velut de cœlo demissam, contra hosti formidolosiores sunt, qui pugnant. Enituit hic virtus *Matthiæ* Archiducis, qui non curato quod aliquoties ab hoste circumventus, plurimis ferreis pilis hinc inde peteretur, nihilominùs semper usque ad finem prælii, imperterritus in campo mansit, non solùm fortissimi militis, sed etiam optimi Ducis officio functus, cuncta militaria munia implevit, immortalem nominis consecutus gloriam, Monarchiam S. Coronæ summo obligavit beneficio, verum Alba Regalis non diu possessione Christianâ lætabatur, quando sequenti anno, partim arte, partim marte, & fraude expugnata à Turcis est, Ducibus nostris retentis, Gregario milite qui deditionem cogitasset dimisso. Nacti sunt, ibi Turcæ decem tormenta nova, præter ea quæ antea ibi fuerunt, pulveris sulphurei, salis, missilium, etiam pecuniæ copiam non contemnendam, quis ambigat an animadversione divinâ evenerit pro efferâ militum Christianorum immanitate, anno superiore in recuperatione Albæ admissâ à Walonibus præcipuè, qui sacris etiam divorum Regum Hungaricorum, manibus & sepulturis non pepercerunt, uno & eodem tempore, quo Albâ recuperatâ, Kanisam *Ferdinandus* recuperare contendit, quare submisso à Pontifice duodecim millium bellatorum auxilio, Ductore Joanne Francisco Aldebrandino, Pontificis nepote; ab Hispano sex millium, reliquo ex indigenis, item Croatis & Slavis, constante (in Septembri) obsederat. Præsidiarii superbè & contumeliosè respondent, gladios strictos è muris ostentant.

*Matthiæ virtus præclara in Albensi prælio. Alba à Turcis iteratò capitur anno 1602.*

Quotidie in Italorum præsertim castris multi, iique illustres viri, cadebant, pertinacibus admodum Turcis, inter quos & Walones transfugæ fuerunt, licet magnâ angustiâ annonæ pressi, equorum carnes in deliciis haberent. Legatus *Ferdinandi* vel Vicarius fuit Dux Mantuanus. In Novembri Hermannus Christophorus Rosvurmius, cum Francisco Nadasdi, & Sigefridus à Kolonich ex castris Albensibus auxiliari manu, ad Kanisam venerunt, à quorum adventu, sequenti nocte tanta vis frigoris fuit, ut plurimi milites & equi in *Ferdinandi* exercitu, à casis, & tentoriis non satis instructo, obriguerint. Itaque parvâ præsidii potiundi spe, iniquâ anni parte factam obsidionem solverunt, relictis ibi Papilionibus impedimentis plerisque & majoribus tormentis.

Budam deinde Archidux *Matthias* cum Legato Roswurm sibi post mortem Mercurii à Cæsare adjuncto, iterato cingit obsidione validâ, Pesto quæ è regione Budæ posita est ultra

*Budensis obsidio altera. Pestum*

Da-

*Hungari capiunt, & alia infra Budam præsidia.*

Danubium, per Hungaros prius fœliciter expugnato, ac nonnullis aliis ad multa milliaria infra Budam præsidiis, Erd, Adon, Paks, Feöldvár, Simontornya, Kopán pro majori Albæ securitate restitutis. In cujus oppugnatione, cum multis impressionibus, arx peteretur, Turcæ Budenses non postremam spem deditionis dedêre Archiduci, verùm frigiditate humidiore, & pluviosâ aëris intemperie subsecutâ repentè, ac de adventu Vezirii cum copiis maximis edocti, consilium deditionis mutarunt. Nec dubium, quin Archidux facilè jam voti compos factus fuisset, si diutius illic morari ac persistere potuisset. Pesto igitur milite communito, frustra Francisco Nadasdy, Sigefrido Kolonich tantæ victoriæ continuationem persuadentibus regressum est.

*Buda oppugnatio ob aeris frigiditatē & pluvias intermissa.*

In hac Budensi obsidione, Germani per eruptionem Turcarum, magnam cladem acceperunt. Hungari verò Bosnensem exercitum ad suppetias Budensium ferendas venientem profligarunt. Hoc jactatum publico rumore est, Rosvurmium auro barbarorum corruptum, conatus Cæsaris felices perfidiæ occultâ machinatione corrupisse, isque deinde Pragæ supplicio à Cæsare punitus, sceleris hujus arguebatur. Hisce temporibus redintegrare pacis tractatum visum fuit, ad eumque deputati per Cæsarem, Joannes Kuthassy Archiepiscopus Strigoniensis, Franciscus de Nadasd, Volphangus ab Aiczing, & Bartholomæus Peczen, adjunctis Magnatibus aliis, qui cum selecto, & splendido comitatu Hungarico, Strigonium in conspectum ablegatorum, Turcicorum, ad undecimam Junii, An. 1601. venire ordinati fuerunt: verum is propter hostium versutiam, nullo cum fructu dissolutus, Cæsari apertum bellum continuare reliquit.

*Bosnensis exercitus ab Hungaris profligatus.*

*Rosvurmii perfidia Pragæ supplicio punitur.*

Æstuabat ergò Hungaria inter spem pacis, & belli metum, quantumvis tot victoriis Cæsaris, tot triumphis gratulata, tamen quod sedes, & theatrum fuit totius belli, in quo tot Duces variorum populorum, gentesque, fœlici & sacro Marte depugnarent, nimiâ militum dissolutis disciplinæ militaris legibus licentiâ, plus æquo gravabatur. Ideò sæpiùs in publicis comitiis, eâ de re Regnicolæ conquesti sunt, & pro remedio, quo huic malo occurreretur, supplicaverunt, tandem etiam per legatos Cæsarem compellarunt, qui fuerunt Demetrius Napraghy, Archiepiscopus Colocensis, Joannes Joo personalis præsentia, Petrus Revay, Georgius Kekedy, & Franciscus Kelemessy; quibus exponentibus, militum domesticorum, & exterorum insolentia accusabatur, qui sub prætextu defendendæ patriæ, maxima regno detrimenta inferebant, oppida, villas, domos, non rusticorum solùm, sed & nobilium effræni licentiâ vastabant, ut vix ab hoste majora damna, & oppressiones expectari potuissent, & florentissimum hoc Regnum sterile, & deforme immanitate suâ efficerent, contra morem gentium, quæ in tantum solo suo parcunt, ad hostilia potius anhelantes, in quantum necessitas, & angustia permittit. Hæc & similia ad Cæsarem relata, cum humili imploratione castigationis ejusmodi licentiæ, & remedii, quò plusquàm hostilis in corpus Regni populatio ac insatiabilis illa ditescendi libido, coërceretur; Walonum præsertim genus, quod ferociori inclementiâ grassabatur. Cum enim innumerabiles ferè ab externis hostibus regnum accepisset clades, indignissimum erat à præsidiariis, & indigenis consumi.

*Militum licentia nimia in Hungariâ.*

*Legatio Hungarica ad Cæsarem pro compescendis militibus.*

Ac simul status & ordines supplicabant, ut promotiones indigenarum non intermitterentur, atque alia administrandorum negotiorum Hungaricorum ratio ineatur, quàm quæ hactenùs per exteros fuit, præter morem aliorum Regnorum, & Principatuum.

*Supplicatur ut negotia Regni indigenæ administrent.*

Modus tractandorum negotiorum ad normam veterem reduceretur, ne forsitan majori rerum perturbationi occasiò emergeret. Id quod fecerunt. Hungari sæpius, dum crebrò pro certis quibusdam damnosis introductionibus, & abusibus tollendis, formâque veteri in Regnū reducendâ supplicarunt. Sed is effectus legationis fuit, ut à Cæsare spes data fuerit rerum ad salutarem militiæ, & politiæ Hungariæ bello continuo laceratæ ordinem reducendum, & reformationem instituendam.

Interim hostis usitatâ fraude, & astutiâ Asiatica, Duces quosdam Cæsaris sollicitat, ut secum paciscerentur, atque miro colore, studioque pacis, ac simulatione necessitudinis, cum Christianis non solùm officiis certabat, conviviorum, ac simposiorum legibus utebatur, genioque interdum indulgebat, sed & liberam nostris Budam visitandi facultatem daret, hospitii jura præberet, nulla vel levi injuriâ afficiendo, prout cui placebat ire, & redire permitteret. Verum subitò patuit, Turcas hac arte majora Martis pericula nostris molitos, nec unquam ipsis fidendum esse, quibus Christianos fraude, dolo, magis quàm virtute, & bello vincere res præclara, & Mahometis sanctionibus consentanea esset. Quamvis autem Cæsari ista fœderis tractatio constaret, quoties legati expediti sunt, tamen summa sapientia, & futurorum eventuum præsagâ prudentiâ, rem metitus, novam belli initi rationem, & copiis collectis, post fratrem *Matthiam* Archiducem, Georgium Basta ex Transylvania evocat, cui administrationem belli commisso exercitu, assignat.

*Turcæ in fallendis Christianis simulata amicitia.*

*Georgius Basta belli administrator. 1604.*

Jam Sultanus Turcarum miserat Zerdarum cum centum millibus, ut aut Varadinum, aut Strigonium obsideret. Verùm instigante Budensi Bassa, ut Strigonium potiùs, quàm Varadinum peteret, quod Buda regni caput propè esset, & donec in Christianorum potestate Strigonium

nium maneret, nihil præclari à Turcis geri possit. Pesto à nostris, Vacioque & Hatvano metu majoris periculi temerè deserto, (a) Strigonium obsedit. Verùm Basta non solùm summâ virtute Strigonium defendit, (b) sed & quotidianis cladibus Turcas in obsidione affecit, adeò ut post mensem amissis plurimis ex suo exercitu, Zerdar spe suâ delusus, Strigonio recesserit, propugnacula illa totius Danubialis regionis liberata. Eo anno 1604. vagi illi Tartari, ad Szákmár usque progressi, obvia quæque ferro, ac flammâ populati sunt, pluribus pagis incensis, multâ hominum captivitate. In his rerum angustiis comitia Ratisbonæ *Rudolphus* celebrat, ubi postulata auxilia contra Turcas, à Principibus decernuntur, summâ rerum *Matthiæ* Archiduci publicè delatâ. Illius item anni fluxu, Papense præsidium periculo liberatum, quod captivi Turcæ ibidem multo numero existentes prodere volebant, ad undecimam Februarii jubentes præsto esse Turcas, eoque die à nostris in lætitiâ transigendo, in muros eniti: se stabulo Præfecti ignem injecturos, quò facilior esset oppidi occupatio. Sed capto internuncio ad Albenses Turcas rescisitur, captivique examinati supplicio afficerentur. Non multò post Sigefridus à Kolonicz Kanisam tentat operâ Galli cujusdam callidi; qui Kanisam conscio Koloniczio subingressus, plurima de nostris questus est, ibique stipendia cum cœteris desertoribus merens, factum dissimulabat. Nactâ occasione locis aliquot oportunis ignem subjecit, cui restinguendo occupatis Turcis, Coloniczio commoditatem capiendæ arcis parare voluit.

*Pestum, Vacium, & Hatvanum à nostris deseritur.*

*(a) Strigonium à Turca obsidetur.*

*(b) A Basta defenditur.*

Sed licet plurima ædificia, quin & rotæ tormentorum in cineres subsiderent, major tamen observandorum hostis conatuum à Turcis ratio habita, quam prohibendi ignis fuit. Circa id tempus Tartarorum & Turcarum multa millia, à Bosniâ in Illyricum se effunderunt, & quacunque irent, ad solitudinem omnia redegerunt. Quorum alii à Comite Georgio à Zrinio, in campis Marosinis ex improviso oppressi, & cœsi, ac quadringenti circiter Christiani à servitute vindicati: alii per Paulum Nyáry, & Stephanum Batthory fusi fugatique fuerunt, magnâ prædâ nostris militibus relictâ.

Hactenus igitur annorum ferè quindecim administratio belli *Rudolphi* Cæsaris laudabilis, ac salutaris erat, quibus non solùm trium Turcarum Tyrannorum vires immensas, ac potentiam imperio Germaniæ, ac toti Christiano orbi inhiantem fregit, ac prostravit, sed & reliquias Hungariæ nullâ parte diminutas, ac affectas conservavit, ita ut si exactiùs normâ quadam hanc belli molem metiri liceret, intra duos triangulos Hungariæ, unum Budam, Strigonium, Albam Regalem, alterum Cassoviam, Agriam, Varadinum, incredibilis belli potestas, utrinque consisteret, nec ulteriùs progressa, initium, ac finem, eorundem locorum distantiis haberet; sed quantis Turcarum cladibus, ac *Rudolphi* victoriis, quis illud animo comprehendere, nedùm verbis explicare queat. Etsi enim Reges & Principes non habent aliquem sponsorem vitæ, & salutis suæ, nec certis conditionibus verbisque conceptis imperia accipiunt, ut omnes hostes, & semper devincant (quis enim mortalium omnes, tàm fortunæ, quàm consilii eventus in se ipsum recipere audet?) tamen non omnia fortunæ imperio committenda, & virtutis major, quàm privatæ securitatis ratio habenda est, & Reipublicæ in militiâ, ac victoriâ parandâ serviendum potiùs, quàm eum ignaviâ & detrimento communis salutis domi hærendum. Ita felicitas *Rudolphi* majorem in se admirationem habet, qui totam hanc belli molem, & tempus non solùm domi sedendo, sed & domi vincendo, ac triumphando, per Legatos ac Duces administrasset, & summâ transegisset felicitate, juxta illud Romanum elogium: *Romanum, domi sedendo, vincere.*

*Rudolphus bello quindecennali fortunatus.*

*Rudolphus domi sedendo vincit.*

Post sæpiùs Hungari pro comitiis, ut paulò ante dictum est, non solum de externorum militum insolentiâ, à quibus omnia mala, & calamitates plurimas divinis & humanis legibus pessundatis, perpessi fuerunt, conquerebantur, sed & per Legatos Pragam missos tempestiva à Cæsare remedia profligatæ inter milites bellicæ disciplinæ flagitabant, & nisi effrænis militum licentia, compesceretur, futurum esset aliquando, ut ad extrema devenireturr. Joannes Jacobus Barbianus Belgiosæ comes itemque Georgii Bastæ Vicarius, Cassoviense ademerat templum, non sine tumultu adductis tormentis, & contra Templum collocatis: privatæ conciones, & administratio sacramentorum interdicta.

*Hungari sollicitant pro militum licentiâ coercendâ. Cassoviense Templum Belgiosa adimit.*

Tres item è Nobilitate, tanquam seditionis autores intra semidiruti Cœnobii muros inclusit, qui fame enecati perierunt. Ideoque protestationis (ut vocant) pro comitiis sæpiùs factæ, prioribus temporibus, nec non privatim funestus tandem eventus secutus est, ut dicetur. Et illa protestatio maximè insignis erat in Comitiis Anni Millesimi, sexcentesimi, quarti, dum articulus de religione contra leges Regni, quorundam instinctu adnecteretur, ne videlicet tanquam res inusitata, & planè nova negotium religionis in publicis tractatibus, & Diætis per quempiam moveretur, ut quo publici tractatus cum multorum malo exemplo non modicum retardarentur. Cæsar verò Romanam fidem, sicut ubique, ita in hoc Regno Hungariæ florere, & dilatare cupiat, omniaq; antiqua superinde statuta, & constitutiones

*Religionis negotium moveri articulo prohibetur.*

ratificare, & confirmare, pœnamque ab inquietis, & tanquam rerum novarum cupidis exigere velit. Hoc præcipuam tumultuandi occasionem non sine animorum abalienatione tandem peperit.

*Belgiosa castrum Szent Iob, & Kereky, Stephani Boczkay expugnat.*

Accessit & illud quod Stephano Boczkay per undem Belgiosam castrum Szent Job obsessum & expugnatum fuerit, capto etiam alio castro Kereky, in quod se præsidii gratiâ receperat, qui tandem ad pedites (*a*) Hungaros ter mille liberos confugit, cum quibus etiam sex Germanorum millia profligavit, occupavit Széczin, Gyarmath, Drogel, Palank, Szakmár, Szendereö, Saarospatak, Putnok, Carponam, & multa alia loca. His Transylvani, Cassovienses qui ab eodem Belgiosa læsi fuerant, certis quibusdam cum magnatibus se conjunxerunt, & sic in dies auctis ipsorum copiis, incendium hoc longiùs latiusque processit: (*b*) Sed & Boczkay favorem Imperatoris Turcarum parare, & fœdus cum eo ineundum esse existimavit. (*c*) Ita animi subditorum post longas, & neglectas preces, velut furore quodam correpti exasperantur.

*(a) Boczkay assumptis Haidonibus Germanos profligat.*
*(b Majores copias cogit, & societatem cum plerisque init.*
*(c) Subditorum animi quopacto exasperantur.*

Nihil ergo ad continendos in officio subditos efficacius liberalitate & facilitate Regis in rebus honestis, & justis admissa, quod juris & libertatis quisque suæ acerrimus est propugnator. Novum hoc incœptum crescebat promovente potissimum, Stephano Illiesházy, qui paulò ante excitatâ in se Cæsaris indignatione, Viennam ad judicium vocatus, mutatis vestibus Urbe excedens, in spontaneum exilium in Poloniam profectus erat. Unde rei indignitate permotus, Stephanum Boczkay prehensâ celeri oportunitate contra Germanos magis impellit & insuper juvat maximè, ut discordiâ factâ, fortunæ suæ quoque mutatio pararetur. Tantâ autem dexteritate rem administrat, ut ne à Polonis turbata Patria aliquid detrimenti accepisset, quibus persuadet, ne causam contra Hungaros, stipendiis vel milite juvarent. Itaque Cæsar *Rudolphus* animo turbato esse cœpit, mox Legato Bastâ (*d*) cum exercitu quatuordecim millium misso versus superiorem Hungariam; ubi Basta incursiones impetusque perpessus, & quod temporis injuriâ rerumque necessariarum inopiâ vehementer conflictatus, non tam victoriam sibi promittebat, quam casum, redeundi occasionem quæsivit, quem Boczkaiani Posonium usque insecuti sunt, & has quoque partes, ad deditionem urserunt.

*(d Basta cum exercitu mittitur in Hungariam, post fugit.*

*Cæsar cõpositioni operam dat.*

Cæsar ad pacis consilia conversus, tum opera Bastæ, tùm aliorum plurimorum Consiliariorum Hungarorum, qui nondum ad Boczkay adhærebant, laborat, ut bellum illud intestinum, quocunque modo sopiretur, tumultuosi ad saniorem mentem redirent, ut tandem cum Turcâ commodiùs decertari posset. Postremò quidem Demetrius Náprághy Transylvaniæ Episcopus, & Sigismundus Forgácz, unicum illud responsum Boczkaio retulêre, si sibi Cæsar Transylvaniæ Principatum conferret, non modo à bello cessare se velle, sed & Turcarum Imperatorem eò inducere, ut firmam cum Cæsare pacem iniret; quæ petitio displicuit Cæsari.

*Boczkay quibus cõditionibus pacisci vult.*

Majori Regni parte adhærente Boczkaio, Illieshazio quoque exule revocato, per cujus prudentiam & opes maximas rem persequi præcipuè consistebat, in dies per majora proceditur incrementa. Nec Hungariæ finibus tanta calamitas se continuit, sed proximas quoque regiones est pervagata, Moraviam imprimis & Austriam, quæ incendiis, & cædibus horribiliter devastatæ sunt multis millibus in miserrimam servitutem abductis. (*e*) Franciscus Reday Generalis Dux belli designatus. Civitates montanas Filek, Vigles, Tyrnaviam, Trenchinium, Nitriam, aliasque arces, & Civitates in potestatem sui Antesignani redegit. Mira vicissitudinis hujus celeritas communis deinde proverbio jactabatur; Haidones levi, & brevi armatura, cum loris, & flagris per res difficiles penetrasse, cujus dicterii cum recordor, venit mihi in mentem, illa Gallorum in Regno Neapolitano felicitas & progressus, quo Regnum Neapolitanum cum cretâ, & ligneis calcaribus veniendo, occupasse narrantur.

*Bellum Hungaricum in Moraviâ, & Austriam effunditur.*
*(e) Franciscus Reday Generalis Dux belli*

In hoc publico gentis furore, ac inter tot armorum strepitus, Boczkay ad Carponam Comitia pacis cum Cæsare consultandæ causâ indixerat, quam priusquam stabilisset, in campo Rakos à Vezirio, nomine Zultani Turcarum, magnâ pompâ ac solennitate, inspectante Turcico & Hungarico exercitu, Coronam antiquam Serviæ, aut Bosniæ, & secundum plerorumque opinionem, Græciæ accepit, cum pluribus aliis donis, nomine Regis Hungariæ insuper addito. Callidum certè institutum Tyranni Turcarum, quo non solùm genuinæ nostræ Coronæ illusit, sed ex specioso patrocinii prætextu, jus Majestatis Regni indignè attentatum, suum beneficium esse voluit. Constat displicuisse plerisque prudentioribus, hanc profanam, adulterinam, ne dicam iniquam Coronationis solennitatem, judicantibus rectè secundum Bodinum: Qui alterius beneficio fruitur, Majestatem illum non habere, & præsertim abhorruit ab eo Hieshazius, qui commune illud proverbium sæpè repetivit: *Dona hostium esse simulata ac perniciosa.* Et rectè metuebantur à Trojanis Danai, etiam dona ferentes.

*Comitia Carpona celebrata an. 1605.*
*Boczkay à Turca Coronâ accipit.*
*Factum Boczkay displicet Hungaris. Dona Turcarum simulata.*

Cœte-

Cœterùm Boczkay Carponæ ex voluntate Statuum convocatorum, novas leges pacis; aut postulationis Cæsari proponendas conscripsit, quibus si Cæsar subscriberet, ipse continuò regnum traderet: Status autem, & Ordines Regni, pristinam ei fidem præstituri essent.

Hujus pacificationis studium, Turcarum Tyrannus ægerrimè tulit, & tantum non aureos montes pollicendo, Boczkaium missis legatis, & donis pretiosissimis ab eo avertere conatus est. Cumque tàm citò pax confici non posset, & Turca partim muneribus, partim fradulentis artibus Transylvanos & Valachos à fide, & obsequio Boczkay, quàm Cæsaris induciis illuderet, Strigonium (a) summis viribus oppugnatum ad deditionem coëgit. Quæ hostium victoria, qua non fiducia tantum, verum etiam res ipsorum auctæ, magnum animorum Cæsari, & Hugaris mœrorem, ac dolorem incussit, serò deplorantibus etiam Hungaris, infidam Turcarum societatem. Fato autem quodam reservatus huic pacificationi Stephanus Ilieshází, qui magnâ prudentiâ rem pacis moderabatur, & fœliciter absolvit. Atque ubi primùm, cum adjuncto sibi Petro Mladosovith, ad initium anni Millesimi sexcentesimi sexti Viennam venit, (b) pactis induciis summo studio ac labore nitebatur, ut articuli conclusionum in Civitate Carponâ sub Boczkaiano conventu editarum discuterentur, & ab Archiduce *Matthia* Cæsaris fiduciario acceptatæ, per Cæsarem confirmarentur. Quare à parte Archiducis mox viri graves utriusque ordinis Consiliarii Cæsaris adhibiti sunt Comes Paulus Sixtus Trautzon, Sigefridus Prayner, Georgius Thurzo, Sigismundus Forgach, Ulricus à Kerenberk, Franciscus Forgach Cardinalis Strigoniensis, Bernardus Leo Gal, Joannes Eusebius Khuen; Petrus Revay, Joannes Lippay, & per quatuor septimanas tàm diu disputatum, donec articuli ad utriusque partis mentem & consensum reducti esse viderentur. Maximè post religionis negotium, illud fuit acerrimè eventilatum, quo pacto antiqua Regni facies in pristinum reduci posset statum, cum appendice personæ Boczkay, quibus terminis principatus ejus contineri deberet, & satisfactione quoque ipsius Ilieshází. Quibus in rebus cum nonnihil conclusum fuisset, rediit Cassoviam Ilieshází, ubi ab ordinibus à Boczkaio convocatis, ea quæ recisa, & correcta Viennæ erant, novâ consiliorum trutinâ examinata, & quæ ab eorum mente, & sensu distare visa sunt, apertiore sententiâ explicata, dubiis & ambiguis sublatis, & siquidem adhuc nonnullæ difficultates restare videbantur, eundem Ilieshází-um denuò Viennam ad Archiducem remittunt adjuncto ipsi Thomâ Vizkelety, Andrea Ostrosith de Giletincz, & Paulo Aponi de Nagy Apony. Redintegrata itaque est tractatio, & ad illam in parte Cæsaris constituti Paulus Sixtus Trautzonius, Carolus à Lichtenstein, Ernestus à Molart, Sigefridus Christophorus Prainer, Thomas Erdeödi, Georgius Thurzo, Sigismundus Forgach, & Ulricus à Kenlerk, cujus capita & conclusiones, quia typis excusa publici juris sunt, hic repetere inanis operæ studium visum est. Promissæ fuerant tùm Assecuratoriæ ad robur dictarum conclusionum à Regno Bohemiæ, Marchionatu Moraviæ, Ducatu utriusque Silesiæ, superiori & inferiori Lusatiâ, item à superiori & inferiori Austriâ. Verùm neque his Boczkay, & ipsi adhærentes contenti, tertiam eidem Ilieshazio imposuërunt legationem, cum Francisco Magoczy, Georgio Drugeth de Homonnâ, Stanislao Thurzo, Andrea Ostrosith, Thoma Vizkeleti, Paulo Aponi, Sebastiano Teokeoly, Georgio Hoffman, & Petro Mladosovith absolvendam, qua singulariter petitum est, ut quæ obscuriora tractationis prioris fuissent, clariori explanatione, ac formâ verborum juribus Regni magis accommodatâ elucidarentur, quæ ut eo firmior conclusio fuisset, vicinæ quoque Provinciæ Diplomata dederunt, quod Cæsar omnibus satisfacturus esset, & Regni Hungariæ libertatibus deinceps authoritate suâ, ultrò suffragaturus. Exprobravit porrò Archidux *Matthias* Hungaris Legatis, quod ipsi Hungari, neque suarum Majestatum neque plenipotentiæ Ilieshazio datæ respectum haberent, & æstimationem, quoque unâ manu ædificarent, alterâ destruerent; Itaque sibi non esse integrum aliquid addere, vel detrahere, ex tractatu priori, Cæsareo chyrographo, & sigillo roborato, & apud imperii vicinorumque Regnorum, & Provinciarum Proceres divulgato, qui etiam hoc pacto non confirmaretur, à vicinis Provinciis datis reversalibus, siquidem eâ lege assenserant, & obtulerant fideijussionem pro Cæsare, si nihil de tractatu diminutum fuerit, vel aliquid ei annexum.

*Turca pacificatio Boczkay displicet.*

*(a) Strigonium per Turcam occupatur.*

*Stephanus Ilieshází Pacificator, antehac exul. 1606.*

*(b) Ilieshází pacis negotium Viennæ agit mense Februario.*

*Viennam denuò proficiscitur Mense Junio.*

*Ilieshází tertio cum certis Magnatibus Viennam venit mense Sept.*

De his ubi ultrò citròque diu disputatũ fuisset, intellecto eo Archidux, quod Hungari prę-cipuè circa religionis articulũ (qui fuit primus) hærerent, assecuravit peculiari diplomate paragraphum in verbis: absq; tamen præjudicio Catholicæ Romanæ religionis, & ut Clerus tẽpla, & Ecclesiæ Romanorum catholicorum intacta, & libera permaneant; non malâ fide adjectũ esse, sed ut utraque pars in eorum religione, confessione, usu, exercitio, & templis non turbaretur. Ad extremùm ultima inter Archiducem *Matthiam* & Hungaros utraque parte recon-

*Assecuratio Matthiæ super negotio religionis.*

*Pax cum Turca ineunda concluditur.*

ciliatos ratione pacis Turcicæ accessit conclusio. Primum quidem, quod *Matthias* Legatos suos tàm Germanos quàm Hungaros transmissurus esset, qui de pace factâ Turcis significarent. Secundò ut Hieshàzy cum suis identidem significaret, & bonis persuasionibus eò Turcas induceret, quo æquis conditionibus subscriberent. Tertiò quod si Turcæ conditionibus æquis, acquiescere nollent, & jus aliquod in Regnum, aut Regnicolas protectionis, aut cujusvis alterius prætenderent, quod Hungari conclusioni tractatus inter Archiducem & Beczkaianos initi, omnimodè se accommodabunt. Hæc ubi ita communis deduxisset consensus, subscripta jam, & sigillis roborata, Assecuratoriæ quoque seu Diplomata nominatorum Regnorum, & Provinciarum expedita fuissent, re benè confectâ, Legati contenti valedicentes, tali ad Archiducem oratione usi fuêre.

*Oratio Hungarorum ad Matthiam post pacificationē Viennensē, die 25. Sep. an. 1606. Matthiæ merita in Hungariā recensetur.*

*Inter omnes Principum dotes, Domine Clementissime, illa vel maximè utilis, ac laudabilis est, quæ in componendis publicis motibus, & dissidentium animis reconciliandis versatur. Nam & si laudabile est, quietam & tranquillam Rempublicam fœliciter administrare, tamen laudabilius est tumultuantem, ac variis dissidiis laceratam, conquassatamque ab interitu vindicare, & conservare. In utroque hoc gubernaculi genere, quæ & quanta Serenitas Vestra præstiterit, non est opus hic pluribus recensere; Nota enim sunt omnibus.*

*Nam inde à Principio ex quo rerum Hungariæ curam suscepit, nihil charius, nihil antiquiùs habuit, quàm ut publicis Regni Hungariæ utilitatibus, & permansioni consuleret. Qua ratione effectum erat, ut Serenitate Vestrâ gubernante, non infœlix Hungariæ status esse videretur, nisi aliquorum, & imprimis Præfectorum externorum insolentiam res Hungariæ turbatæ fuissent, cum insigni Hungarorum injuriâ.*

*Sunt hæc Serenitatis Vestræ beneficia sat magna, sed longè majora sunt illa, quæ in perniciosis istis dissidiis componendis reconciliandisque discordibus animis præstita fuerunt. Exarserat nimium hoc incendium, aliorum ut dictum est conflatum injuriâ, sed ne latius vel in propria Hungariæ viscera, vel in vicinas regiones cum multorum pernicie serperet, Serenitatis Vestræ industria itum est obviam. Ingens hoc malum quod tantas strages, tot cædes, & tantas vastitates ediderat, tua Matthia Princeps benignissime solertiâ compressum est, quod non bello non armis subitò vinci posse videbatur, tua ope & opera victum est. Detersæ igitur sunt multorum pacem cum suspiriis appetentium oculis lachrymæ, compedes objecti, & ferrum à cervicibus ademptum. Quis hæc præstantia Principis merita condignis celebrare poterit laudibus? Hunc communem liberatorem, hunc conservatorem, hunc patrem patriæ ætas hæc nostra futuraque posteritas prædicabit meritò? Grata imprimis est, S. V. tàm salutaris opera ipsi Deo misericordissimo, qui pacificatores beatos esse prædicat.*

*Is mentem hanc Serenitati Vestræ suggessit, is vires ad tàm ardua perficienda, subministravit. Hæ nimirum sunt cœlestes illæ suppetiæ, hoc divinum auxilium, quod Christiani populi in omnibus templis, & ad omnes aras cœlitus mitti Dum supplices orabant. Grata est toti Christianitati, cujus quieti, unione hac optimè consuluit. Remunerator erit horum omnium beneficiorum Deus largissimus. Neque verò in Principe nostro Boczkay publicæ salutis Christianorum & pacis studium unquam defuit. Nam ut cætera taceamus, quæ aliquando ob contestandum syncerum suum erga inclytam domum Austriacam, & erga Rempublicam Christianam amorem planè pio ac Christiano animo laudabiliter præstitit, in præsenti quoque conditione sua, nihil prius antiquiusvè habuit, quàm depositis armis, quàm citissimè cum S. C. Majestate in gratiam redire.*

*In eum itaque finem non modo crebris literis & nunciis, sed per solennes etiam legationes, jam tertiò missas, pacis negotium ursit, interim vim hostilem inhibuit, copias satis numerosas, quas secum præterito autumno Carponam versus adduxerat, nullo cuiquam illato damno pacatas reduxit. Haidones feroces, in his confiniis tùm existentes, ne vicinis Provinciis nocerent submovit, ac in interiora Hungariæ transtulit.*

*Turcarum copiæ auxiliares Boczkayo.*

*Stabant in promptu satis numerosæ Turcarum, & Tartarorum copiæ, ipsius jussui, à Turcarum Imperatore subjectæ, ac ad depopulandas Christianas viciniores provincias destinatæ. Identidem hæc excurrendi in vicinos fines, populandique potestatem ab eo sibi dari postulabant, ne militiæ dediti, iners ocium agerent, nunquam hoc illis à Christiano Principe permissum est, quin multis & verbis, & pollicitis ægrè ut se continerent, persuasi sunt. Neque hoc nudis tantum verbis effici potuit, sed largitionibus multis apud Bassas & Duces cum grandi Principis impensâ efficiendum erat. Ex his igitur satis clare patet, salutis Christianorum, & almæ pacis eum semper fuisse studiosum. Quod verò res tàm diu tracta est, id non ipsius aut reliquorum Hungarorum culpâ contigit. Hi enim syncere & integrâ fide tractarunt, sed lente admodum processum est, lente injustas postulationes condescensū. Cæterū ne vel taciturnitas Legatis, vel negligentia apud populares suos aliquādo fraudi esset, voluimus demisse ea, quæ proximo scripto per nos proposita fuerūt, denuo repetere. Ex petitionibus enim tūS. V. propositis aliquas clarius explicari, aliquas denuò cōcedi, per nos postulabatur. In copiâ quoq;*

Diplo-

*Diplomatis Cæsarei, pro assecuratione Hungarorum edendi nuper Cassoviam per Ilieshazium allata, & Principi exhibita verborum aliqua acrimonia deprehensa est, quæ similiter ut Hungarico nomini, & famæ apud posteros consuleretur mitigari petebantur. Etsi verò persuaserant sibi Legati, quod super his quoque, cum eorum potissimum causa huc missi sint, finalem & gratam resolutionem suis reportaturi essent, tamem cum S. V. benignè visum fuerit ut explicata una primi articuli appendice, reliqua omnia indecisa ad futuram Diætam rejicerentur, tùm revidenda, atque complananda, ei benignæ S. V. Voluntati acquiescendum fuit. Orant tamen S. V. denuò Legati; ita S. V. illa resolvere promovereque dignetur, ut vel ex eo Hungari, qua erga eos sit affectione agnoscere possint. Cum igitur negotiis his gratia Dei peractis, discedendi tempus instet, serenitatem vestram Divinæ protectioni commendamus, æternum Deum ardentibus votis precantes, ut & ea quæ acta, tractataque sunt, perpetua ac firma esse velit, & Serenitatem Vestram diutissimè salvam atque incolumem servare dignetur.*

Sic pace initâ, Ilieshazy laudatur præcipuè, in quo tantum fuisset momenti, ut excitati Regni, & rursus compositi autor esset. Ideò summis eum posthac oneravit honoribus, & bonis arcium ac possessionum amplissimis. Mox Boczkay Statibus & ordinibus Conventum Cassoviam dicto decimâ tertiâ Decembris die promulgat, in quo capita, & articulos pacificationis cum iisdem communicat, & diplomatis Cæsarei copiam facit, quod ipsi duro vocabulorum quorundam sensu, Gratiæ potissimum & Rebellionis acceptare se nequaquam posse, nec illo quoquam tempore uti velle protestantes significarunt. Ipsos rebelles Regi suo non extitisse, nec pro obtinendâ Gratiâ supplicasse. Verùm penes antiquam duntaxat ipsorum libertatem, pro ejus restitutione multis ante annis supplicando laborasse, nec tamen id bonis & placidis modis obtinere potuisse, nolentes volentes insurgere, legibusque & constitutionibus Regni hoc permittentibus resistere, & contradicere coactos fuisse. Eam itaque conditionem obsequii & officii sui offerre, si libertatis Regni restitutio impenderetur. Statutum itaque fuit, ut omisso & restituto diplomate, in proximè futurâ Diætâ, ad tollendas obtrectationum occasiones, rationes quæsitis in armis subsidii in seriem publicorum articulorum insererentur: reliqua vero de mutandis, corrigendis augendis articulis, itidem ad futuram diætam relicta. Cœterum Archidux ex voluntate Cæsaris, Sigismundum Forgácz, & Andream Doczy ad superiores Regni partes delegavit Commissarios, qui Cassoivâ, aliisque finitimis arcibus, ex manibus Boczkay receptis, tàm loca ipsa jurisdictioni Cæsaris restituerent, quàm ipsorum quoque præsidiarios, ad fidem Cæsaris jusjurandi sacramento obstringerent.

*Regnum ex manibus Boczkay recipitur. 1606.*

*Sigismundus Forgacz, & Andreas Doczy in superioribus partibus Commissarii 1607.*

(*a*) Similiter Petrum de Reva in partes Cis-Danubianas, ubi remoto Ducum, & Capitaneorum Boczkaianorum Magistratu, Generalem partium illarum Sigefridum (*b*) à Kolonicz, adjuncto ipsi Vicario Benedicto Pograni introduxit, præsidiumque Uyvariense, cum aliis adjacentibus pertinentiis in fidem, & potestatem Cæsaris redegit, Quod & aliis locis à Bochkaio interceptis, exacto fidei sacramento institutum.

*(a) Petrus de Reva in partibus cis-Danubianis Commissarius.*
*(b) Sigefridus à Kolonicz Generalis Capitaneus.*

Quàm verò deplorandus & afflictus fuerit his temporibus regni status, (*c*) quanta in Civibus ipsius animorum alienatio, odia, inimicitiæ, non inter extraneos tantum, sed etiam inter domesticos unius familiæ, & sanguinis homines, qui sibi invicem hostiliter repugnabant, vitæ, & fortunis insidias struebant, occupabant, easque in prædam direptas cum barbaris partiti sunt, impossibile est vel prolixâ oratione persequi. Quid enim ad crudelitatem (*d*) deesse potuit iis, qui consuetudine & societate cum capitalibus hostibus habitâ, non clementiori animo tractabant patricios suos, & meritissimam patriam, quàm illi qui in perditionem capitum nostrorum conjurarunt? Vidisses, & non sine lachrymis vidisses detestandam Christianorum cum Turcis Tartaris, communionem; vidisses vexilla signis fidei, & gentis disparibus præferri, hic Crucifixum Christianorum, ibi Turcica, & Tartarica insignia, ex quibus licet re, nomine, & professione diversis, una eademque acies disponebatur, contra quos prius, hic cum illis pugnabatur, audivisses in eodem exercitu dispares tesseras haberi; ab hac parte JESUM, ab illa ALLA, & *Mahometem* inclamari, doluisses sacra, humanaque summa confusione misceri, ædes Divinas prophanari, rapinas patrari, vasa sacra in conviviis instrumenta ebrietatis & luxuriæ haberi, in quibus Turca & Christianus easdem communes libabant, dapes & pocula, vidisses in Moraviam, Austriam excursiones, in quibus virgines, honestæ matronæ irreverenter tractatæ, violatæ, prostitutæ, infantes à complexu matrum avulsi, mariti à convictu uxorum, fratrem frater, filius patrem, pater filium, matrem filia, amicus amicum deplorabat, qui partim cœdibus perierunt, partim in miseram integris agminibus trahebantur captivitatem: & non trahebantur solùm, sed & per domesticos tradebantur. Reperti enim sunt tales prophani, qui Christianos homines Turcis, & Tartaris vendebant; quod quàm graviter sibi displi-

*(c) Regni status sub motu Boczkaiano.*
*(d) Societas cum Turcis Tartaris.*

*Misera populi conditio, & captivitas. Christiani Turcis venduntur.*

*Prodigium invenditi one hominis Christiani Turcis.*

displiceret, Deus horrendo prodigio ostendit, dum contigit ut pecunia, quæ in pretio Christiani sanguinis data fuisset, in sanguinem converteretur. Civitates, villæ, oppida, incensa, nullius domus, nullius œconomia maximis damnis non fuit deformata: Ad extremum nec his immanitas infidorum sociorum contenta, Strigonium nobis, ut dictum est, eripuit eo testimonio, ut cognoscant omnes plusuè debeant ex barbarorum auxilio, & bellis intestinis sperare commodi, quàm dolere perditionis, & incommodi. Sed & ipsum Ersek Vyvár præsidium à Turcis, & Hungaris obsessum, graviter periclitabatur, nisi Stephanus Ilieshází, & Valentinus Drugeth, vigilantiâ, & industriâ suâ post opem Dei Opt. Max. illud conservassent.

*Turca quomodo amplificat imperium suum. Amurathis callidum dictũ.*

Redierat enim hoc tempore Turcis solenne illud rerum per majora incrementa parandarum artificium, quod malè (proh dolor) in diffidiis Christianorum fundatum, res domi tumultuantis Europæ miserè affecit, & penè confecit.

*(a) Auxilia Turcica qualia sũt: quis eorum usus.*

Sic enim Amurathes bellicam suam administrationem fœlicem fore dicebat: *Si, inquiens, singulis occasionibus, ne aufugiant, diligenter intentus fuero.* Proinde digladiantibus mutuis vulneribus Christianis, aut dispersam (*a*) virtutem facilitate maximâ labefactat, aut in societatem adscitus, dum pro alieno jure laborat, jam cum armis, & ipso ingressu, jus suum in regiones nostras transtulit. Istæ sunt illæ Mercenariæ copiæ, quæ hæreditates, & proprietates terrarum stipendiis suis adscribunt. Iste patronus, qui parvo beneficio maximum lucrum exigit, quomodo enim natus hostis nos promovebit fideliter, quomodo stabiliet virtutem Regni illius, cujus possessionem nobis invidet? Callidum certè nocenti compendium, quod solum impunè ipsi perpetrare licet, dum enim pro integritate soli nostri militat, desolationibus, rapinis, squallebunt omnia, ut ipsam perditionem in pulchritudine soli grassari videas, ad veritatem dicterii illius. *Herba quam semel ungulæ equorum Turcicorum tetigêre, nunquam postea reflorescit.*

*Proverbiũ de equis Turcicis.*

Turcicæ hujus Tragœdiæ exemplum exhibet nobis Constantinopolis, urbs magnificentissima, imò tota Græcia, Imperium olim florentissimum, cujus res ancipiti fortunâ agitabantur, enatis discordiis propter Bizantii Regnum, inter avum & nepotem Andronici. Unde factum (*b*) ut divisis studiis planissimè res eorum interierint. Ubi enim Bosna, quam Mahometes dum Hungari cum Austriacis ob Ladislaum bellum gesserunt ingressus est? vastata est Istria, Carnia, Carinthia, Styria, Valeria, dum Matthias æmulos virtutis suæ, ad societatem belli contra Turcas gerendi, adducere non potest. Perditum Belgradum Ludovico Rege Juvene existente, & Hungaris de Regni administratione discordantibus. Amissa Buda, cum innumeris damnis acceptis Joannis primi, & secundi tempore, & superioribus abhinc annis, si quæ discordia civilis exorta est, nil nisi lugubres desiit in Tragœdias, quas, & illas quæ seculo nostro contigerunt, horrescit animus referre, nec pro magnitudine damnorum potest. Quis enim innumeras cœdes, captivitates, comprehendat? quæ ad domestica vulnera, & calamitates Turca in rem suam intentus adjecit, nostris bellis suam pacem, nostrâ jacturâ suum commodum amplificavit, & stabilivit, ut probatissimum sit, nunquam Otthomanicum imperium majores progressus fecisse, quàm diffidentibus Christianis, neque tantos animos adversus populum Dei sumeret, nisi hic disparitate animorum visâ, animaretur.

*(b) Hungariæ res discordia domestica à Turcis accisa.*

*Turca diffidiis Christianorum audax, & locuples.*

Hæc est illa infidelis societas, hoc patrocinium, ex quo plus ille qui prodesse videtur capit commodi, quam qui juvari & defendi creditur. At proh! quam ad tot exempla, damna, & pericula securi sumus, quasi ab ingenio suo Turca discesserit, nec desistimus vasallos ipsius agere, dum diffidiis mutuis, quæstum & lucrum maximum ipsi conquirimus. Utinam jam tandem saperet Christianitas, & post Deum in concordiæ studio præsidium suum adversus naturalem hostem collocaret; facilius profectò potens illa bestia ad ruinam inclinaret, & unitâ virtute conficeretur. *Nihil enim ubique terrarum & tutius armisque omnibus firmius, in vita humana inveniri potest, quàm concordia.* Sed ad digressionem.

*Concordia contra Turcam fortis munitio.*

*Conclusio pacis cum Turcarum Imperatore.*

Posthæc præmissis variis ab utraque parte consiliis, tandem pax cum Turca facta est, præstito utrinque juramento, obsidibusque in confirmationem utrique parti traditis. Leges pacis Turcicæ sequentibus articulis continentur. Principio sub adventu utriusque partis legatorum nonnisi patris, & filii appellationibus utantur, ita ut Sultanus quidem Cæsarem in patris, Cæsar verò noster Sultanum in filii loco habeat. In literis autem utrique, Imperatoris, non Regis titulus tribuatur. Id uterque Imperator sedulò agat, ut Hungaria, & Provinciæ ad Austriam pertinentes in pace conserventur. Quod si Hispaniæ Regi placeat, se quoque in hac pace comprehendi, neutra pars repugnet.

Tartari verò & nationes aliæ in hac tractatione comprehendantur. Ab excursionibus, & depopulationibus utraq; pars abstineat, relictâ cuilibet potestate, piratas, & prædones comprehendendi, seque invicem de acceptis damnis admonendi, ut delinquentes punirentur & damnorum compensatio fieret, Arces nullâ ratione expugnarentur; Nec homines, aut pecudes abigerentur. Boczkay omnia illa teneret, quæ nuper in tractatu Viennensi ei attributa essent. Captivi dimitterentur. Contentiones cis vel ultra Danubium exortæ, à Præfecto Jauriensi,

Bassa

Bassa Budensi, Sclavoniæ Præside, aliarumque Provinciarum gubernatoribus componi deberent, res majoris momenti ab utroque Imperatore. Propugnacula, & Castella diruta reparare utrique cautum haberent, Amurathes Zerdar Bassa Oratores cum muneribus ad Archiducem, *Matthiam* mitteret: Imperator verò noster ducentorum millium florenorum munus Constanstinopolim quamprimùm deferendum destinaret: Sultanus similiter legationem cum pretiosissimis muneribus Pragam expediret. Pax hæc ad viginti annos, initio à 1607. facto constituta, ita tamen ut singulis tribus annis, Legati cum muneribus utriusque partis, ad invicem mitterentur. In ea autem pace Cæsarei hæredes, & successores omnes confœderatæque Provinciæ includerentur.

Strigonio Turcis relicto, Vacium Christiani retinerent. Pace in has leges confectâ, magnæ Deo gratiæ actæ, qui duos illos Monarchas, gravissimo bello aliquot annis se prementes ad pacem salutarem & concordiam redegit, & optatam longè Christianis quietem concessit. Ingens passim lætitia non solùm apud Christianos, sed & Turcas crebrâ tormentorum displosione perceptum inde gaudium prodidit, & Sultanus factus certior Constantinopoli de pace cum Christianis facta, magnam inde concipiens animo lætitiam, cum ingenti Janizerorum aliorumque multitudine templum ingressus, Mahometi suo solennes gratias egit, sequentemque diem magnâ cum festivitate traduxit. *Turcarum Imperator de pace cũ Rudolpho gratulatur*

Verùm Bockaius qui ante aliquot menses, à Cancellario suo Michaële Katay, veneno corruptus fuerat, vix aliquot septimanarum spatio hac salutari pace perfrui poterat. Dum enim in Transylvaniam, ac in suos terminos se recipere Cassoviâ laboraret, jamque Cassoviam cum cœterâ illâ regione Cæsari resignare satagit, insperato humanis excessit rebus. *Bockay per Katayum veneno sublatus.*

In Transylvaniâ (ut illud de statu illius attingatur) post Zapoliorum decessum, genus Bathoreorum de Somlyo Principatum obtinuit. Consenserat quodammodo *Maximilianus* Cæsar, in electionem Stephani (*a*) Bathory, quem sociũ fidelem, quàm hostem apertum habere, maluit. Illo ad Poloniæ (*b*) fastigiũ sublato, Christophorus Batthori, (*c*) nec modico tẽporis intervallo, Provinciam quietè, non absque barbarorum metu tenuit, quo mortuo Sigismundus (*d*) Batthori gubernacula suscipit. Qui dum belli à *Rudolpho* contra Turcas gesti fœlicia principia videret, atque ad gloriam simili virtute parandam à naturæ generositate incitaretur, nihil antiquius duxit, ut & supra dictum est, quàm ut jugo Turcarum (*e*) deposito, in societatem belli Christiani adscitus, arma contra Turcam cum Cæsare caperet, præsertim cum Valachia Cæsari Diploma per nuntium transmisisset, quod ubi primum se occasio offerret, confestim fidele auxilium præstare, seque Cæsari subjicere vellet. Quia verò præcipuos Provinciæ suæ Proceres, (*f*) imò & populares, non paucos huic fœderi admodùm adversari cognoverat, ac quod majus erat, si Turcico jugo valedicere ret non tantum à subditis, sed etiam ab ipsis patruelibus & sanguine junctis, vel in potestatem Turcarum Imperatoris se traditum iri, vel certè mortem subeundam esse persuasum habebat, consilium à fugâ cœperat, & procul dubio in exilium abiturus (*g*) nisi ope & auxilio avunculi Stephani Boczkay, & quorundam aliorum animatus, è medio ferè itinere revocatus esset. Ideo quibusdam magni nominis viris supplicio affectis, interfecto quoque Balthasare (*h*) Battoreo fratruele, non solùm fœdus, & belli societatem, contra Turcas cum Imperatore *Rudolpho* per consanguineum Boczkayum fecit, sed comparato exercitu Sinanum (*i*) qui cum ingentibus copiis trajecto Danubio Provincias illas in ordinem & obsequium Turcarum redigere satagebat, fudit, fugavitque, tantâ virtute, ac fœlicitate, ut cum paucis profugus Sinanus, ac sexaginta millibus amissis, vix ipse salvus evaserit. Post hanc victoriam Sigismundo Batthori datus est titulus (*k*) Principis Romani Imperii, filia Archiducis Caroli Maria Christierna promissa in uxorem: oblatum aureum vellus: data absoluta potestas in Provinciam Transylvaniam, (*l*) commutato Vayvodæ titulo, in Principatum ejusdem Provinciæ, eâ conditione, ut si masculâ prole defecerit, ipsa provincia in Regem Hungariæ devolveretur. *Familia Bathoreorum Trãsylvaniam gubernat.* (*a*) *Stephanus Bathori Princeps Transylvaniæ.* (*b*) *Item Rex Poloniæ.* (*c*) *Christophorus Battory Principatum Transylvaniæ obtinet.* (*d*) *Sigismundus Battory successit.* (*e*) *Ejus cum Rudolpho societas.* (*f*) *Et periculum ob fœdus cum Rudolpho factum.* (*g*) *Sigismundus Batthori à fuga revocatur.* (*h*) *Balthasarem Batthori interficit.* (*i*) *Sinanũ profligat.* (*k*) *Principio imperii titulo honestatur.*

(*m*) Pari deinde fœlicitate Batthori usus, ac Provinciâ Maldaviâ, & utrâque Valachiâ animo concordi, viribusque firmatis, variis vicibus præclara de hoste trophæa consequitur, ac non parvi momenti loca, & præsidia penes Temesvarum Turcico detractæ sunt imperio. Temesvarum obsederat quoque nisi Tartarorum quos ad internecionem ceciderat adventu, obsidionem inauspicatò abrumpere debuisset. Quæ Transylvani audacia, & magnanimitas, veluti sudes in oculis Sultano fuit, partimque Turcicis artibus, & fraudibus, partim ingentibus promissis eum à proposito præclaro juvandæ Christianitatis abducere conabatur, sed frustrá, egregiè Principe erga Christianos affecto, & belli gloriâ ex rebus fœliciter gestis pulcherrimè animato. (*n*) Tandem verò Transylvanus Princeps, nescio quibus rationibus motus, privatam potiùs vitam imperio deposito elegit, resignatâ *Rudolpho* Transylvaniâ, Valachiâ, & Mol-



(*l*) *Vayvodæ Transylvanorum titulus in Principatum commutatus.* (*m*) *Sigismundi Bathori contra Turcam progressus.* (*n*) *Item ut resignaverit Transylvaniam Rudolpho.*

*Opuliensē Ducatum acceperit.*

daviâ, atque illarum loco, Opuliensem Ducatum in Silesiâ obtinuit. Et licet Provinciales, & Michaël Vayvoda Valachiæ, Batthoreū eò adducere conabantur, ut mutatâ sententiâ consultū duceret in patriâ permanere, atque sicuti præclaris auspiciis fruebatur Christianam Rempub. tueri, nihil tamen efficiunt, sed adventum Legatorum Stephani Zuhai, Nicolai Istvanffy Propalatini Regni Hungariæ, qui provinciales in fidem Imperatoris adegerunt, sacramentoque obstrinxerunt, relictâ uxore ac Provinciâ, ad partes Silesiæ contendit.

*Batthoreus in Transylvaniam revertitur.*

In Transylvaniâ utinam diuturnæ fœlicitatis usura, sub fœlix Rudolphi imperium commigravit, sed commigravit tantum brevi postliminiò reditura. Vix enim *Rudolphus* ad stabiliendum imperium Transylvaniæ consilia expedire potuit, destinato Gubernatore *Maximiliano* Archiduce, dum Batthoreus datis ad Cæsarem literis, quibus sibi conditiones & pacta non fuisse servata significat, & conqueritur, nullo ulteriori responso expectato, & paucissimis animo patefacto, omisso Ducatu Silesiæ, imprimis in Poloniam, inde duobus comitibus per loca devia, mutato habitu ne cognosceretur, in Transylvaniam venit, ac receptam in potestatem Provinciam vel Marte arbitro, & judice defendere conatur. Et quamvis Legatos ad Cæsarem, qui causam dicerent fidei non servatæ, & simul futuræ probitatis, & constantiæ certam spem, offerrent, deinde reconciliato Cæsare, loco Transylvaniæ plura bona non in Silesiâ tantum, sed & Bohemia impetrarent, misisset tamen interea domi uxorem quàm antea receperat, repudiat, & non expectato Oratorum suorum reditu, Cardinalem Andream Batthoreum patruum ex Poloniâ in Transylvaniam opinione citiùs advocat, remque celerrimè ita instituit, ut præter omnium expectationem, clavum & regimen provinciæ sibi assignet, sacramentis à provincialibus exactis.

*Mariam Christiernam repudiat.*

*Transylvaniam assignante Andreâ Bathori Cardinale recipit.*

*a) Michael Vayvoda à Bathoreis periclitatur.*

Perturbatis igitur iterum hoc pacto rebus Transylvanicis, (*a*) Michael Vayvoda Valachiæ Transalpinæ, vir fortissimus, non parum de se suâque provinciâ sollicitus, quod novum Transalpinæ Vayvodam à Sultano jam confirmatum esse diceretur, seque in medio duorum hostium esse videretur, orat Cæsarem *Rudolphum*, ut perfidiam Bathoreorum puniat, aut sibi tanti facinoris pœnitentiæ, aut vindictæ causam locumque concedat.

*Andreas Bathori Cardinalis Dominum Valachiæ fecerit.*

*Michael à Cæsare auxilia impetrat.*

Namque nihil certius esset, quàm quod occasione novi Vayvodæ Clientis Turcarum, Sultanus ipsam Transalpinam Regionem cum copiis aggressurus esset, & subjugaturus facili negotio, si Transylvania ipsa hosti Sultano magis favens, & addicta magis, quàm Cæsari, ipsum auxilio destitueret. Interea Andreas Cardinalis maximâ usus callidate se Dominum provinciæ gerebat, & magnâ sui fiduciâ gratiam Sultani Turcarumque favorem aucupabatur, dum Michaël Vayvoda gravissimo se Cæsari juramento obstrinxerat, quod omni occasione etiam cum vitæ discrimine, donec viveret, partes Cæsaris sequi, ac profusione sanguinis tueri vellet. Tanto tutius Cæsar Vayodæ pecuniâ & armis suppeditatis, vindicandæ ambitionis Bathoreorum, potestatem commisit. Igitur Michaël pro voluntate & mandato Cæsaris, primo quoque tempore aditum Transylvaniæ tentaret, & Marte arbitro fortunam experiri proponit. Et licet antea Sultano obsequium & fidem simulaverat, & accepto ab eo vexillo, sibi in signum obedientiæ, ac subjectionis misso, pacem, & quietem offenderat, Cardinali etiam idem pollicitus fuerat, tamen quod Cardinalem fautorem Turcarum atque cum barbaris fœdera jungentem, religione, & authoritate Cæsaris posthabitâ videret: fide ipsius neglectâ, sine morâ in Transylvaniam ingressus, Siculos & Civitatem Brassoviam subegit, ac captato loco, & tempore, cum Transylvanis, ac Cardinalis acie congressus est, præmissâ prius protestatione, coactè se prælium inire, quod Transylvani suo Regi, ac Principi, fide violatâ ad obsequium nisi vi, & armis reduci non possunt. Ubi intra paucissimas horas, Transylvani non sine magnâ clade, à Valacho in fugam conjecti, ad internecionem funduntur. Cardinalis Musis quam Marti, & armis proprior, dum adhuc dubio Marte pugnatum esset, se in fugam proripuit, ac in fugâ per rusticos in montibus offensus, in capite læsus, ac truncatus fuit, justo temeritatis ac inconsideratæ ambitionis argumento, cœsis, etiam ipsi adhærentibus. Et sic Transylvania, nunc iterum industriâ, ac virtute Michaelis Vayvodæ in potestatem Cæsaris, Regis nempè Hungariæ asserta est. Pro hac fidelitate & industriâ, Michaël Transylvaniam sibi, & filio dari jure hæreditario postulat, ut & Varadinum, Huszth, Nagybanyam, & exteras Hungariæ partes. Secundò ut omnia bona, & dignitates Sigismundo Bathori à Cæsare concessæ sibi attribuerentur. Tertiò, liberatio in casu captivitatis sibi promitteretur: & pulso è Transylvania centum milleni aurei sibi numerentur.

*Michael Siculos & Civitatem Brassoviâ subigit.*

*Transylvanos profligat.*

*Cardinalis fugiens truncatur.*

*Transylvania ad Cæsarem redit virtute Michaelis.*

Quod si Cæsar admitteret, omnem Regionem à Mari Caspio, Budam Albam Regalem & Zolnock usq; Cæsaris imperio subjecturum. Fuit verò suspectus societate Turcicâ. Interim Sigismundus Batthory, exercitum è Moldavis, Polonis, Turcis, Scythis confecit, cui Michael in Moldaviam obviam procedit, cum quinquaginta millibus, magna commeatus inopiâ, adeo ut nonnulli arborum foliis pro cibo uti debuerint. Sigismundus Batthory & Moldavus, Michaelis Valachi viribus territus, Poloniæ fines petit. Valachus victoriâ potitus, Moldaviam omnem sube-

subegit, eique Cæsaris nomine gubernantem filium suum præfecit, ipse in Transylvaniam rediit, quorsum venit Legatus Cæsaris, cum quo collucutus Michael, si nimirum Cæsar fratrum suorum aliquem ad illa loca cum imperio mittere velit, ille quidem cedere paratus esset; sin minùs: Speraret Cæsarem sui rationem habiturum. Jussus ergo Transylvaniâ cedere Valachus, & Georgio Bastæ parere, pertinaciter recusavit. Inde Transylvanos Proceres, partim levibus de causis acerbissimis quæstionibus subjecit, & excarnificavit, ex quo intimi etiam ab ipso deficiebant. Basta hac captatâ occasione exercitũ ex pecuniâ Hungaricâ collegit, & Valachum ad Vizeburgum castra habentem opprimit, in fugamque conjicit. Valachus purgandi sui causâ Vienam veniens, gratiam implorat, Basta verò Transylvaniam occupat, cui se & Valachi submisêre, qui tandem urgentibus Transylvanis, per Georgium Basta profligatus, tertiò Transylvaniam ad Regem Hungariæ devolutam reliquit. Michaël Vayvoda post recessum cum Georgio Basta, diligenter egit, ut à Cæsare in gratiam reciperetur, à Batthoreo pulsus, relictâ uxore, familiâ, liberis, loco obsidis in Transylvaniâ, ad Cæsarem Viennam primò abiit, ubi per Archiducem *Matthiam* Cæsari suam innocentiam, & nonnulla quæ futuro bello necessaria fuerunt, abundè declaravit, atque proposuit.

*Michael per Georgium Basta è Transylvania pellitur.*

Sigismundus in Transylvaniam per nonnullos introductus, prolixioribus ipsum Cæsarem orabat literis, ut in suam gratiam eum reponeret: quod cum obtinere nequivisset: exercitu ex Transylvanis, Moldavis, adjunctis quoque Turcis, & Tartaris conflato, statuit infracto animo belli aleam tentare.

*Sigismundus Transylvaniam repetere contendit.*

Hunc Turcicis auxiliis confisum, Basta, & Michaël Vayvoda licet paucioré militum numero, primo congressu cum omni exercitu in fugam conjiciunt, castra Sigismundi cum Cancellaria in Cæsareanorum prædam cesserunt. (*a*) Sed Michael Vayvoda capite miserabiliter truncatus est; cujus cœdis, judicio multorum, ajunt causam fuisse, quod Bassæ Temesvariensi literas dederit, quibus rerum Transylvaniæ statum, & secreta significavit, quod conceptam de eo suspicionem magno opere confirmavit. Accedit natum ex patratâ crudelitate odium, denique dura à Cæsare postulata, pro testimonio insolentis animi, & majoris audaciæ ducebantur. Excusant plerique factum, scriptas ab eo literas ut hostem arte quadam deciperet, & falleret, aut ad fidem Cæsaris pertraheret; quod homo fortis & acer, formidolosus Turcis, multa præclara molimina contra Turcam in animo habuisset. Ambitione, & æmulatione Bastæ erat quoque factum, quod unâ literarum occasione, irrequisito Cæsare, hominem trucem quidem sed militarem, & qui binâ vice Transylvaniam Cæsari, non sine vitæ periculo restituit, inopinatâ morte afficere præsumpsisset.

*In fugam conjicitur Basta, & Michaelis industria.*

*(a) Michael capite truncatus.*

*Ejus virtus.*

Utquè jam tandem bonâ fide ageretur atque omni diffidentiâ sublatâ imperium *Rudolphi* in Transylvaniâ stabiliretur: Transylvania ad Cæsarem singularem legationem misit; quæ coràm synceræ fidei sacramentum obtulit. Verùm (*b*) dum Legati Pragæ officium faciunt, in iquo fato interim domi Moyses Székel, qui antea ad Polonos, & ad Turcas profugerat, adscitis plerisque sociis, qui partim in Transylvaniâ latitarânt, partim Temesvarum profugerant, inter præcipuos Alberto Magno, Gabriele Betlehem, Francisco Reday, Pecta Bassa Temesvariensium, & Tartarorum manu, loca quædam ad confinia Transylvaniæ posita occupat, tandem etiam ipsam Transylvaniam aggreditur.

*Transylvania ultro se Cæsari submittit.*

*(b) Moyses Szekel Transylvaniam aggreditur*

Georgius Basta diffisus suis viribus, ex Albâ versus Superiorem Hungariam Colosvarinum se recepit, ut è propinquiore loco ex Hungariæ partibus militem numerosiorem conflaret. Interim Moyses Carau Sebesinum deditione capit, Lugas Castellum à Petro Huszar, Albam Juliam (ad cujus oppugnationem Gabriel Betlehem primus castra fixerat) à spinoso deditione accipit. Quibus gestis Basta munitioris loci gratiâ in novum castrum, quod ad Somos fluvium situm est, concessit. Moyses statim ab Albâ capta Vaivodam se Transylvaniæ scribi dicique jussit. Post Colosvarum cum copiis appellit, quo frustra tentato, ad Novum castrum spe intercludendi Bastæ ducit, sed ille deceptis nocte intempestâ custodiis, Colosvarum se recepit. Inde Transylvaniâ excedens, Sathmariensem & Colosvariensem Comitatus petiit: Qua Bastæ fortunâ Colosvarium in potestatetem Moysis redigitur. Bistricium quoque deditionis conditione accipit. His ita gestis, *Rudolphus* formidoloso Turcarum bello in Hungariâ implicitus, pacem cum Moyse facere tentat, sed illa vel insolentiâ partis alterius, vel impedimentis aliis in fumum abiit. Tandem Transalpinæ Valachiæ Vayvoda Radul rebus laborantibus, & partibus Cæsaris auxilio subvenit, qui Moysem subito aggressus fudit, fugavitque. Ipse Moyses à Rudili apparitore per medium dorsum tormenti globo percutitur, caput jacenti, gladio avulsum Coronam transmittitur, post Fogarasii carie putredineque consumptum. Quo sublato, victoriâ non ignobili Transylvania Cæsari integra permansit, & Georgius Basta (*c*) nomine Cæsaris rerum potitus est.

*Basta viribus minor recedit*

*Radul Valachus Transylvaniâ defendit.*

*Moyses Székel ex vulnere perit.*

Tandem ergo *Rudolphus* pacatis omnibus Provinciis, de successore curam, & consultationem suscepit, atque coronam sacram Regni Hungariæ, quam ille inter suos penates in quo tidiano-

(*c*) *Georgio Basta Transylvania commendata.*

tidiano conspectu locatam, debitoque honore habitam, religiosè servavit, *Matthiæ* Archiduci cum Regno resignavit: cujus rei mentio uberior, quando numerum sextæ Centuriæ superavimus. Septimo Monarchiæ S. Coronæ seculari choro consecrata est.

Hæc est delineatio quædam Sextæ Centuriæ Monarchiæ S. Coronæ, quæ vel magnitudine rerum gestarum, vel bellorum civilis ac externi famâ, & gloriâ, atque varietate eventuum ac calamitatum inter alias postrema non est.

# CENTURIA SEPTIMA.

SUperavit hactenus Monarchia S. Coronæ, observatas & constitutas, à summis viris politicis, mutationes, ac vicissitudines, præsertim quas sub numeris apud Criticos solennibus animadvertere, & arguere possunt. Nam circa ipsas conversiones Reip. consvetum est, ut quadratos, & cubos septenarii, ac novenarii, aut alterutrius cubum, vel quadratum in radicem alterius ducamus, aut etiam perfectum numerum, aut denique sphæricos, & solidos cubos, Bodino facem prælucente observemus, ubi pro re manifestâ, & Canone politico deprehenditur, ortu, & initiis Rerump. exputatis, circa septenarii, ac novenarii magnos concursus numero quingentesimo, aut quadringentesimo nonagesimo, propter quietis, & perfectionis notam Resp. inclinare, & periodicam pati ruinam. Est hæc enim mirabilis rerum omnium vicissitudo, ut nunc in melius, nunc in pejus per seculorum intervalla ferantur, omnia autem ubi pervenêre ad summum, descendere opus est, & ubi ad ima pervenerint, cum subsistere diu ibi non possint, necessum est ad superiora resurgere. Satis hoc in sextâ centuriâ ostensum est, ubi intolerabilis illa vis perennitatis, quæ omnes insequens evertit & conficit, cum Regum in illâ regnantium sapientiâ, ac fœlicitate quasi decertans, tolerabilem adhuc statum, ac reliquiarum veteris imperii, speratam magis quàm optatam conditionem Monarchiæ S. Coronæ concessit.

*Numeri rebus publicis fatales.*

*Septimam* jam Deo favente ingredimur Centuriam, in qua dum vivimus Dei beneficio, quæ fortuna Monarchiæ S. Coronæ expectanda, temerè affirmare nolo, & nequeo. Auspicia sanè ejus partim auspicata, partim inauspicata & motus seculares, non solùm in Hungariâ, sed & in reliquis Imperiis, ac Regnis in ipso Germaniæ meditullio videmus, & audimus, & majorum etiam motuum semina esse jacta, certissimis deprehendimus argumentis.

*Centuria Septima incipit à Matthia secundo.*

Post imperium *Rudolphi* bellis plenum, quod inclusivè salutari pacis fine, in hac centuria ab ipso *Matthia Secundo* Rege Hungariæ, & Cæsare, quem quidem Cæsar *Rudolphus* consortem imperii, ac fiduciarium belli Ducem in Hungariâ multis annis constituerat, tanto successu, ut honorem hunc, titulumque nisi rebus præclarè gestis consecutus, post devictos bello toties Turcas, ac auspiciis fraternis inclyta trophæa parta, pace tandem Turcicâ & Hungaricâ, divino labore, & studio confectâ, præclarum aditum ad Regnum Hungariæ, tandem ad Imperium Romanum consequenter sibi præstruxisset. Dum autem nova pax illa, quæ tanto omnium gaudio excepta est, vix coalescere visa esset, militia Haidonum in Hungariâ, pacem belli amore turbare cœperat; qui prætensione violationis, in multis punctis pactatorum Viennensium, & petitorum auxiliorum primò à Provincialibus, deinde ab indito Romano Imperio contra reconciliationem Viennensem, rumor denique novi futuri belli, ex instinctu Turcarum occasionem insurgendi sumpserant, & neglectis precibus, ac monitis Nobilitatis Hungaricæ, suos conatus magis, quàm anteà persecuti, munitiones aliquot occuparunt, incendiis, cœdibus, & rapinis, loca passim quælibet infesta reddiderunt, subjectosque juramento, quod sibi Turcisque amici esse, Germanos verò Walones pro hostibus habere velint, obstrinxerunt, sed & Diadema quo Boczkaius à Cæsare Turcarum donatus erat, à Valentino Homonnai minis-precibusque repetentes, eum vel alium quempiam Regem sibi facere, decreverunt. *Viris enim turbis innutritis, ipsa inquietudo, pro quiete est.* Favebant huic furori novo Turcæ, quibus velut *barbaris ex fortuna pendet fides*, præsertim Bassa Agriensis, & Budensis. Nam Haidonum ferè quindecim millia, accepto prius triginta millium ducatorum, à Sultano Turcico, stipendio, vel potiùs promisso, Turcis tormenta sibi ex Agriâ advehentibus, pleraque propugnacula & inter cœtera Filekum se expugnaturos, ac ipsorum potestati traditurus, promiserant, cum præsertim contra articulum de libertate religionis, tantum potestatis Ecclesiasticis indultum prætendissent. Non respondit autem eventus ipsorum consilio, Ducibus præsidiorum, & præsertim Thomâ Bosnyák advigilantibus, & resistentibus. Etsi verò *Matthias* Archidux insigni erga Hungariam amore, & pacis quæ tanto labore, & curâ ipsius parta erat, conservandæ studio, literis ordines superioris Hungariæ, & monuit ut Haidonibus aliisque hostibus, vel summâ vi resisterent, itemque Bassam Budensem, ut Turcas intrà suos can-

*Pacato regno Haidones novas turbas ciènt.*

*Regem creare Corona Boczkaio donata volunt.*

*Haidonũ conatus juvat Turca.*

*Filekum Turcis promittunt.*

cancellos cohiberet, tamen deinde cum acriori studio, & contentione opus esset, siquidem *animi magnitudine, securitas, & salus Reipublicæ quæritur*; ad majora respexit remedia. Ac ut officio suo Gubernatoris, sibi, postulantibus Regnicolis, & assentiente Cæsare, attributo satisfaceret, nec non jam pridem testatæ cum vitæ discrimine, & sanguinis proprii effusione erga hoc Regnum Hungariæ sollicitudinis, & curæ, præsenti quoque malo, quod præter omnem opinionem exortum erat, non minorem ostenderet fervorem, (quando *laude dignissimi, qui nascentibus malis occurrunt*) Statibus & Ordinibus Posonium indixit conventum, in eoque se præsentem, & ejusdem fortunæ participem, exhibere voluit. In quo de modis, mediis, remediis, quibus hoc incendium, priusquam ulterius serperet, extinguiposset, consultaretur: sicque Regnum hoc ad pacificum statum reduceretur. Ubi cum frequenti numero Status & Ordines pro ulteriori suâ pacificâ permansione & reliquiarum Regni conservatione consultaturi convenissent, *Rudolphus* datis ad Conventum literis, quemq; ad propria sua redire jubet, eoque negotia sua qualiacunque convertere, ne isthic teneri se patiantur, quod neque frequentis istius Conventus causam intelligeret; & jam exmissis quoque Regalibus suis per Archiducem *Matthiam* Ordinibus Regni distribuendis solennem Diætam ad undecimum Martii inchoandam indixerit, in qua tempestivè comparere quilibet adstrictus esset & teneretur. Quo status & ordines intellecto, adornatis ad Cæsarem literis, obsequiosam suam voluntatem, ut alias hic etiam promptissimè declarare se in animo habere significarunt, nisi præsens incendium afflictissimæ patriæ quo flagrat, & aliis quoque Regnis, & Provinciis si res & fortunas Hungarorum absumpserit, nocentissima omnia minitetur, in tempore, & sine ulteriori morâ restinguendum foret, & ingentibus hisce malis, quo ab ultimo excidio regnum hoc satis desolatum, ruinosum, aliisque rebus necessariis nudatum vindicaretur, occurrendum. Propter quod unicè conventum hunc à *Matthia* Archiduce, ex officii sui exigentiâ, & quod in procrastinatione periculum lateret indictum esse, non ad diminutionem authoritatis Majestatis Cæsareæ, sed ad rerum desperatarum levamen, assertionem libertatis & totius Christianitatis incolumitatem, & permansionem. Proinde siquidem bono fine Statuum, & Ordinum frequentiâ coacta esset, nec ullus conclusionis apex in derogamen Sacræ Majestatis vergeret, sed potiùs ad boni publici promotionem: supplicare se humillimè, ne in malam partem hoc synceræ intentionis studium interpretari dignaretur, neque malevolis fidem, & assensum adhibere vellet.

*Matthias Gubernator Conventum Posonium indicit.*

*Quem Rudolphus per literas impedit.*

Acta vero Conventus hujus, cum judiciorum diversitate, diu in partem utramque agitata fuissent, tandem in hanc sententiam itum est, ut non modò articuli Viennenses, sed etiam pax cum Turcâ inita observaretur, ac juxtà, Orator cum honorario qvantocius à Gubernatore *Matthia* secundum pacis conditiones ad portam Ottomanicam expediretur: de cujus adventu certificandi, nuncios Thomam Nadasdy, & Casparem Czuthy, ad Bassam Budensem destinarunt: ad partes verò Hungariæ superioris, Georgium Thurzo, Stephanum Illieshazy, & Thomam Szczy cum plenâ instructione mittendos: denique Cæsarem, per literas supplices de periculi magnitudine & præsentis Conventus necessitate informandum, & Romanum Imperium vicinasque Provincias de calamitoso rerum suarum statu edocendas censuerunt. (*a*) Ubi autem Bassam Budensem oblatum sibi munus honorarium minimè acceptare, ictumque fœdus servare nolle, & Haidones quoque non curatâ Legatione ad ipsos decretâ suæ proterviæ insistere, ac Regno Regnicolisque multum incommodare velle, contingeret, tùm Status & Ordines penes personam Gubernatoris, & Austriacorum Confœderatorum, personaliter insurgere tenerentur. Cœterùm afflictam (*b*) Regni sui conditionem prolixè per literas Imperii Romani quoque Principibus, Provinciisque vicinis explicarunt, officiosè rogantes, ut authoritatis suæ interventu, apud Cæsarem sese interponerent, atque etiam efficerent, ne tali periculo hoc totius Christianitatis antemurale pessumiret, ac potiùs quod semel conclusum, confirmatum, atque privilegio Cæsaris impressum, & ubique publicatum, illud in reali verbo firmiter permaneret. Nec minus summis votis ab eis postulantes, ne petita auxilia novi futuri belli contra commune initum fœdus subministrarent, neve ullam venturi alicujus mali, occasionem præberent, justa petentium protectores essent, ne in rerum tantâ angustiâ, Hungari necessitate coacti, ad alia extrema remedia, pro sui permansione confugere necessum haberent, præsertim cum nihil in derogamen authoritatis cæsareæ ab eis attentatum esset. Et quia antehac novam cum Statibus & Ordinibus Archiducatus utriusque Austriæ, confœderationem recenter, & solenniter occasione motus præsentis inierunt, quod si nimirum temporis successu propter vel contra tractationem Viennensem & Turcicam nuperrimè conclusam, vel qualemcunque aliam ob causam justam & legitimam, Regnis, Provinciis, & patriis suis, aut ejusdem commembris & confœderatis, hostis, aut turbator aliquis ingrueret, tunc Serenissimum Archiducem & omnes Status & Ordines Regni Hungariæ, Archiducatus Inferioris, & Superioris Austriæ, mutuis auxiliis sibi, & suppetiis non defuturos, sed tanquam in communi periculo, se & suos confœderationi huic interessatos tueri, defendere, juvare, & propterea simul vivere, & mori obligatos esse.

*Conclusiones Conventus Posoniensis.*

*Oratores ad portam Ottomanicam.*

*Commissarii ad sedandum motum Haidonicũ destinantur.*

*(a) Bellum contra Turcam, & Haidones pertinaciores statuitur.*

*(b) Litera Hungarorum ad Principes Imperii.*

*Confœderatio cum Austria & Moravia.*

Ideo

Ideò adjectis ejusmodi confœderationis paribus, Imperii Principes etiam peramanter rogarunt; ut pro majori animorum conjunctione, juxta initum Viennæ fœdus, similes quoque sibi transmittere velint, ut sic confœderata vicinitas, tantò arctiùs coalesceret, mutuaque auxilia ad communem protectionem parata essent. His peractis, per certos Commissarios Joannem Preiner, Georgium Thurzo, Sigefridum à Kolonich, Adamum à Pucham, tractatu cum Bassâ Budensi in Uyvár inito, occasione eâ quod secundum conditiones pacis, antehac cum Turcis factæ, Legatus aliquot annis solenniter & cum magnificis honorariis ad portam Ottomanicam neglectus fuerat, eoque Turca non benè contentus esset, conclusum est, ut intra certum tempus expedirentur Legati cum honorario ducentorum millium, damnorum hactenus illatorum, injuriarum patratarum restitutio, & compensatio; si qui verò captivi ultrò citròque reperirentur, eorum dimissio fieret. Tributarii verò in eodem statu, in quo secundum leges pacis ad Zitvatorok initâ constituti essent, permanerent.

*Tractatus cum Bassa Budensi Vyvarini.*

Hoc tamen præclarum pacis conservandæ in *Matthia* studium, non solùm verborum, & tot rerum testimoniis declaratum, Comitiis etiam publicis benevolentiam Hungarorum auxit plurimum, & magnum virtutis ac fortunæ ad jus Majestatis appetendum, momentum attulit, non dubiâ spe regiminis ipsi datâ, præsertim si Coronam in Bohemiâ apud manus *Rudolphi* Cæsaris existentem in sedem patriam postliminio restitueret. Quo tamen fœdere Matthiæ cum Hungaris facto, non benè contentus *Rudolphus*, Imperii Principibus Ratisbonam conventum indicit, remque prout gesta esset ordine exponit, auxilia simul ab eis postulans; sed neque pacem cum Turcis transactam, servare in animum induxerat. Itaque *Matthias* re ipsâ monente, ac necessitate postulante, Reipublicæ salutem omni privatæ simultati, & offensioni anteponendam esse, ac Hungariæ, ac Provinciæ tranquillitatem suo privato amori erga fratrem Cæsarem præferendo, & quicquid publicè salutare non esset, privatim alienum existimandum, expeditionem in Bohemiam instituit. Delectu igitur habito, ex præsidiis Turcarum finitimis, & gentibus Comitatuum inferioris Hungariæ; plurima Nobilitas, ac Barones, non pauci, virtute, ac ætate florentes, nova dedêre belli sacramenta. Duces exercitus in partibus cis-Danubianis, Status & Ordines elegerant, Georgium Thurzo, & Petrum de Reva, pro partibus ultra Danubianis Comitem Nicolaum de Zrinio, & Thomam Széczy. In Sclavoniâ Comitem Thomam Erdeody, & Georgium Keglevich. Pro partibus verò superioribus in conventu Cassoviensi deputari debebant, Petrus tamen de Reva, ob graves, & urgentes rationes, dictâ provinciâ exoneratus, cum Commissariis Stephano Palffy, Andrea Osztrosith & Theodosio Sirmiensi, ad mandatum Gubernatoris Legationem Moravicam, suscepit, qua in Diætâ Statuum Moraviæ Bvancicii Mense Aprili celebrata perfuncti fuerunt. Ejus summa tribus hisce capitibus constabat: Ut videlicet Status & Ordines Marchionatus Moravici, ad instar superioris & inferioris Austriæ Confœderationem Posonii factam, cum Hungaris ipsi quoque fœdus inirent. Deinde exercitui Gubernatoris, ad fines Bohemiæ profectionem parantis, transitum permitterent. Adhæc uti quas possent firmissimas copias suas exercitui Gubernatoris conjungerent, pacisque turbatoribus sese fortiter opponerent. Super quibus omnibus cum diu multumque deliberatum, ac ultrò citroque tractatum fuisset, conditiones propositæ, superatis tandem difficultatibus omnibus, Confœderatio Austriacæ conformis (cujus summam superius paulo recensui) cum Hungaris & Moravis sancita, & confirmata est. Transitus exercitui sub verbo non inferendorum damnorum permissus: Copiæ Moravicæ ad expeditionem ordinatæ, siquidem res in Hungaria ita dispositæ essent, ut à finibus illius, nullius mali adversitas (quod Moravi prætendebant) extimescendum foret.

*Matthiæ spes Regni in Comitiis datur. De Corona ex Bohemia reducenda Matthias admonetur.*

*Expeditionem in Bohemiam parat. Duces expeditionis Bohemicæ.*

Porrò ante ipsam expeditionem pleraque prodigia contigere, illud præcipuè ab omnium oculis usurpatum. Claro meridie, ac sole lux quædam longè radiis solis illustrior emicuit ex omnibus partibus, ac in unum coire visa, ad cujus conspectum non magis quàm lætari, ac gestire homines videbantur, fœlicem ut existimo expeditiouis eventum præludebat.

*Prodigium ante expeditionem Bohemicã.*

Interea *Matthias* Archidux fœlicibus auspiciis magno Procerum Nobilium & Senatorum, nec non militum ac Ducum præstantissimorum numero Viennâ egressus, viginti octo tormentis habitis, iter agressus est, literis publicis cavens nemini quicquam ab exercitu damni inferendum, aut si aliquid inferretur, omne id restituendum, atque recompensandum confirmans. Progressus Archidux cum equitum peditumque decem millibus Znoymum, (quæ est Moraviæ Civitas) advenit, & à Moravicis Statibus, qui pridie ejus diei similiter cum quadringentis equis convenerant splendidè admodum in Urbem perductus, ubi *Maximilianus* Archidux obvius eidem cum toto exercitu factus, cum applausu, & ternâ tormentorum majorum explosione solenniter excepit. Inde datis ad Bohemos literis, ut duo ex singulis locis Legati, ad Conventum Chaslaviam mitterentur, postulavit, additâ conditione se quoque ibi eo tempore præsentem consilii sui rationem redditurum, & quid facere imposterum decreverit, Oratoribus expositurum. Præterea Electoribus & Principibus causam ejus expeditionis pae-

*In Civitatem Znoymum venit. Conventũ Bohemus Chaslaviam indicit*

aperuit, missique Contractus anno superiore supra millesimum sexcentesimo sexto Viennæ communi Archiducum consensu facti; amicè eos admodum ne se se negotio huic immiscerent, sed consilio potiùs & auxilio illum promovere studerent, rogare. Jam cum exercitu maximè Hungarorum, ac viginti armatorum millibus Chaslaviam accessit, ubi Legati Saxonici & Brandeburgici Electoris tempestivè adfuerant, octo dierum inducias ab Archiduce, quibus de pacificatione inter Cæsarem & ipsum faciendâ, negotioque amicè componendo ageretur, expetentes. Quod non usque adeò ægrè obtinuerunt, cum præsertim electores Principes suos, duplici fœdere, tàm Electoratus jure quam Regni Bohemiæ nomine Cæsari conjunctos & obligatos dicerent. Continuato Chaslaviâ itinere, in Civitatem Kolin pervenit, unde ad Comitatus Hungariæ dedit literas, quarum sententia talis fuit: cõstare quo animi proposito profectionem primò in Moraviam, deinde etiam alterius in Bohemiam susceperit, nimirum ut Regnum hoc hucusque malis extremè quassatum, & exagitatum, tandem efflorescceret. Proinde cum non constaret, quam diu locis illis commorandum foret, ad præcavendos quoscunque in absentiâ forte suâ orituros motus, Petrum Radovitium Episcopum Vaciensem, Stephanum Ilieshàzy Trenczinienſem, & Liptoviensem, Petrum de Reva Turociensem, Comitatuum Comites: ac Stephanum Listium & Franciscum Loránth constituit, qui attributâ sibi authoritate, occurrentia cuncta dirimerent, eos intra absentiæ Gubernationis tempus in omnibus publicis, & privatis, patriæ rebus, & negotiis Regnicolæ requirerent, ad eosdem recurrerent, opem, consilium & auxilium implorarent, ipsique deputati diligenter attenderent, ne Patriæ aliquid detrimenti, aut perturbationis, à quopiam acciperent. Post Iglaviam contendit *Matthias*, Commissariis uno die semper profectionem anticipantibus. Inde Pragam versus progressus, ad arcem Kolodega castra posuit, ex quibus ad proximam arcem, Dubecz nuncupatam, tractatus instituendi cum Cæsareanis gratiâ, conveniebatur. Disciplinâ militari servatâ quidem, & à rapinis, & damnis coërcito milite, sed plerumque irrito labore, Hungaris potissimum ad Pragam usque excurrentibus. Translata dehinc castra inter piscinam, & prædium Storbeholi vocatum, non longâ à Pragâ distantiâ; quo facto Bohemi tanto exercitu in conspectu Pragæ posito exterriti, Cæsarem ut tempestivè cum Archiduce pacisceretur, modis omnibus rogarunt. Quare Archidux Legatione amplissimâ, ex Hungaris, Austriacis, & Moravis Proceribus Pragam missâ, per Carolum Serotinum non minus sapienter, quàm facundè perorantem, omnia propositi sui capita scripto etiam satis prolixo proposuit.

*Legatus Saxonicus, & Brandeburgicus Matthiam Chaslaviæ expectat.*

*Inducia inter Cæsarem & Matthiam octo dierũ. 15. Maji, 1608.*

*Matthias Pragam properat.*

*Carolum Serotinum in legatione præmittit.*

Quibus intellectis Bohemi, cum per se gravia & ardua Archidux peteret, consultum visum est, ut utriusque partis Legati, certis extra Pragam locis convenientes, maturam de capitibus istis consultationem susciperent, & paci atque concordiæ, usque ad Cæsaris, & Archiducis consensum, studerent. Acquiescentes in eo responso Legati, cum Oratoribus Cæsaris in duobus peculiari loco erectis tabernaculis, varia tandem ultro citroque communicarunt consilia, ac actum utrinque magno studio tantum apud partes, tandem effecerunt, ut negotio absque sanguine composito placidè, & amicè in gratiam iretur certis pacis, & concordiæ legibus ac articulis, qui 12. Junii, in Arce Pragensi, præsentibus Archiducis Legatis Serotino, Lichtensteino & aliis Ducibus, palam in linguâ Bohemicâ perlecti fuerunt. Leges illæ, etsi suo loco pleniùs descriptæ habentur, summam tamen illarum, quæ propriæ ad Monarchiam S. Coronæ pertinent, paucis deliberare visum est.

*Legati utriusq; partis extra Pragã conveniũt.*

*Leges concordiæ, inter Matthiam, & Cæsarem sancitæ.*

Prima illa ac præcipua consentire Cæsarem, quod S. Coronam Regni Hungariæ religiosè servatam ab illo hactenus, non solùm in manus Archiducis & Hungarorum Ducum præsentium tradat, sed & jus Majestatis in Regno Hungariæ Archiduci cedat: se à juramento quod tempore coronationis suæ, super libertatis, & privilegiorum Regni Hungariæ observatione solenniter præstiterant, exonerare, & subditis præstitum sibi juramentum remittere non recusat, dum modo nullus alius præter Archiducem in Regem ab Hungaris eligeretur. Id quod antea quoque per Cardinalem à Dietrechstein, Cæsar lautis promissis Archiduci offerebat. Accesserat & illa, ut Tabulæ Hungaricæ, libri Regii, ac Privilegia, quæ Hungariæ Regnum concernerent, Archiduci traderentur: Cæsar sedulam operam dare vellet. Cœterum Regni Hungariæ, ac Provinciarum, quas *Matthiæ* Archiduci jam cedit, titulos sibi reservatos Cæsar statuit, belli pacis & fœderum discrimina, curam, ac potestatem, pari ratione sibi vendicavit, vel jure summæ in Romano Imperio Majestatis. Super quibus Cessionales (ut vocant) literæ, sub sigillo Cæsareo, commendatoriæ quoque quibus *Matthiam* Hungaris pro legitimo Rege eorum agnoscendo, recipiẽdo, proclamando, & coronãdo insinuat, & assecuratoriæ super restitutione & receptione Coronæ (a) ac aliorũ Regiorũ insigniorũ, utrinq; emanarunt. Cœterum virtutis suæ, ac paternæ de

*Rudolphus Coronam, & jus Regni Hungariæ Matthiæ resignat.*

*Rudolphus titulos Regnorum sibi reservat: Cessionales Rudolphi literæ. Commendatoriæ.*



(a) *Assecuratoriæ super restitutione Coronæ.*

Hungariâ curæ, nihil diminutum cupiens, promisit *Rudolphus* quod in proximis Imperialibus comitiis proponere Imperii statibus vellet, quid pro tuendis adversus Turcam, si fortè pro finibus bellum cum eo diutius gerendum esset, auxilii, ac contributionis præstare Archiduci deberent.

*Pro Corona trecenti Barones & Nobiles Pragam ingressi.*

His itaque peractis, & ab utrâque parte, magno omnium gaudio acceptatis, delegerat Archidux ex toto Hungarico exercitu trecentos Barones, & Nobiles, inter quos plerique Duces fuerunt, florem militiæ ac gentis, armis, auro, & argento fulgentibus, ac pellibus lincæis exornatam, qui decoris æterni S. Coronæ causâ Pragam ingressi, non sine horrore, & admiratione populi, Coronam secundum legem, & pactionem à Cæsare receptam in castra referrent. Erant inter alios Georgius Thurzo Dux exercitus, Comes Nicolaus Zrini, magni illius Nicolai Zrini nepos, Stephanus Palffy, filius optimi Ducis Hungarorum Nicolai Palffy, Thomas Bosnyák, Franciscus Revay senior, Paulus Apponi, Stephanus Ostrosith & alii primarii Duces: cœterum omnes genere & statu illustres, qui etsi eâ ipsâ die Coronæ Sacræ conspiciendæ desiderio flagrantes in castra reverti debebant, tamen ob tempestatem & apparatum solenniorem, sequens dies divo Ladislao sacra 17. Junii, qua summo mane non jam hostium tempestate turbido, Cæsar advocato Cardinale à Dichterstein, Coronam ex adytis suis, unà cum reliquis ornamentis Regalibus desumptam in manus tradens, in castra ad Archiducem deportandam commisit, quàm is hexaphoro triumphali impositam, aureoque peristromate tectam, sex equis albicantibus ipse curru antevectus cum supremo stabuli Magistro Adamo Vallnstein, comitante Tiburtio Himelreich Hungariæ Regni Secretario, cum totâ supellectili Regiâ, ad castra Archiducis per omnes Urbes Pragenses detulit. Erant in Comitatu Sacræ Coronæ, Cardinalis Bohemiæ supremi officiales, & Senatores plurimi, qui honoris causâ cum ducentis Nobilibus equitibus, veluti pompâ triumphali ad Archiducem gratulabundi veniebant. Etenim Archidux ad perennem tanti triumphi gloriam, lapide à Pragâ primo in aperto, & undique patenti campo, educto toto exercitu, instructâque velut ad prælium acie sedecim equitum peditumque millibus in cohortes distributis, dispositisque tormentis; spectaculum præclarum edidit. Ibi & prætorium militare atque Arabicis prætiosi muneris papilionibus exornatum erigi curavit. Itaque Cardinalis Franciscus à Ditrechstein cum Bohemis accessit curru Cæsaris triumphali, arcamque expediens Diadema S. Hungariæ cum aliis insignibus in mensam prætorii sublimi loco positam exponit, atque dono pulcherrimo jucundam addit orationem in hanc ferè sententiam. *Accipe, inquit, Serenissime Princeps Sacram Hungariæ Coronam, quam Cæsar in te non solum velut pignus fraterni amoris, quo jure naturæ tibi obstringitur, transfert, sed ut insignium tuorum meritorum bello & pace in Hungariâ fœlicissimè præstitorum, immortale decus & præmium, ut consortium imperii quod re hactenus gerebas, nomine & titulo quoque consequaris. Dabisque operam, ut intelligant omnes, sacrum hoc Diadema fœlicibus auspiciis tibi traditum, & à te susceptum; imprimis verò Cæsaris istud insigne beneficium, nunquam intermorituræ commendabis memoriæ, & grato animi tui testaberis symbolo, speciosum hoc trophæum cum victoria ad confundenda omnium hostium nomina referas & ad perenne decus Penatibus gloriosissimæ domus Austriacæ inseras.*

*Comitatus Coronæ Bohemicus*

*Cardinalis à Ditrechstein Coronam Matthiæ tradit*

*Oratio Cardinalis ad Matthiam.*

*Responsum Matthiæ.*

Excitatus Princeps tam luculento munere & oratione, vultuque ad lætitiam composito, per Krenbergerum Cancellarium suum, *Agnoscere se inquit, cœleste & sacrum hoc munus, nec solum fraterno sibi contingere beneficio, sed divino prorsus dari consilio. Quare non solum hunc fraternum favorem insigniter æstimare, sed & ad gratitudinem omnibus virtutum titulis Cæsari exhibendam incitari, utque dignus suspiciendi regiminis Hungarici de quo nunquam non optimè mereri studuit, comperiatur, constanti animo effecturum, domus Austriacæ gloriam sartam tectamque conservaturum & ad posteros, quam maximo studio propagaturum.*

Post acceptâ Coronâ & insignia, adsunt Principes & Duces Hungarorum, non contenti eâ lætitiâ, quam intra animum vix continere poterant, ex insperato Coronæ Sacræ conspectu, dextram Archiducis osculantur, & multo verborum honore gratulantur, Valentino Leepes Regni Hungariæ Cancellario in hunc modum pronunciante. *Celebratissimum est illud omnium gentium jure & Græcorum vel maximè consuetudine elogium Serenissime Princeps, virtuti non aurum, non argentum, nec res ullas caducas, sed ipsum honorem debitum esse præmium. Hinc cana illa & sapiens antiquitas, virtutis & honoris templa adeò conglutinaverat, ut nemini in honoris delubrum, nisi per virtutis ædem aditus patuisset. Atque hæc sanè in Serenitate Vestra quàm mirificè quadrant, si dicendo persequi vellem, dies me citius quam res & verba deficerent. Non enim fortuito, nec sola favoris popularis aura, augustissimi*

*Valentinus Leepes pro Hungaris ad Matthiam verba facit.*

*Templum virtutis & honoris.*

*stissimi quondam Regni Hungariæ sceptra, faces, ebur, & sacrum Diadema Serenitati Vestræ tanquam fœlici, fausto, & fortunatissimo patriæ nostræ moderatori hodie tanto cum apparatu & militari applausu deferuntur, verum hæc ipsa magnanimitati, & rerum à se feliciter gestarum, amplitudini merita, & jam pridem debita præmia redduntur. Namque ad absolutum & perfectum virtutum suarum splendorem, quem longe latèque diffundere hactenus non intermisit, hunc veluti colophonem addendum esse existimavit, ut de nobis, Patriâ, & gente nostra nullo unquam tempore bene merendi studium deposuerit. Testes sunt tot conflictus, quibus retrò quindecim annorum curriculo, contra communem Christianitatis hostem, primùm sub Nogrado, deinde iteratis vicibus sub Strigonio, tandem sub antiqua Budâ Regiâ, ad extremum sub ipsis Albæ Regalis mœnibus (ubi non minus strenui militis, quam fortissimi Ducis & Imperatoris officio perstrenuè Serenitas Vestra nobis spectantibus functa est,) suam in nos incredibilem probavit, & testatam fecit optimi animi propensionem, cum ubique, & in quovis vitæ discrimine se præsentem, ac communis sortis & fortunæ participem intrepidè ac infracto semper animo exhibere non detrectârit. Quam verò admirabili prudentiâ, & agendi dexteritate lugubres patriæ nostræ motus tempestate Bochkainâ obortos, ac deinceps Haidonicâ insolentiâ in dies magis, ac magis recrudescentes Serenitas Vestra sedaverit, atque nuper coacto Posoniensi Conventu penitus extinxerit, adeo clarum & perspectum apud omnes, ut nec vivis exemplis nec longiori oratione opus esse videatur. Nolens siquidem Seren. Vest. officio suo Gubernatoris ullo modo deesse maximâ quâ potuit animi contentione, & celeritate cum Statibus, & Ordinibus Regni, de modis, mediis, ac remediis quibus grave admodum Hungariæ incendium ne latius serperet consopiri, & extingui posset, maturè tractavit, simul etiam ut pax cum potentissimo, & infensissimo hoste Turcâ, tandem optato fine concluderetur, nihil planè intentatum reliquit. Quæ sanè remedia nisi præmaturè & tempestivè adhibita fuissent, non solum patriæ nostræ dulcissimæ, Regni inquam Hungariæ reliquiæ pessum ivissent, sed etiam Vicinarum Provinciarum res in extremum discrimen devenissent, omnibusque nobis præsentissima ruina atque excidium jam jam incubuisset.*

*Nec alius sanè Ser. Vest. armorum, impensarum, curarum, & fatigiorum sensus erat, nisi ut dilectam sibi Pannoniam in auream illam pristinæ libertatis formam vindicaret, ac restitueret. Quod quidem Ser. Vest. nobile, & laudabile propositum Deus ita secundavit, ut magnus Cæsar Rudolphus ultrò S. V. ob præclara merita, non solùm amplissimâ Hungariæ gubernatione, & clavo decoraverit, verum etiam Sacram Coronam Divo olim Hungarorum primo Regi cœlitus concessam, Ser. Vest. tanquam Hungariæ habenas fœliciter moderanti, ipsis Regnicolis annuentibus & faventibus concrediderit, & assignaverit. Quam S. V. veluti extorrem, & diu exulantem in sedem propriam ita reducat obsecramus, ut omnibus nobis nova spes, & novæ gratulationis subministraretur occasio, non ambigentes relatâ illâ in patriam, priscam quoque fœlicitatem cum eâ relatam iri.*

*Nostrum verò erit heroicam hanc in nos Ser. Vest. munificentiam, cum perpetuæ gratitudinis obsequiis, tum verò Comitiorum futurorum frequenti, & faustâ acclamatione optimè demereri, enitique studiosissimè, ut Ser. Vest. juxta vota sua eminentioris longè dignitatis, & amplioris honoris culmine insigniatur. Quod superest vovemus, & comprecamur, ita Dei Optim. Maxim. beneficio Ser. Vest. Regni Hungariæ, & Vicinarum Provinciarum, inter se jam arctissimè necessitudinis vinculo unitarum habenas moderetur, ut ipsa rectore, & propugnatore, jam tandem aliquando post tot clades, tantasque ærumnas, securi respiremus, ac deinceps optatâ diu pace, & tranquillitate perfruamur. Divinum Numen per quod Reges regnant, & Principes justa decernunt, Ser. Vest. longævam vitam, valetudinem stabilem, imperium pacatum, fideles, & devotos subditos, ut benignè largiatur ex animo precantes, totos nos S. V. tradimus devovemus & consecramus.*

Mox dato, per tubarum ac tympanorum clangorem, præsentiæ Sacræ Coronæ, cum exercitu signo, turbo quidam lætitiæ animos hominum invasit; frementibus veluti militibus præ gaudio, tribus vicibus tormentorum ac sclopetorum omnium displosione aër undique conturbatus, per loca maximè distantia fragorem, ac sonitum dispergebat. Eaque erat triumphi species, ut ejus bellicæ ostentationis ac lætitiæ admirabilis pompa, omnem apparatum magno intervallo superare videretur. Instruxerat porro in signum lætitiæ, in viridi prato, geniale convivium Archidux, in quo ipse cum Cardinale primo loco assedit, ordine Duces belli magno numero cum Bohemicis Proceribus discubuêre, magno humanitatis inter se præstitæ splendore, & gratiâ, ubi more solenni, quinque poculis pro Cæsaris salute, & fœlicitate Regni Hungariæ, Bohemiæ, & Austriæ plenis faucibus propinatis, in seram noctem genio indultum est. Finitâ

ſolennitate, Duces Hugaricæ militiæ in caſtris conſilio capto Archiducem orant. ut quandoquidem in legibus pacis, ac Sacræ Coronæ reſtitutione peculiaris mentio Hungarorum facta eſt, quibus nimirum cum Archiduce beneficii à Cæſare pari jure copiâ factâ Sacram Coronam Ducibus ac militiæ Hungaricæ reportandam in Hungariam committeret, ne gloria hujus pulcherrimæ victoriæ, abſentiâ reſtitutæ jam Coronæ apud Hungaros ſuggillaretur, aut certè oſtenderet, gentem totam turbido, ferocique ingenio, quod præmium tantæ expeditionis S. Coronam coram non intuerentur.

Quòd ſi hoc ex ipſius animi ſententiâ non placeret, cautione ſolum literisque confirmaret, non certè diffidentiæ aliquâ ſpecie, ſed ut gentis totius voto & expectationi ſatisfaceret, ut illam primo quoque tempore triumphantem in Hungariam ad præclarum gentis ſolatium conſpiciendam reducere, aut profectò ad fœlicis favente Numine & auſpicatæ Coronationis ſolennia repræſentare vellet, & perpetuæ in patriâ quieti, & ſtabilitati dicare. Humaniter Archidux reſpondit: Fruerentur interim Hungari nominis ſui famâ, & gloriam victoriæ, non tam armis, quàm conſilio divinitus partam referrent in patriam, ac permitterent fidei ſuæ, & curæ Coronam, eam ſuo tempore ad ſacra illius ſolennia in patriam relaturum ſe, & de loco ubi ſanctè & quietè habitaret, communi procerum, & gentis conſilio & conſenſu deliberaturum, pignore literarum ſubſtituto, Ducibus militiæ promiſit. Hoc modo pace & victoriâ comite, dato receptui ſigno, & motis mutatisque à Pragâ caſtris, *Matthias* Bohemiæ finibus exceſſit, copiis univerſis in tres partes ut eò commodiùs tranſire per regiones, ſine ullo detrimento poſſent diſtributis. Jam ad reditum Hungarorum triumphantium cum Coronâ ex Bohemiâ, nova lux affulſiſſe Hungariæ videbatur, ac inopinato belli ſucceſſu, ac eventu nunciato, vix fides adhibita primum, mox ex præconiis Ducum, & perſonabant omnia vocibus triumphalibus, ac mirus animorum plauſus ubique ſecutus eſt.

*Mira in Rudolpho moderatio.*

Hæc *Rudolphi* moderatio publicæ ſalutis cauſâ præſtitâ, memoriam bonam, ac honorem ipſa apud homines peperit, & puto etiam apud poſteros pariet: quod ſua dignitate poſthabitâ, inteſtinæ diſcordiæ mala publica avertere voluit. Duris quippe rebus atque arduis, ubi dignitatis ratio haberi non poteſt, ratio habenda eſt urgentis fortunæ, præſertim cum per jacturam dignitatis, gentium & populorum ſaluti conſultari, quod magni animi eſt, comprimere authoritatis magnitudinem, & aliorum neceſſitati parere. Nec minor eſt Archiducis prudentia, ac fœlicitatis gloria, victoriâ quam in manibus habebat, ſine ſanguine partâ, imperii Majeſtatem à majoribus ingenti nominis ſui gloriâ partam, non tam fortunæ beneficio, quam virtute parare, & à fortunæ malignitate, quæ maximè imperiis ſummis inſidiari ſolet, tempeſtivè avertere voluit, nec ſuâ negligentiâ imminui periclitarique. Quæ quidem omnia, ſi poſt eventum belli hujus fœlicem conſideramus, & quæ incommoda ac calamitates Regnum Hungariæ affligere potuiſſent hujus reſignationis Monarchiæ Sacræ Coronæ per *Rudolphum*, *Matthiæ* Archiduci factæ, laudem & gloriam cum magna fœlicitate conjunctam meritò celebrabimus.

Nec enim deinceps Matthias ſui oblitus, ut novam hanc poteſtatis famam exiſtimationemque præclarè tueretur, ac majoribus beneficiis Rempublicam Chriſtianam ſibi obſtringeret, pacem cum Turcis & Hungaris factam unicè ſibi tuendam ac conſervándam propoſuit. Et poſtquam Viennam cum Corona rediiſſet, Oratorem Sultani ſuam ibi præſentiam præſtolari reperit, qui certo colloquii die admiſſus, equis Thracibus, phaleris, & veſtitu Turcico mirè exornatis ac donatis, de confirmanda pace modis omnibus ſollicitavit, cum interea quoque Orator *Matthiæ* ad Sultanum miſſus, de pace inter Hungaros, & domum Ottomanicam ſanctè impoſterùm conſervanda, muneribus nomine Regis oblatis, illa fœlicitate rem geſſit, ut Sultanus eam præſentibus purpuratis libenti, & grato animo acceptare & tueri polliceretur, ſed ad Transylvaniæ adminiſtrationem, quam ex antiquo jure Regni Hungariæ ſibi reddi poſtulabat, conſentire Tyrannus noluit, quod traditis Gabrieli Bathori feudi Transylvaniæ ſibi proprii inſignibus, de eo in principatu iſto confirmando, mandatum Baſſæ Budenſi dederat.

Indixit mox *Matthias* Hungaris Comitia Poſonii, ut promiſſis ſuis de Coronæ Sacræ reſtitutione ſatisfaceret, atque inſignia Regni acciperet. Præmiſſis igitur legatis, inter quos præcipus fuit Joannes à Mollar, qui de ſuo adventu præſentibus Proceribus referrent, ipſe poſt paucos dies ſecutus, vigeſima ſecunda Octobris promptiſſimis omnium ſtudiis & officiis ſuſceptus eſt. Nec referre libet, quàm inſigni apparatu, quo armorum ſplendore, ac ornamentorum varietate, ab armatorum decem millibus in arcem Poſonienſem introductus fuerit. Fœlicibus auſpiciis Comitia inita ſunt, in quibus is obſervatus

ordo

ordo est, ut ante omnia Principes & Status Hungariæ, à sacramento & fide Cæsari *Rudolpho* datâ liberi pronunciarentur, speciesque hæc quædam Interregni tolleretur. Hic *Matthias* perlegi curat Diploma, quo Cæsar *Rudolphus* jus Majestatis Regni Hungariæ Archiduci *Matthiæ* ultrò, coactus amore fraterno cedit, & regnum resignat, subditosque religione jurisjurandi ac fide eximit, atque liberos pronunciat.

Quo facto mirus inter Proceres, & populos consensus, gratulantes quod sincerum Cæsaris beneficium esset, & absque nimiâ cupiditate regnandi, quæ multa & injustissima mala, plerumque invexit in Rempublicam, *Matthias* bonis auspiciis regnum ingrederetur. Igitur de electione Regis agi cœptum, ut quando Candicatorum varietas animos gentis non distraheret, ne scilicet in multitudine votorum confusâ, discordia, aut simultas contingeret, & illibata hactenus tot Regibus ex Domo Austriacâ meritissimis Monarchiæ Sacræ Coronæ gloriâ fœlici possessione consisteret, non solùm quod merita bello, & pace inclyta, proprio quodam jure postularent, sed & quod Magnificis nuper ipso in Gubernatorem Hungariæ electo, promissis de successione, communi placito, & consensu standum esset, maturarunt electionem. Id Proceres, & populi libenter amplexi sunt, & inclyto Regni Candidato præsto esse volebant: Verùm quod occasionem haberent pulchram restituendi, ac reformandi pleraque, quæ partim incuriâ ac negligentiâ majorum abolita, partim injuriâ temporum obliterata videbantur, & præcipuè quæ superioris belli Turcici, ac civilis licentia contra leges patrias invexerat, leges quasdam, & articulos, de quibus sibi caveri vellent, scripto comprehensos, Regi obtulerunt, plerosque ex pacificatione Viennensi repetitos, quorum ferè hæc summa erat. Religionis exercitium, in quo salus animarum publica verteretur, extra controversiam esse debere, in omnibus civitatibus ac oppidis liberum relinquendum, ac in illâ quidem Civitate, quam sedem sibi Rex electurus esset. Sacra Corona quæ Dei beneficio, post consilio & armis è Bohemiâ liberata est, in Hungariâ permaneret, & politicis solùm Proceribus, lege antiquâ conservanda permitteretur. Et quoniam à belli civilis tempore parùm sancta societas inter utramque gentem Hungaros & Germanos esset, utrinque multis querimoniis læsa, ac jactata, imposterùm nullus Præfectus Germanus, nec ullum præsidium Germanicum, in finitimis propugnaculis toleraretur, præter Jaurinum, & Comaromium, in quibus Vicegerentes Hungari haberentur: supremi verò Capitanei juribus Regni subjacerent, & dependentiam post Regem à Palatino haberent, Vyvár, & alia similia Hungaris permitterentur, quod tamen non ita intelligi debere, post publicè declararunt, quasi omnino gentem Germanicam in odium ipsius Regno exclusam voluerint, sed quod ad exemplum aliorum Regnorum & Provinciarum, officia domestica per propriæ nationis homines gubernare placeret, alias Germanis pauciori numero stipendia in Regno mereri & militiam exercere liceret: sed ut Capitaneis & legibus Hungaricis subessent, pro concesso haberetur. Adhæc Palatini cujus electio Regni est, confirmatio Regis. Erat illud præcipuè Palatini creandi argumentum, quod ejus præcipua vox, ac dignitas, cum principali suffragio in eligendo Rege esset. Cæterùm etiam ex instituto majorum prius Palatinum nominari, jam Regem, qui publicæ libertatis, justitiæ salutisque tutor sit electus. Porro Rex in Hungariâ sedem suam collocaret, non motoriam, sin minus, Palatino plenaria potestas administrationis daretur. Hæc ferè Principalia Procerum, ac populi postulata fuerunt: reliqua inter articulos comitiorum quibus omnes utuntur, in medium adferre haud interest.

His per Archiducem admissis, progressum comitia fœlicem habuêre, & quod primùm erat, Palatinus antiqua consuetudine eligitur. Magna erat animorum expectatio, quis primum antiquæ dignitatis, quasi postliminio restitutæ in patriam particeps evaderet. *Matthias* igitur quatuor ex consilio candidatos constituit, duos Catholicæ, duos Evangelicæ Religionis: Thomam Erdödi, Sigismundum Forgach, Stephanum Illesházy, & Georgium Thurzo, qui dum primum in consilio Principum, & populi, misso interprete cancellario Krenbergero, à Rege nomina sua in tabulam candidatorum relata intellexissent, quilibet pro se habita oratione obtestabatur, ne causam dignitatis publicæ vel immodico favore corrumperent, vel personarum majorem, quàm virtutis ac prudentiæ rationem haberent, illum eligerent, qui tantæ provinciæ dignitatem, cum honestate, & utilitate tueretur, & justitia, ac moderatione animi afflictum Reipublicæ statum, juvare ac conservare possit, neglecta ambitione, quæ ad munia publica gerenda inepta, & multorum malorum causa in Republica, esse solet: denique non privatum affectum hostem Reipublicæ, sed Patriæ amorem in consilio haberent, quem sequerentur. Excesserunt deinde comitiis, & certamina fautorum, ac suffragatorum utriusque partis taciti expectabant. Orta primum erat lis de modo electionis Palatini.

Plerique enim volebant, ut Venetorum & Romanorum more nominibus scriptis, & in urnam conjectis fieret, quod eo modo nec electi periculum, nec eligentis invidia crearetur. Verùm vicit communis consuetudo, ut per suffragia quæ (ut fit) numerantur, non ponderantur, fieret. Licebat hic videre diversa Procerum studia, familiaritatesque, quas Candidati contingebant, æmulationem quandam, dum necessitudinem cum summo honore conjunctam cupiebant.

Pars major Procerum cum Regnicolis in Illeshazium inclinabat. Recensitis igitur suffragiis, victor evasit numero Illeshazius, qui vocatus in consilium, Palatini nomine salutatur, moreque usitato in sublime à Proceribus elevatus, monetur à Statibus, ut hæc tantâ Provinciâ fato non minus, quàm procerum judicio ad se delatâ, ad Dei & Patriæ honorem ac utilitatem fœliciter uteretur, ad perpetuum gentis decus, & Reip. titulum hunc non privatum honorem existimaret, & cunctis virtutis & sapientiæ ornamentis condecoraret, quo nimirum fine majores Regni Hungariæ, Provinciam Palatini excogitassent.

Nec mora, Palatino jam dirigente de electione Regis ad Status & Ordines relatum. Statuto igitur die liberæ electionis (quam tantoperè Hungari illibatam conservare cupiunt, ut idiomate quoque suo vernaculo aptius & congruentius eligere Regem quam coronare dicam) non jam per decurias, aut singulorum singula vota ac suffragia, sed unâ omnium voce, ac suffragio, veluti divino instinctu consentiendo, in Regem electus est MATTHIAS, ab electione MATTHIÆ primi in Regem Hungariæ anno centesimo quinquagesimo, ac mox magno omnium desiderio, & fervore in arcem itum, ubi Cardinalis Franciscus Forgách habitâ oratione gravi, ac luculentâ, exquisito laudum genere plenâ quod MATTHIAS divina bello parta trophæa consecutus, postquam optatissimam pacem turbulentissimo tempore Hungariæ inter cives primum, deinde inter barbaros peperisset, libero & lubenti animorum consensu in Regem electus esset declarat, & proclamat, incredibili omnium Procerum ac populi lætitiâ, & fervore. Interea aliquot diebus legibus comitiorum condendis data est opera. Erant jam omnia ad futuram S. Coronæ pompam parata designataque munia, Procerum, quibus in Coronatione fungerentur. Quare electus per fidum sibi Dynastam invitat ad solennitatem *Maximilianum* Archiducem; qui præsentiâ suâ ad declarandum in Hungaros amorem, apud quos boni Principis immortalia summæ gloriæ trophæa spectarentur, illam honestavit, & advenit. Igitur summâ Ordinum lætitiâ exceptus, illuxit dies fœlici sydere S. Coronæ pompæ destinatus, & is quidem dum noctu pluisset superis mirè faventibus, ortâ serenitate conspicuus
1608. Divæque Elizabethæ sacer, quo ipso Coronam ab N. *Matthiæ* Cubiculario Posonium in obscurâ rhedâ advectam intelleximus. Dies hic magnis solennitatibus celebris annotatur. Eo enim pax de Silesiâ anno 1474. inter tres Reges jam armatos & in Uratislaviensi campo cum exercitibus constitutos, *Matthiam* Hungariæ, *Casimirum* Poloniæ, & *Vladislaum* Bohemiæ, authoritate Principum Germaniæ facta, ut eâ de re in *Matthia* plenius. Eo & avus nostri *Matthiæ* anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Imperator declaratus est.

Primum igitur omnium, Diadema sacrum proceres Hungari cum magno comitatu, curru impositum resonantibus tubis, ac tympanis ex arce deferunt.

Erat enim arca panno Attalico inaurato operta, quam quatuor Dynastæ complexam, & curru allevatam, in Sacrarium Templi deportarunt. Quo facto, rediit Hungaris in mentem inveterata illa Religionis opinio de S. Corona, & summa animorum triumphantium & salutantium diem illum devotio, qua sacrum hunc thesaurum post tot lustra velut ab exilio reductum conspexerunt. Agebat enim Corona extorris patriâ, inter penates Austriacos, annos ferè septuaginta, ab anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, quo Regina Isabella illam Ferdinando ex pacto transmiserat, usque ad hanc diem, nec à reditu ex Transylvaniâ continuam habuit in Hungariâ sedem, sed interpolatam, sub nullis Conservatoribus ordinariis: siquidem intra annos septuaginta, post quos Pragâ Posonium venit, mox officio suo in hac *Matthiæ secundi*, coronatione perfuncta, duabus tantum vicibus Hungariam visitavit, nimirum in Coronatione *Maximiliani* anno ab egressu suo è Transylvaniâ decimo tertio, in Coronatione item *Rudolphi* anno ab inauguratione *Maximiliani* nono, semper cum Regibus creandis, ad ipsum solennitatis actum veniens, quo absoluto rursus Regum confirmatorum, comes redibat, cujus ipsi soli Conservatores, usque ad hunc ex Bohemiâ reditum fuerunt. Cœterum quæ summa sacrorum totius solennitatis in Regum inaugurationibus observetur, infra descripta invenientur.

Coronatione peractâ, Rex novus honores ac munia summa Reip. (Baronatus vocant officia) plerisque qui summæ vrtutis commendatione nitebantur, distribuit, atque leges comitiorum, quas necessitas temporis flagitaverat confirmavit, quarum una fuit *Duumviratus* S. Diadematis, qui priori tempore peregrinante sacrâ Coronâ extra omnem belli urgentis metum, ipso Cæsare *Rudolpho* munus Cæsaris obeunte, interruptus erat, proinde Proceres Regni

gni capto consilio Regem obsecrant, ut hoc tam divinum ac immortale S. Coronæ redactæ re ipsâ præstaret beneficium, & gentis totius voluntatem eâ ostentatione virtutis, mirum in modũ conciliaret, sacrâque Coronâ pace partâ Regno resignatâ, tam officio quam promissis satisfaceret, nec amplius patriam in periculum læsæ religionis Sacræ Coronæ & novi belli discrimen traderet.

Itaque Rex ad postulata Coronam Hungaris reddit, ac sedem Coronæ Posonium senatusconsulto decernit, ubi novâ in arce structurâ asservando Diademati destinarunt. Nominarunt proceres quatuor Magnates, è quorum numero Rex Duumviros Conservatores eligeret. Is igitur Petrum de Reva Comitem de Thurocz, & Stephanum Palffy, de Erdeőd Comitem Posoniensem Duumviros creat, ac ut hanc provinciam quovis fortunæ successu, non solum præsidio, sed & ornamento piè ac fœliciter obirent, severâ sacramenti religione in ipso senatu obstrinxit, ac datis aureis clavibus confirmat, addito militari quoque præsidio. Arduam autem hanc provinciam susceperunt conservandam, sufficienter de sequentibus postulatis assecuratione præcedente; Ut scilicet Corona visibilis ipsis coram Regno assignaretur, locus Conservatorii tutus deligeretur, & in conspectu Regni, in eo collocaretur. Ut uterque conservatorum, parem haberet in arcem, Castellanos & milites Jurisdictionem, & authoritatem. Ut instructio, cui se accommodare deberent, in articulis præscripta, illis daretur, ne extra vel contra eam ab iis aliquid postulari possit, & tam à Rege quàm Regnicolis manu tenerentur. Ut Castelliani duo jurati ordinarentur. Præsidium domesticum certum juramento præcedente, ad Coronam statueretur. Item ut de suppetiis tempore necessitatis subministrandis, publicè aliquid decerneretur, ut denique de stipendio tam Conservatorum, quàm Castellanorum, & militum pro gradu officii & personarum singulis concluderetur. Hoc Duumviratus Magistratu instituto, atque custodiæ ordine facto, Rex Coronam arculæ ferreæ serâ multiplici inclusam, ex conclavi regio, in turrim arcis Regiæ Posoniensis, primoribus Regni comitantibus deferri mandat, eamque per Principem Carolum à Lichtenstein Stephanum Illeházi Palatinum & Leonhardum Helfridum à Megau à consiliis & cubiculo summum, non sine gravibus monitis, quorum fidei & curæ summum Regni decus, ac ornamentum committeretur, Duumviris Conservatoribus assignat, præsentibus Francisco Forgach Cardinale Strigoniensi, Demetrio Naprághi, Valentino Leepes, Comite Georgio Thurzo, Comite Thomâ Erdődi, Francisco Battiani, Joanne Draskovith, Georgio Homonay, Joanne Lippay, Michaële Szerdahely, Francisco Loránth, Leopoldo Peck & compluribus aliis, tàm ex Præsulibus, quàm Magnatibus & Nobilibus. Cœterum etsi invicta Regis veritas omnem suspicionem ex animis Procerum, ac Conservatorum elidebat, Petrus Revay tamen exemplis veterum quæ circa Coronam fraude & dolo hominum contigerat, edoctus, non plus auribus, quam oculis, in custodiendo thesauro, manibusque fidendum judicans, arcam reserari postulat, & Coronam sacris fasciis involutam explicans, ac astantibus Proceribus ostentans, semel atque iterum percunctatur: An legitimam vetustissimamque illam ritè nossent? Quibus affirmantibus, summis libatam labiis, non sine ullâ de fortunâ illius verborum præfatione, adytis sacris mense ab egressu ejus Pragam septimo, reponit, reconditorio præsentium Procerum sigillis communito. *die 6. Dec.*

Gubernatio *Matthiæ* fœlix & pacata, ut qui & fœliciter pacis decus optatissimum tueri, & bellicâ laude clarissimus, hostem tollere propulsareque cognoverit. Verùm hac quietis & otii fœlicitate, nescio qua suâ fortunâ in nova cum Cæsare *Rudolpho* dissidia ac jurgia incidit. Etsi enim Cæsar *Rudolphus* uno nobili salutarique decreto Hungariam Regi resignaverat cum sacris insigniis, ac spe successionis Bohemicæ datâ Austriâ, & Moraviam eidem *Matthiæ* imperio conjunxerat; tamen hanc Regis fœlicitatem, tandem expedito motu armorum ferre non potuit, utpotè qui velut à fortunâ desertus, Provincias simulatâ coactione concesserat, donec amissarum provinciarum decus recuperaret, nequaquam in eâ veluti indecorâ, & indignâ pace quieturus esse videretur. Quare coacto Electorum Principum conventu, præsentibus *Maximiliano* & *Ferdinando* Archiducibus, inter alia Imperii acta, quod sibi negotium cum *Matthiâ* Rege Hungariæ fuerat, proposuit, Legatisque *Matthiæ* Regis in concilium Electorum Principum admissis, Moguntinus petitionem Cæsaris ex scripto perlegit, ut nimirum Rex *Matthias* Regna, & Provincias, maximè verò Austriam & Moraviam restituere deberet. Legatos postulata Cæsaris referentes, Electores, ac Principes Viennam ad Regem mittunt, ut ibi coram rem agerent. Multumque desudatum est de concordiâ, missis ultrò citroque literis ac consiliis, donec tandem certis conditionibus conciliatio sancita est, quarum primariæ fuerunt: Ut Rex *Matthias*, *Rudolphum* Cæsarem pro summo Moraviæ domino agnosceret, addito ex Hungariâ bis mille urnarum vini & quinquaginta florenorum millium annuo munere. Summa belli contra Turcam penes Cæsarem veluti belli directorem esset, si pacem hostes violarent. Propugnacula Hungariæ etiam militibus Germanis defendenda permitterentur. Cæsare interim usitata ex Regno Bohemiæ, & Imperio pro auxilio ac defensione propugnaculorum stipendia liberaliter suppeditante.

Ab hinc augustissimum *Matthiæ* caput, nihil non meritum quod sublimè quod divinum est, Imperiali exaltatione decoratur, & augustali Diademate accepto, fulgidum Cæsaris potentissimi nomen & dignitatem faventibus superis obtinet. Qua supremi honoris accessione cum ex Imperialibus Comitiis Viennam Austriæ inter lætas congratulantium voces & favorem populi rediisset, eo planè tempore Comes Georgius Thurzo Palatinus ex benigno ejusdem Regis sui mandato & antiquâ Regni consuetudine, Conventum Posonii indixit. Ex quo ab ordinibus Regni, fidelium subditorum officio perfuncturis, ac gestientem incredibili lætitiâ animum, quod in dies majoribus divinis, beneficiis, & decore Regem suum cumulari viderent, palam declaraturis, nomine totius Regni Legati Viennam mittuntur, Demetrius Napraghy, Petrus Revay, Stephanus Amadi, Joannes Lengyel, gratulationem vigesimâ sextâ Novembris in Palatio coram Rege prolixâ oratione prosequentes.

Qua gratulationis formâ ab Hungaris exceptus *Matthias*, etsi novas easque multiplices, ex auctione Imperialis honoris in se reciperet curas, pro singulari nihilominùs & propenso erga hoc Hungariæ Regnum affectu, conatum omnè in id direxit, quomodo res & negotia Regni, tàm apud exteros promota, quàm etiam cuncta ea, quæ ad communem permansionem spectarent, curata fuissent.

1613. Non longo itaque post intervallo generalem Statibus, & Ordinibus Regni ad Civitatem Posoniensem indixit Diætam, quam etiam præsentiâ suâ desideratâ, una cum Annâ Imperatrice in medium Regnicolarum veniendo exhilaravit. Jam omnis solennitas Nuptiarum Regalium Viennæ Austriæ, præsentibus magnâ munerum amplitudine liberalitate & splendore exterorum Regum, Principum & Regnorum Legatis magnificè peracta erat, inter quos Regnum quoque Hungariæ invitatum, siquidem tunc per injuriam temporis gravibus occurrentibus impedimentis, de aliquo honorario providere nequivisset, his demùm Comitiis declarando, animi erga Regem suum gratiâ, nomine nuptialis honorarii, de singulis portis florenum unum obtulerunt. Reginæ similiter in congratulationem primi & novi, in Hungariam adventus, & fœlicis Coronationis honorarii loco, de singulis portis florenum unum. Nam Regis Hungariæ thalamos ingressa, restabat, ut Majestate Reginali more apud Hungaros recepto, per cœremoniam publicam exaltata fuisset, quod ipsâ hac Comitiorum frequentia fœliciter quidem obtigit, sed vix omninò ad antiquum coronandarum Reginarum ritum, in quo ex priscis divorum Regum concessionibus, privilegiis, Belæ Regis & Elizabethæ Reginæ confirmationibus, præcipui hujus ceremoniæ actus, puta unctio, & Coronæ sacræ impositio, ad Vesprimiensem præsulem pertinet, ordo verò qui hic observatus fuerit, infra post Regum coronationem describitur. Insertæ hoc tempore articulis plures aliæ sanctiones necessariæ, utpotè de bonorum Ecclesiasticorum, & sæcularium per Bochkayum & sibi adhærentes ademptorum legitimis possessoribus restitutione: Conditionum cum Legatis Transylvanicis conclusarum confirmatione; Non movendo imposterum aperto bello in Hungaria & partibus ei annexis, & similibus, quæ in constitutionibus anni illius expressè extant.

1614. Immediatè verò sequenti anno Imperialem, Regnorum item & Provinciarum ad civitatem Lynciensem promulgavit conventum, cui Serenissimi *Maximilianus* & *Ferdinandus* Archiduces deputati Regni Bohemiæ, Inferioris & Superioris Austriæ, Ducatus Sylesiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniæ, utriusque ordinis interfuerunt, & quorum accuratæ consultationi, & discussioni prolixis propositionibus expositum sequens negotium subjecit, quomodo nimirum Turca, cujus fides (utpote cui nullum jus divinum & humanum colitur, suspecta est) nihil magis ageret, quàm ut pacis capitulatio (ut vocant) ad Zitvatorok secum & Christianis principibus firmata in cassum abiret, & violaretur, quod ipse tàm literarum superinde factarum falsificatione, astu, & fraude, quam aperta vi & potentia in Regni partibus, excursionibus prædationibus patratis in superioribus, & inferioribus, ab anno sexcentesimo duodecimo supra millesimum pervastando regionem, cœdes accumulando, abactum exercendo, & sic confinia sua extendendo, in manifestum præjudicium, & damnum facere non desisteret; nihilque aliud, quàm generale bellum Hungariæ inferendum, sub variis prætextibus meditari, & turbulenta agitare consilia, tam ex relatione Andreæ Nigronis (qui tum Legationis vices Constantinopoli obibat) quàm aliorum de Republica Christiana optimè meritorum videretur, quem in finem ingentem frumenti copiam, per totam Hungariam, partim ab agricolis & Christiano ac Turcico exercitui præbere victualia consvetis exigeret, commeatum in magna abundantia conveheret, fortalitia tormentorum machinis & omni apparatu bellico instrueret, præsidiis firmaret, multa novorum Turcarum, ac Tartarorum millia, in regionem induceret, fortalitiorum mœnia restauraret. Ante biennium quoque arcem Kallo invasisset, tormenta admovisset, suburbium Tokajensis fortalitii hostiliter adoriri tentasset, nulla habita capitulationis ratione, quam adulteratam illam pro genuina observatione se palàm profiteretur. Nec jam amplius dissimulando scriptione literarum, per Chausum primum, deinde & per Legati missionem, abso-

absolutam declarationem super eo exposceret, ne *Matthias* ulterius de Transylvaniâ cogitaret, neve ullam ampliùs illius mentionem faceret, sibi eam relinqueret, veluti propriam suo motui subjectam hæreditariam, belli titulo à majoribus acquisitam, suum peculium; ubi Gabrielem Batthori vocaret suum Gubernatorem, Transylvanos suos subditos, fideique suæ adhærentes. Gubernatori suo fortalitia in superiori Hungariâ reddi postularet, neque ullam hic admitteret dilationem, sed festinatam evidentem Categoricam urgeret responsionem. Quod autem tantoperè de habendâ Transylvaniâ ageret Tyrannus, facilè cuique manifestum esse, nihil aliud eum agere, quam viam sibi interiora Regni penetrandi præparare. Quæ siquidem à Turcâ nullâ fidei æstimatione, & honore gererentur, responsumque ad Turcicæ legationis summam requireretur, debitâ ratione maturam hanc cum præsentibus universis suscepisset consultationem. In qua tamen eò studia Regis propendere animadversa fuerunt, ut quas longâ expositione irrogatarum recensuit querelas, ultrice Marte & armorum assumptione vindicaret.

Cæterum ex mandato Regio per Comitem Palatinum Georgium Thurzo coactus fuit ad Civitatem Posoniensem Conventus in quo Regni negotium agitatum: qualiter Turcarum Cæsari responderi deberet. Pax inita in eo quo constituta est sensu, & intelligentiâ in omnibus punctis & clausulis sincerè & realiter continuaretur. Transylvania in eo quo antiquitus fuit statu conservaretur, vel certè Regna omnia & Provinciæ ab inopinatâ incursione, & quibusvis hostilibus impetitionibus salvarentur, & defenderentur.

Habito itaque aliquot dierum maturo consilio, rem quemadmodum communi consensu conclusa esset, Regi suo cœterisque Principibus Regnorum & Provinciarum Legatis in Conventu Lyncii constitutis, fideli relatione exponi curant, datâque congruâ instructione verborum, ad puncta singula, referendorum ex eodem Posoniensi Conventu, Legatos deputant, Demetrium Napraghi, Archiepiscopum Colosensem, Valentinum Lépes Episcopum Nitriensem, Petrum Demitrovich Episcopum Zagrabiensem, Petrum de Reva Comitem Comitatus Thurocz Nicolaum Eszterházij, Vitum Milith, Joannem Sandor Nicolaum Malenith, & Christophorum Lachner. Qui omnia commendatæ rei momenta, veluti oleas almæ pacis, insigne ferentes & pacifica consilia tali ferè Orationi inclusa, statuto die Regi Principibus & Confœderatorum Regnorum ac Provinciarum convocatis exposuerunt.

*Serenissimi Archiduces Illustrissimi, &c. Cujuscunque dignitatis: Meminisse dignabuntur Status & Ordines Regni Hungariæ ad hunc augustissimum vestrum Conventum per Dominum nostrum Clementissimum evocatos fuisse, plenâ datâ potestate Comiti Palatino Conventum generalem Posonii indicendi, & cum aliis Statibus, & Ordinibus, certos Nuntios huc Lyncium ablegandi, mandato. Qui per nos plenâ cum potestate exmissos, domino suo Clementissimo longum & fœlix imperium, sublimem ad multa imperia exaltationem, vitam prosperam, & longævam, cum humilimâ subjectionis oblatione precantur; supplicando Domino eorum Clementissimo, ut celeberrimi hujus toto orbe conventus consilia ad pacem cum Turca illibatam conservandam, & stabiliendam dirigere dignetur, pro communi Regnorum, & Provinciarum bono, tum Hungariæ præcipuè, tot bellorum fluctibus agitatæ, & pro Transylvaniâ in societate Christianâ retinendâ, sperantes Status, & Ordines Serenitates Vestras, vos quoque confœderatorum Regnorum socios quibus patriæ salus, & libertas curæ est, unicè pacem, & incolumitatem Christianorum promoturos. Antequam autem ad rem veniamus, nonnulla de moderno & recenti Hungariæ statu præmittere visum, operæ pretium. Ac de florentissimâ quidem Regni Hungariæ nobilitate, militari gloria, triumphis, amœnitate, situ, metallorum omnis generis affluentia, camporum latitudine, pecorum multitudine, terra, & aquis, summa abundantia refertissimi sunt historiarum codices. Terminabat illius Regni fines ab Oriente mare Balthicum, à meridie Adriaticum, ab occidente Austria, ab Aquilone Polonia, Oriens nihil ferè nobis, aut parum reliquit: Moldavia, Valachia Transalpina feracissimæ, exutis Christianorum moribus, Turcicæ, aut Tartaricæ subjecta est feritati. Transylvania nutat, nisi præsenti domini nostri ope confirmetur. Meridiem ad spatium centum milliarium Hungaricorum, magna nostrorum clade, & damno Turca occupavit, & Ottomanicæ Tyrannidi subdidit. Dalmatia, Mysia, Croatia, regna olim florentissima, aut prorsus deleta, aut subjugata. Occidens unicum Nobis præsidium retinuit Ovar nuncupatum, & illud ita desolatum, ruinosum, ut vel levem hostium impetum sustinere non possit. Ad Aquilonem præter Zattmár, Munkach & Cassoviam, nihil solidum, nihil firmum, præsidia ob stipendiorum defectum imbecillia, ad ipsum hostis adventum fugam cogitantia.* 19. Aug. 1614.

*Vbi Buda Regum olim sedes splendidissima amœnissimaque? ubi Agria? cum magno Christianorum damno intercepta. Quid igitur faciendum? Turca perfidus non servabit pacem, & periculum est manifestum, ne aliquo quæsito colore, ut jam sæpiùs factum est, vocatus, Transylvaniam Provinciam naturaliter munitam invadat, & occupet, qua obtenta, nullo labore etiam absque Asiatiaticis copiis, quocunque tempore in Regnum irrumpere potest. Hæc prævenire ne accidant, sapientis est. Irritare autem potentiorem hostem, summæ est temeritatis. Non semper enim bella etiam justa*

de

*de causa suscipienda sunt. Magna res est, deliberationem lentam postulat, siquidem fortuna illius, semper ancipiti stat loco; neque in unius potestate belli finis & initium est. Metienda igitur sunt tempora hostium vires & apparatus diligenter perpendendi, comparanda nostræ vires, vis fortunæ communis animo volvenda. Belli suasores, qui proprium tantum volunt commodum, cædem multorum, imò integri regni, aut Provinciæ jacturam important. Bello silent leges, arva squalore horrida torpescunt, scelera crescunt, nullus sacrorum honos, templa civium cruore madent, Imperator ærarium proprium exhaurit, unde egestas, à subditis immoderatæ exactiones. Deinde si quid boni, & prosperi in bello eveniat, id omnes sibi vendicant, si quid mali, Principes soli malè audiunt. Sic igitur cum barbaris nostro tenui judicio procedendum. Literæ per hunc Legatum Turcicum scribendæ, ad Ottomanicum Principem, jam Regem nostrum certos ad illum gentis Hungaricæ, & vicinorum Regnorum, destinare legatos, per quos ad singula puncta, & clausulas in literis ejus contentas responsurus est.*

*Seriò interim admonendus erit, ut ab excursionibus & violentiis, quibus publica pax turbatur, abstineat, & suos abstinere faciat, quod à parte nostra quoque fideliter præstabitur. Tum etiam Oratores illi omnia gravamina & violentias contra pacem patratas declarabunt, & in Ottomanica porta exaggerabunt, ac pro prudentia sua exprobrabunt, in id vel maximè intenti, ut pacis continuatio etiam de cætero conservetur & stabiliatur. Sic de statu quoque Transylvaniæ Commissarii Hungari, in certum aliquem locum, præcedente præsertim Transylvanorum instantia, cum plenipotentia pro præsentibus negotiis componendis per Regiam Majestatem expediendi erunt, qui restinctis quibusvis novi belli, aut intestinorum odiorum fomitibus, negotium omne cum Transylvanis ita componant, ut tàm hujus Regni, quàm ipsius Provinciæ salus permaneat, omnisque unde huic Regno & ipsi Provinciæ exitium evenire posset, tollatur. Legationis ad Zultanum continuato curriculo, si idem iniquas conditiones proponeret, & per eas pacem rumpere comperiretur, in eo casu Hungari vestigia prædecessorum suorum sequentes, cum confœderatis Provinciis juxta leges eorum, simul vivere & mori, & hosti manifesto se se opponere non prætermittent, præstabuntque, quod fideles, bonosque patriæ Cives decet, modò sua Majestas, sic peractis cum Zultano & Transylvano legationibus, reportatisque utrinque responsis, & intellectis aliis, quæ sub his legationibus accidere possunt, Comitiis indictis cum fidelibus Statibus & Ordinibus Regni communicare clementer dignetur, Neque mirari quispiam debet, quod gens Hungarica bellicosissima, quæ militari fortitudine fines imperii sui propagavit, bellorum pertæsa tantopere otio studeat. Cum enim bellicus apparatus plurima requirat impendia, desolatum hoc Regnum, & debilitatum, quod ducentis jam & amplius annis, cum tota Asia, Africa, & parte Europæ pro Christiana Rep. dimicat, & jam à viginti annis, quo Rudolphus secundus contra Turcam arma movit, nunquam quievit, dum terminos & defectus suos maximè metitur, multis gradibus Ottomanicam potentiam sua damna exsuperasse comperit, quibus debitè exponendis vix eloquentissimus quispiam sufficeret.*

*His igitur de causis Status & Ordines Regni Hungariæ, ad suam Majestatem sacratissimam, serenitatesque vestras, vosque confœderatos socios & vicinos nostros ablegarunt, ut consideratis sapienter hisce causis, paci potiùs & quieti, quàm bello & armis uvà nobiscum studeant, præparationem contra hostem solenniorem instituant, confinia militari stipendio juvent, munitionibus & ædificiis finitimas arces exornent, Regnorumque & Provinciarum antemurale non deserant. Pergite igitur alacriter, & quod majores vestri, nihil præter salutem, & conservationem Reipublicæ spectantes in minoribus periculis præstiterunt, hoc vos in majoribus cum vestris sociis, & fratribus, vicinisque Regnis, tot bellorum procellis, & jam in naufragio periclitantibus, state auxilio primario, & de munitione & restauratione præsidiorum decernite: ut sic omnibus Regnorum defectibus in optatum statum, & nitorem reductis, desiderata pace frui communibus auxiliis possimus.*

*Sic igitur Turcarum Principi respondebitur.*

*Sic pax Deo propitio continuabitur.*

*Sic Regno Hungariæ, cæterorumque confœderatorum Regnorum & Provinciarum saluti consuletur.*

Hæc quidem oratio, quam hic præcipuis membris contractam perstringere placuit, ita directa fuit, ut in publico Serenissimorum Principum, Archiducum, cæterorumque Regnorum, & Provinciarum Confœderatorum, Legatorum consessu, diceretur, verum quæ Cæsaris fuit voluntas, scripto exhibitam eam præsentarunt. In notitiam deinde aliorum Legatorum, ubi pervenisset, eam suo approbarunt calculo, & in eam condescenderunt sententiam, ut priùs quàm belli alea experienda foret, res consilio decerneretur. Collatis ergò sententiis, Turcarum Imperatori in hunc modum responsum fuit.

1614. 27. Maji. Meminisse quidem Majestatem Regiam, quomodo pax ad Zitvatorok utrinque inita, scriptis signatisque literis comprehensa, à Divoque *Rudolpho*, & moderno Rege, ac Cæsare juxta posteriorem pactorum formulam confirmata fuerit, nihilque sibi magis curæ fuisse, quàm ut pacis leges, & jusjurandi utrinque præstiti fides inviolata, & integra perstitisset, absq;

mutatione aliquâ, & fraude, gravi edictâ cautione, ne quis clam vel apertè in quacunque parte Regni constitutus, sub pœnâ capitis illam turbare, aut paci aliquid contrarium facere ausus fuisset. In majorem etiam pactionum firmitatem Andream Nigronium duobus abhinc annis Constantinopolim, ut illa quæ componenda restarent integre componerentur, expedivisse, eâ fiduciâ quod Turcici Imperatoris Legatus secundum initæ pacis conditiones expediretur, quod cum præstitum non fuerit, sed quædam interea dissensiones, & offensiones, occasione Transylvaniæ vicinorumque locorum inciderent, aliæque multiplices actiones hostiles ex finitimis ipsius ditionibus, in nostris Regnis & Provinciis patratæ fuerint, ut eæ prohiberentur, se postulasse, suasque eo nomine querelas Constantinopolim misisse, quæ cum tam arduæ fuissent, ut non nisi ab utroque Imperatore componi potuissent, se ea supra dicto Nigronio tractandas commisisse. Sed quandoquidem ille hucusque in ditione ipsius teneretur, neque quo in cardine ardua hæc negotia versentur sciatur, difficile esse ad omnia Literarum ipsius capita nunc respondere. Ubi autem ad se unà cum nostro Orator Turcicus advenerit, adhibito quorundam ex regnis ditionibusque suis primariorum consilio, plenius se responsuros. Admonitum interim esse velle, ne contra stabilitæ pacis jura aliquid à suis patrari violenter permitteret, contrarium facientes punirentur, quod à parte suâ observari sibi persuaderet. Quòd si verò ab ejusmodi actibus hostilibus sibi minus temperaverit, se justâ causâ vindictæ præbitâ nequaquam ulterius dissimulaturos, sed quibuscunque viribus ultionem persecuturos. De Transylvaniâ vicinisque castris, & arcibus, quas usque adeo in literis suis urget, ubi Commissarrii, qui ad negotia illa tractanda eò missi sunt & Andreas Nigronius unà cum Turcico Oratore redierit, sibique de successu tractationum exposuerint, se maturo & æquo responso mentem suam aperturos esse.

Ita Hungaria pacis studia veluti novo fati beneficio, maximoperè excoluit, Jurisdictioni operam dedit, dum interim Legati, quos *Matthias* ad Zultanum, sub ipsis Regni initiis miserat, redierunt. Hanc pacis malatiam, subita ex Transylvaniâ, partibus præsertim superioribus Hungariæ, turbavit tempestas. Obtinuerat ipsius imperium Gabriel Batthori, antiquo stemmate ortus, animi & corporis dotibus insignis. Cum eo annis superioribus pax signanter, & anno Millesimo sexcentesimo decimo in oppido Tokay, tractante Comite Georgio Thurzo Palatino, & aliis Consiliariis Regiis, datis & acceptis conditionibus, assecurationibusque interpositis, firmata fuerat: postquam verò inconstans Transylvania & partes præcipuè Hungariæ superiores arsissent dissidiis: Miserat ille & legatos ad *Matthiam* Regem Hungariæ, per quos & favorem Regis petebat, & leges omnes bonæ vicinitatis & antiquæ cum Hungaris necessitudinis offerebat, salvâ Turcarum clientelâ, quam nullo modo violare, neque cuivis fœderi posthabere voluit. Verùm malè tractatis quibusdam Baronibus & clientibus, quos in illis locis *Matthias* summo jure beneficiorum sibi obstrinxerat, prætextu quodam perfidiæ in vincula conjectis, & præcipuè Haidonicæ militiæ Principibus, ad defectionem partim sollicitatis, partim suo stipendio illigatis, deprædata quoque & rapinis deformata Valachia, quæ Radulo in fide *Matthiæ* constituto parebat, animum inquietum, & aversum ostendit. Quod ipsum cum indignè ferret *Matthias*, contracto exercitu Duce Sigismundo Forgách in Transylvaniam penetratum est. Ubi cum ad ea loca pervenissent, unde sine summo periculo pedem referre, & certis hostium insidiis redire non licuit, absumtis omnibus commeatibus, ingruente fatalis frigoris, ac nivium tempestate, fame præcipuè intolerabili affligente, quæ eos ad esum equinarum carnium compulerat, de reditu consultatum, & statuto reditus die per invia Alpium & sylvas inamœnas, ac horrentes per Moldaviam, ac deinde per Poloniam in Hungariam perventum magnâ clade, & strage exercitus, quæ antiquis cladibus par aut certè non dissimilis fuit. *Durissimi hostes duo, atque nullo exercitu expugnabiles fames & frigus, attestante Cyro. Ideò cavendi, nec temerè in hostium, absque commeatu, & annonâ, non exploratâ denique loci, & temporis naturâ irruptio neque tuta, neque diuturna, neque fœlix suscipienda. Verum sicut militum ars est scire, quâ ratione pressi, pedem servatis ordinibus referre, & prementes hostem pedem inferre debeant: Ita magna Ducis acies instruentis ars quoque est, sic aciem disponere, ut spacium militibus ad pedem referendum liberum, & tutum relinquant: quod ipsum à Romanis diligentissimè observatum.*

Restabat quædam conditio pacis cum barbaris factæ de pagis deditiis, quam legati Turcarum Imperatoris, apud Cæsarem sæpiùs urserunt, eâ igitur complanatâ postulante per legatos Sultano elapsis jam decem à priori pacis tempore annis, ad alios viginti annos fœdus extensum est. Promulgatâ pace, non deerant legum pacis interpretes, qui quod centum sexaginta pagorum libertas, ac incolumitas cum religione, pacis prætextu in diram Turcarum servitutem, prostitueretur & venderetur, ideoque indignam nomini Christiano, nec pacem sed pactionem servitutis esse judicabant. Verum ut tranquillitas Regni stabiliretur & ne tempestas belli aliquid deterius secum traheret, *Matthias* conditionem præsentem pro ratâ acceptare necessum habuit.

Sub-

1616. Subsequentibus temporibus Sigofridus à Kolonich, statim à carcere, ex quo multorum intercessione liberatus erat, ad privata & nova consilia conversus, moliri aliquid in Regno cœperat, paucis primum sociis militibus, arcem & oppidum Dévén violenter extorquet, unde majorem colligendo numerum, ad Posonium Coronæ sedem accessit, Nassadistas & alios milites in verba Cæsaris ligando. Tentabat præcipuè arcis Castellanos, Præfectos tàm Germanorum, quàm Hungarorum, habito cum illis privato colloquio: quâ re intellectâ Coronæ Conservator, tempestivè conatus illius antevertit. Ipse verò Kolonich non multis post diebus in carcerem Viennensem reductus est.

Aberat aliquantò Cæsar ab Hungariâ & jam pridem cum immortali domus Austriacæ gloriâ, Undecimus Imperii insignia consecutus, in administrandâ Rep. inclyto quodam diversarum virtutum temperamento fortunatissimus, & in Bohemiâ Pragæ præclarâ pacis usurâ, multis rebus bonis & laudabilibus constitutis, quod cum Augustâ Imperatrice, spem sobolis aut dubiam aut nullam haberet, successoreque, (qui dum incertus regnum solet multis incommodis & seditionibus laborare) designato Archiduce *Ferdinando*, obtinuit apud Bohemos, ut vivente ipso, Regiis insigniis exornaretur, illâ conditione ne Cæsare superstite, quovis modo gubernationi Regni se insinuaret, aut immisceret.

In Hungariâ quoque regiminis sui anno decimo, Generalia Comitia, pro Dominicâ *Invocavit* Anno Millesimo sexcentesimo decimo octavo, ad Civitatem Posoniensem indixit, quibus cum valetudine dubiâ & imbecilli præpeditus, in personâ suâ interesse minimè posset, eundem Archiducem *Ferdinandum* Regem Bohemiæ, patruelem suum, eorundem præsidem constituit, quem decimo nono Mensis Martii Posonium adventantem, ex Prælatis, Baronibus, Magnatibus, & primâ Nobilitate certo numero, ad propriorem Danubii ripam profecti, navigio ab ulteriori parte transvectum, oratione gratulatoriâ, per Archi-Episcopum Strigoniensem recitatâ exceperunt, atque inter tormentorum majorum & sclopetorum, tubarum denique, & tympanorum strepitus, processu ad portam S. Michaelis circumacto, in hospitium in Civitate ordinatum deduxerunt, modo & ritu parumper absimili, quàm quo Reges alias coronandi, ex antiquâ gentis consuetudine excipi solent, eo quod Regem *Ferdinandum*, tanquam præsidem Comitiorum & Commissarium à suâ Majestate deputatum, Status & Ordines acceptarent.

Alias autem (ut & illud obiter addam) ubi destinatè ad ipsum Coronationis ritum peragendum Principes advenire solent, tum præhabitâ consultatione super decenti & ordinata ejus exceptione, & postquam de die adventui præfixo innotuit, omnium Regnicolarum consensu supremus eligitur Capitaneus, qui exercitum obviam progressurum ordinaret, ut ritè, & sine tumultu procedentes nulla turbaret confusio, atque sic dato signo, & lustrato coordinatoque discretè juxta dignitatem cujusque, & præeminentiam, quo quisque Baronum, & Magnatum instructus venit milite, in campum illum qui est ultra Danubium cis-castrum Keopchin, cum totâ pompâ, medio pontis navalis, aut naturâ temporis constricti præterfluentis proficiscuntur, advenientem Principem excepturi: præmissis quoque ex Prælatis & Baronibus, personis certis, quæ eum de futuræ exceptionis apparatu edocerent. Quibus ita dispositis, Proceres omnisque Nobilitas sequuntur, Principem paulò sejuncti à turbâ præstolantur, & appropinquantem congratulatione, & voto medio Archiepiscopi Strigoniensis excipiunt. Quo peracto, Princeps proficiscitur in Civitatem, præcedente exercitu Hungarico, proceribus & omni Nobilitate; Cives Posonienses, quem ex civibus suis conscribunt militem, à ponte decenter ordinatum longè explicant, princeps verò deducentibus eum omnibus qui secum venerunt Principibus, Prælatis, & Baronibus, Nobilitateque tàm Hungaricâ, quàm aliarum nationum, civitatem inter crebros, & ingentes bombardarum strepitus, tubarumque continuos clangores ingressus, in locum sibi assignatum divertit. Sed ad propositum.

Inter alia itaque, publicè Status & Ordines per Melchiorem Glezelium Cardinalem Viennensem & Novæ Civitatis Episcopum, Cæsareum consiliarium secretum, & ejusdem Consilii Directorem; item Joannem à Molard Liberum Baronem in Romek, & Drossondorff Cæsareum Consiliarium intimum, Camerarium, Consilii Bellici præsidem, & Civitatis Viennensis supremum Capitaneum, nec non per Joannem Ludovicum ab Ulm Cæsareum Consiliarium secretum, & Sacri Imperii Procancellarium requirendo, ut accuratè & diligenter perpensâ ætate suâ, ingravescente, quàm valetudinis, plerumque minùs firmæ incommoda comitari solent, probeque considerato eo, quàm vanis tempestatum procellis, & motibus Interregna semper agitari soleant, ab hominibusque naturali regnandi cupiditate accensis, omnimodè impetantur & hoc regno præsertim Hungariæ, quod nationibus variis circumseptum, popularium dissidiis, & potentis, vicinique hostis cupiditati obnoxium est, evenire posset, Archiducem *Ferdinandum* Regem Bohemiæ, ex Inclytâ Domo Austriacâ, de rebus Hungaricis, multis

seculis

culis optimè meritâ oriundum, prudentiâ, aliisque dotibus Regalibus sufficienter instructum, pro futuro ipsorum Rege acceptare proclamare & agnoscere velint.

Super qua Cæsaris paterna curaqua de certo successore, qui Regni hujus gubernacula capesseret, certi quid statuendum censuit, maturâ deliberatione præmissâ, bonis modis & rationibus, post longas de asserenda electionis libertate disputationes, & controversias, surrogato prius in locum, Comitis Georgii Turzo defuncti Palatini, (dum jam anno integro & mensibus aliquot eâ dignitas in Regno vacasset) Comite Sigismundo Forgach de Ghymes, & præscriptis ante omnia eligendo septemdecim conditionibus, in suffragia itum. Quarum quidem Conditionum summa hæc est. Cavebatur nimirum illis de universis & singulis Regni libertatibus imunitatibus, & Privilegiis, statutis, juribus, & consuetudinibus, simul & conclusione Tractatus, Viennensibusque articulis in eo comprehensis, ita & reliquis, ante & post Coronationem, regnantis Regiæ Majestatis, in omnibus punctis, clausulis, & articulis, per eligendum & alios observandis. Gravaminibus mox initio regiminis suscipiendi, in Diætâ intra sex menses indicendâ, tollendis, aliis quoque difficultatibus sub regimine ejus emersuris, in Diætâ semper intra triennium promulgandâ effectuandis, & complanandis; Negotiis & rebus omnibus Hungaricis, supplicantium causis per Hungaros tractandis, & consultandis: Præfecturis confiniorum nativis Hungaris conferendis: Judiciis Octavalibus statutis temporibus & locis celebrandis, exercitio religionis libero ubique in Regno, & omnibus etiam in Fisci bonis relinquendo, nec per eligendũ, aut alios quosvis Dominos Terrestres turbando, Palatini electione, authoritate, jurisdictione, & officio, suo loco retinendâ, confiniis firmandis, civitatibus liberis, & montanis, in libertatibus suis conservandis. Corona in Regno per personas sæculares, utriusque religionis, ad id unanimiter deputatis conservanda; Metis Regni non abalienandis differentiis earum cum vicinis provinciis componendis. Confœderationibus cum Regno Bohemiæ, vicinisque regnis ac Transylvaniâ sanctè observandis, bonis ab Austriacis possessis gratis, auxilio, & munificentiâ eligendi remittendis, vel verò depositâ inscriptionis summâ & Castri Lublyo cum tredecim oppidis & pertinentiis Regno Hungariæ applicandis, cum non defuissent modi sumam illã inscriptionis deponendam: Militum Haidonum privilegia confirmanda; assecurandis denique Regnicolis, quod eligendus vivente suâ Majestate Cæsareâ, in nullam Regni administrationem sese intromittet absque suæ Majestatis specificâ voluntate & Regnicolarum consensu; Acceptatis hisce omnibus & assecuratoriis literis extradatis, paribus votis Archidux *Ferdinandus* in Regem Hungariæ die decimâ sextâ Maji proclamatus est, quem Status & Ordines numero frequenti adeuntes, de electione certiorem reddiderunt, Regem & Dominum suum agnoscentes, votis & acclamationibus totâ aulâ resonantibus, ob novæ dignitatis accessionem pariter gratulati sunt; disceptatum proximè est de præfigendo coronationis die, qui dum quæritur, jamque decimus octavus junii laberetur, subitò atra tempestas horâ circiter secunda punicum cœlum turbasse visa est, micantes in acie coruscationes, inter quas telum fulmineum horribili fragore delapsum in turrim Coronæ conservatorii impegerat, novo prodigio perculsis hominum animis, & quoniam fatalia sorte audita sunt fulmina, de omine aliis aliter cogitantibus, ut ex his versiculis ab homine non obscuro, uno ex Commissariis Cæsareis confectis apparet.

*Hungarici Proceres sacram differre Coronam*
*Cui Deus & sanguis, votaque cuncta favent,*
*Nil facitis; siquidem mundoque Deoque resistunt,*
*Qui condunt fulmen quod reserare potest.*

Biduo post in limitanda Coronationis die conventum, quæ prima Julii nominatur, tandemque post reliquos Tractatus Diætales, ad calcem deductos, invocatione nomins Divini prævia electione solenniter dicta luce, quæ in tertiam Trinitatis Dominicam incidit, coronarunt, modo & ordine integro seriatim, & accuratè in posteritatis gratiam jam describendo, actibus minutioribus quoque non prætermissis, eo quod hoc temporis de cæremoniæ istius decenti coordinatione & dispositione, non levis orta fuit difficultas. Cæremoniarum autem descriptio & processus directio imposita erat Marschalco Regio *Ferdinandi* Bernardo à Hermenstein & Petro de Reva.

Ante omnia primo diei exortu ad portas Templi collegati S. Martini, ne tumultuariè vulgus, & plebs irrueret, ordinati Magnates Nicolaus Forgách, & Thomas Pograni, Nobiles Stephanus Herencheni, & Nicolaus Chehi, dispositis circa templum in cœmeterio pro custodia centum armatis Hungaris, atque aliis centum sclopetariis militibus Germanis.

Hora quinta ad hospitium comitis Palatini Sigismundi Forgach, infra scripti Regnicolæ convenerunt, ac ad levandam, & deportandam Coronam & alia clenodia pro Coronatione in arcem profecti sunt. Conservatores Coronæ Comes Palatinus Demetrius Napraghy Archiepiscopus Colocensis, Petrus Demitrovich Episcopus Zagrabiensis, Franciscus de Battyán Agazonum Magister, Georgius Homonnay, Stanislaus Thurzo, Paulus Appo-

Melchior Alaghy, Nicolaus Eszterházi, Christophorus Erdödi, Comes Georgius à Zrinio, Comes Emericus Thurzo, Georgius Szeczy, Sigismundus Rakoczy, Caspar Illesházy, Stephanus Vesseleni, Michël Karoly, Caspar Horvath de Vegla, Sigismundus Præpostvári, Benedictus Pakay, Nicolaus Dallos Nuntius Capituli Strigoniensis, Balthasar Napuli Præpositus Zagrabiensis, Stephanus Patachich Moyses Czyráky, Sigismundus Loniay, Caspar Terstyanszky, Joannes Sandor, Franciscus Ztrucz, Martinus Revai, Michaël Zerdahely, Franciscus Zantoházi, Valentinus Horvath, Nuntii Civitatum, Cassoviensis, & Sopronienſis. His Cæsar delectos cum clavi seraturæ sive cistæ ferreæ, ubi recondita erat Corona, adjunxit, Melchiorem Glezelium Cardinalem, Joannem à Molard, Joannem item Ludovicum ab Ulm Procancellarium Imperialem. Quibus omnibus clarâ voce primo per Petrum de Reva Conservatorem Coronæ interrogatis, an Regis & Regnicolarum, esset voluntas, ut Conclave aperiretur, & Corona cum clenodiis eximeretur, iisque assentientibus, Conclavi aperto, ex arcâ ferreâ exemptam Coronam, atque alii cistæ purpurâ tectæ, unà cum aliis clenodiis inclusam, curruique cardinalis Gleselii datâ operâ fortè subordinato, vel quo devehi Coronam ex receptâ consuetudine decuit, vel quod currus Electi tardiùs veniret, impositâ, ad Templum majus deduxerunt, latera currus præsidiario milite Germanis viginti & Hungaris totidem cingentibus: Quod magnâ cum displicentia intuitus fuit *Ferdinandus*, Cardinalis non multo post Coronationem, Viennæ Austriæ ex concurrentibus aliis in Cæsarem, & Regem offensionibus, ex sede Cardinalitiâ in censum summum vulgarium detrusus, ex summâque authoritate dejectus, carceri Græcensi traditus est.

Ad templum ubi ventum fuit, quatuor ex numero Magnatum, videlicet Comes Christophorus Erdödi, Sigismundus Rakoczy, Michaël Karòly, & Sigismundus Præpostvari, ii nimirùm, qui Cistâ Coronæ, & Clenodiorum sublatam ex turri ubi asservabatur, in currũ detulerunt, eandem rursus ad gradus cœmeterii ex curru delatam, in Sacristiam deportarunt.

Depositâ coronâ cum clenodiis ad altare in Sacristia præparatum & ornatum, coronæ conservatores penes coronam remanent, atque coram Deputatis cum clavibus cistâ reseratâ, coronam eximunt, ad portam atrii sacristiæ castellanis duobus, item ex Satrapis custodibus coronæ Hungariæ sex, & Germanis sex collocatis, reliquis verò suprascriptis personis, comitem Palatinum ad Regem in aulam comitantibus. Erat autem mensa retrò summum altare præparata, ad quam exemptũ paludamentum Regium, & alia indumenta velo tecta per Benedictum Pakay, Personalem præsentiæ, & Moysem Czirâky, Petro de Reva præeunte deportata sunt. Accessum in ascensu ad sanctuarium observabant in templo majori, Stephanus Doczy, Andreas Jakusith, Gynecæi ordinationem in admissione ad theatrum præparatum peregit, Stephanus Vesseleni; In statione Musicorum Capellæ Regiæ Majestati extructæ ordinati pro custodibus Stephanus Pograni, Franciscus Pograni. Vexilla Regnorum decem, convoluta ad portam ingressus in atrium ad sacristiam parieti inclinata constitêre.

His tali ordine dispositis, Electus ex domo residentiæ in Templum majus horâ septimâ venit, quem venientem antecessit comes Palatinus, Magnates Regni, Status & Ordines: post ingressum in Templum in modicâ distantiâ ad latus, secutus est Archidux *Maximilianus* nudius abhinc tertius Viennâ Posonium, ad condecorandam coronationis solennitatem secundo Danubii cursu deductus, eodemque curru quo Electus, ad gradus cœmeterii devectus. Sequuntur tandem Aulici Regii, Archiducis *Maximiliani* singuli pro dignitatis ratione procedentes.

In ingressu Regi obviam processerunt, Bernhardus ab Hermenstein Baro, Marschalcus Aulæ cum Petro de Reva, Magistro curiæ per Hungariam usque ad atrium Templi, & Electum præcedentes dedux erunt in sacristiam. Archidux verò *Maximilianus* directè in sanctuarium, ad locũ adornatum in ordine subselliorum sinistro (Cardinalis autem jã ante in loco suo in dextro subselliorũ ordine confederat) abiit. Toto durante processu, usq; dũ in sacristiã perventũ esset, Musici tẽpestivè per theatra dispositi, continuis tympani & tubarũ perstrepebãt clangoribus.

Facto silentio, coronam & cœtera clenodia cum vexillis expansis, Petrus de Reva distribuit, mox processuro ad thronum, in modica à gradibus Altaris distantia, in meditullio subselliorum utriusque Ordinis extructum, Regioque apparatu exornatum, Regi præferenda.

Ac vexilla quidem distributa fuerunt hoc modo: Hungariæ vexillum Nicolaus Eszterházi prætulit: Dalmatiæ comes Paulus de Nadasd: Croatiæ Georgius Szechy: Sclavoniæ Comes Christophorus Erdödi: Ramæ Comes Emericus Thurzo: Serviæ comes Georgius à Zrinio: Hallitiæ Christophorus Banffy: Lodomeriæ Sigismundus Rakoczy: Cumaniæ caspar Illesházi: Bulgariæ Michael Karoly, quæ singula singuli ut cuique sunt attributa, in memoriam asservant; olim & Divi Stephani vexillum in coronationibus præferebatur, quod in inauguratione Caroli parvi confractum historia ejusdem memoriæ

moriæ tradidit. Porrò Coronam portavit Comes Palatinus Sigismundus Forgách: Gladium evaginatum Franciscus de Battyan Agazonum Magister; Sceptrum Judici Curiæ gestandum conveniebat, sed vacante eo officio, gessit Regni Sclavoniæ Banus Nicolaus de Frangepanibus Pomum absente Thoma Erdödi Tavernicorum Magistro, Georgius Hommonnay: Gladium Sancti Stephani in vaginâ reconditum Andreas Doczy: Pacem Stephanus Pálffy: Crucem auream Stanislaus Thurzo.

Post factam singulorum distributionem, Marschalcus cum Petro de Reva ad Sanctuarium profecti, deduxerut duos Episcopos, quos Archiepiscopus Strigoniensis ordinaverat, ad limen januæ Sacristiæ, ubi electum præstolati sunt, & egredienti se se adjunxêre atque ad aram majorem utrinque progressi electum comitabantur, præcedentibus cum clenodiis singulis & vexillis expansis binis, & binis: postmodum ad thronum utrinque erectis vexillis constiterunt. Heroldus Hungariæ & Bohemiæ anteibat, Marschalcum & Magistrum Curiæ Petrum de Reva, astiteruntque Regi ante thronum declinantes parumper ad dextrum latus à throni imâ basi. Summates verò Clenodia portantes, postquam ad summum altare devenerunt, ex manibus ipsorum Clenodia per astantes Episcopos excepta fuere atque super altari collocata, ipsius ad dextram Throni steterunt, Marschalcus cum Petro de Reva ad sinistram.

Quo facto processit Electus ad altare, & genu flexo super pulvinar holosericum, Cæremonias solitas peregit Archiepiscopus Strigoniensis.

Post Litanias finitas, Electi habitus, ad pectus solvitur, sic etiam ad brachium dextrum, in loco ad hoc destinato, per supremum Cubicularium, & Andream Doczy cubiculariorum Magistrum, quod unctio subsecuta est. Quâ peractâ, indutus Electus habitu, & paludamento Divi Stephani Regis, consedit in Throno comitatus ab Archiepiscopo Colocensi & Cancellario, ad latus Throni consedentibus. Post cœremonias, Missæ introitus decantatus, post Epistolam & Graduale, ut vocant, Gladius S. Stephani evaginatus, manibus Electi traditus est, cum sermonibus in Pontificali contentis. *Accipe &c.* Mox resumtus Gladius, & reconditus accingitur Electo cum verbis &c. Quo evaginato, conversus ad populum, tres ictus fecit, introrsum & ad latera duo, tandemque recondito, flexit genua. Accidit autem ut cingulus gladium sustinens, dum lateri Regis accomodatur ruptus, redintegrari necesse habuerit, vetustati in præsagio adscribant, aliis liberum relinquitur.

Postmodum Comes Palatinus accedens ad supremum gradum altaris, acceptâ Coronâ ex manu Archiepiscopi, obvertit se ad Regni Status & Ordines, ac tribus iteratis vicibus interrogat, an Electum (quem proprio nomine appellat) Regem coronari velint? Qui ad interrogationes singulas consentientes proclamant, *Volumus.* Hæc illa est gravis, & ponderosa vox, potententiam juramenti complectens. In Coronatione tamen Ladislai Posthumi, ut luculenter, ex constitutione Regni apparet, Status & Ordines Regi ad fidelitatem & obedientiam præstandam in comitio Posoniensi jurare debuerunt, id quod hodie unius hujus vocis efficaciâ suppletur, & pro rato habitum observatur. Hanc, votum immediatè excepit, vivat. Rex, vivat. Deinde per Archiepiscopum Strigoniensem Petrum Pazmány corona capiti Regio imponitur, attrectant Episcopi astantes, præbetur sceptrum; & Pomum coronato. Fuit iste tum in coronâ notabilis casus, quod una catenula ex dependentibus in hoc actu distracta decidens, filo sericeo suppleta est, & religata.

Peractâ coronatione discinctus Rex gladio S. Stephani, quem Andreas Doczy, recepit: Mox Archiepiscopus cum aliis Episcopis deducunt Regem ad Altare, ad solium Regi præparatum coronâ redimitum, sceptrumque & pomum gestantem. Cantatur *Te Deum laudamus &c.* usque ad finem, alternis vicibus tympanis & tubis, ac musico cantu jam ante proximè peractis, cum tormentorum, & sclopetorum explosionibus.

Absolutis orationibus, & benedictionibus, redit Archiepiscopus ad cantandum Evangelium. Interim Sceptrum & Pomum, à Rege eximuntur per Marschalcum & Magistrum Curiæ ac assignantur personis quæ ea gestarunt, qui receptis iisdem ante solium Regis utrinque constiterunt. Cantato *Evangelio* & *Credo*, deducitur per deputatos Episcopos ad offertorium, flexoque genu obtulit, non modicam auri quantitatem, inde reducitur ad thronum ab Episcopis. Tandem coronam ex capite Regis levavit N. ab Ekenberg Magister curiæ Regis *Ferdinandi*, & Marschalcus, eandemque comiti Palatino tradiderunt. Pari modo sub elevatione gestando clenodia ante thronum Regium, eadem inverterunt, ut superior pars terram respiceret, quæ postquam peracta est, rursus erexerunt.

Perductum fuit Missæ officium usque ad communionem quo tempore Rex à duobus Episcopis deductus ad communicandum; ubi rursus ad voluntatem Regis, N. ab Ekenperg & Marschalcus coronam Regis tollebant, ac interim ad inclinatorium throni collocabant. Post communionem reducitur ad thronum prædictis Episcopis à latere comitantibus; apponitur ipsi rursus corona per N. ab Ekenperg Magistrum curiæ & Marschalcum.

Finitâ Missâ, constituti custodes aperiri fecerunt portam inferiorem majorem, versus scholæ partem, & fuit processus per pontem panno viridi, & rubro stratum, ad claustrum ordine eo, quo ex sacristiâ, cum vexillis aliisque clenodiis egressus fuit. Hic Thomas Bosnyák & Caspar Horváth Regnicolarum Directores ordinati, ut procederent sine hæsitatione plebem & vulgus ad partem removent. Ad latus Regis sinistrum Archidux *Maximilianus* in exiguâ distantiâ sequi debuisset, sed corporis imbecillitate detentus, mansit in Templo. Processit itaque Rex inter duos Archiepiscopos Strigoniensem, & Colocensem; reliqui Episcopi item supremi Camerarii Regis, & Archiducis aulici sequuntur, quos prætorianorum militum capitaneus D. à Menspergh, cum nonnullis Satrapis à lateribus procedens claudebant.

Post aliquam distantiam duo Regis Aulici equitantes, bursasque in collo suspensas habentes, coronati Numismata nomine Regio atque Emblemate cusa spargebant, stipati quatuor viris primariis, per Franciscum Battyani Agazonum Magistrum ordinatis, qui irruentem populi confusionem impedirent. Jaciebatur autem pecunia à Cathedrali Templo usque ad claustrum. Mediocri demum interjectâ distantiâ Capitanei præscriptorum ducentorum sclopetariorum, quibus processio claudebatur, ordine per pontem ibant. Cives in armis in statione ad latera pontis ordinati & injunctum civium Magistro, ne illi rapuissent pecuniam.

Custodes portarum Claustri ex Hungariâ duo Magnates Stephanus Ostrosith, Stephanus Pograni, Nobiles Daniel Eszterházii, Stephanus Soos. Ingressus templum Rex consedit in throno in habitu, & accincto per Andream Doczy, & supremum Regis cubicularium gladio S. Stephani, Equites creat auratos, recensitis seriatim per Comitem Palatinum eorum nominibus. Reliquorum Clenodiorum gestatores ad Thronum ordine dispositi steterunt, quo proximè in summo Templo. Fuit autem Cathalogus auratorum equitum iste. Ex ordine Magnatum, Comes Georgius à Zrinio, Comes Paulus de Nadasd, Nicolaus Eszterházii, Joannes Pálffy, Caspar Horváth de Vegla, Caspar Illesházy, Sigismundus Præpostvári, Petrus Forgach, Petrus Balassa, Stephanus Pograni, Joannes Ostrosith; Ex ordine Nobilitari, Martinus Moricz, Stephanus Balogh, Stephanus Herenchini, Franciscus Beniczki, Joannes Lengiel, Balthazar Lengiel, Joannes Katay, Stephanus Soos, Daniel Eszterházii, Paulus Eszterházi, Gasparus Horvath de Vasonkeo, Georgius Gondicz, Joannes Kis, Joannes Orlay, Franciscus Balogh.

Peracta creatione Equitum auratorum, Rex insedit equo albo, sic etiam cœteri Prælati, Barones, & Magnates, eodemque ordine vexilla & clenodia extra portam S. Michaëlis; prælata sunt, prout in processu pedestri factum erat, ubi Hungarorum equitum & peditum turbæ, ad latera progressus dispositæ equitantes, Regem cum Regnicolis usque ad collem proximum & ultra claudebant. Theatrum sive tabulatum in aprico ante portam rubro & viridi panno circumdatum stetit, in cujus medio Thronus aliquanto eminentior, aureo panno tectus extitit, quem Rex ex equo descendens ascendit, & stans erectisque duobus digitis prosequendo Archiepiscopum Strigoniensem juravit in modum formæ constitutionibus *Ferdinandi I.* præfixæ. Aderant præterea in theatro Archiepiscopus Colocensis, Comes Palatinus Sigismundus Forgácz, Franciscus Battyani, Andreas Doczy, & Petrus de Reva. Jurante Rege omnes apertis stabant capitibus: post juramentum: unanimiter proclamatum *Vivat Rex*: mox secutæ tormentorum, & sclopetorum explosiones.

*Ante Decretum Budense An. 1527.*

Interim Rex descendit ex throno, & insedit equo, cum comitiva Regnicolarum equitantium, inter tympanorum & tubarum sonitum, & clangorem processit ad collem vicinum, & stantibus Regnicolis procurrit citato cursu, ad summitatem, ubi in crucis formam ictus fecit versus Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, atque hoc tempore tertiò explosa tormenta & sclopeta.

Porrò processus continuatus eodem ordine equitando ad arcem, inter Germanum militem à portâ S. Martini, usque ipsam arcem, per declivia collis utrinque coordinatum. In qua siquidem area angustior, Magnates & Nobiles, præter illos qui vexilla & clenodia portarunt, equis relictis, ad domunculam propugnaculi portæ arcis pedes processerunt, usque ad locum, quo Rex, ex equo descendit, advertente Thomâ Bosnyak & Casparo Horvath, ut Magnates & Regnicolæ huic ordini sese accommodassent.

Postquam ad arcem ventum fuit, Rex secessit in hypocaustum peculiare, nec multo post in habitu Regali Coronâ redimitus assedit Mensæ solus in speciali throno, aureo panno obducto, ad prandendum. Ad dextrum latus Serenissimus *Maximilianus*, à sinistris Melchior Cardinalis Glezelius, proximè Petrus Pazmany, Archiepiscopus Strigoniensis; Mox Comes Sigismundus Forgach, Regni Palatinus, Demetrius Napraghi Archiepiscopus Colocensis.

Mense assidere debentibus lavacrum & mantile subministrarunt: Regi lavacrum porrexit

rexit Georgius Homonnay, mantile Comes Sigismundus Forgach Palatinus, à prandio verò eodem accumbente Petrus de Reva Magister Curiæ. A ministerio poculorum Georgius Homonnai, Pincernarum Magister; Panathier Comes Emericus Thurzo: præcisoris munere functus est Stanislaus Thurzo, penes Archiducem mensæ assistens: auri & argenti custos Petrus Balassa.

Archiduci *Maximiliano* lavacrum porrexit Georgius Szechy; Mantile Sigismundus Præpostuari; Poculorum administrator idem Georgius Szechy; Cardinali, lavacrum porrexit Nicolaus Forgach, à poculis idem, mantile Sigismundus Rakoczy. Archiepiscopo Strigoniensi lavacrum porrexit Michaël Karoly, à poculis idem, mantile Petrus Forgach. Archiepiscopo Colocensi lavacrum porrexit Nicolaus Keglevith, à poculis idem, Mantile Petrus Keglevith.

Prandenti Regi astabat Petrus de Reva, Magister Curiæ cum scipione, Janitorum Regalium officio vacante vices obibat Melchior Alaghy; Paulo postquam Rex mensæ assedisset, Corona in aureâ pelvi ad sinistram manum in cornu mensæ collocata fuit.

Dapiferorum Magistri officio vacante vices obibat Paulus Apponi. Dapiferi cibos portantes, Comes Christophorus Erdeodi, Comes Georgius à Zrinio, Comes Paulus de Nadasd, Caspar Illeshází, Andreas Jakusith, Stephanus Liszthius, Sigismundus Rakoczy, Christophorus Banffy, Stephanus Niari, Sigismundus Præpostvári, Nicolaus Draskovith, Andreas Zay, Stephanus Ostrosith, Franciscus de Neva, Petrus Forgach, Emericus Balassa, Joannes Ostrosith, Joannes Pograni, Stephanus Pograni, Christophorus Giulaffy, Georgius Pograni, Joannes Christophorus Listhius, Nicolaus Keglevith, Ladislaus Horvath de Vegla, filii Stephani Chiapy, duo Nobiles Martinus Moricz, Joannes Katay, Sigismundus Loniay, Franciscus Pachot, Daniel Eszterhasii, Stephanus Poos, Stephanus Soos, Stephanus Balogh, Andreas Babindali, Gregorius Vyfalusi, Franciscus Káldi, Stephanus Bakos, Joannes & Balthasar Lengiel.

Finito prandio Magnates & Regnicolæ cæteri, qui ministrabant ad mensam, per Magistrum Curiæ Petrum de Reva, ad prandium deducuntur: Status porrò, & Ordines per Personalem præsentiæ, in peculiare hypocaustum, itidem ad prandendum deducti sunt. Militibus interim toto solennitatis istius die, omnis compotandi atque inebriandi occasio, omnis generis potus venundatio, interdicta fuit, sed sequenti demum die singulis turmis cibus & potus liberaliter suppeditata, nunismata quoque distributa: dum enim die coronationis æs novi Regis spargeretur, illi extra muros in suis stationibus erant collocati.

Absolutis hisce universis, ante descensum Regis ex arce, Corona & reliqua clenodia, in suum locum Conservatori delata sunt per priores ad id deputatos Prælatos, Barones, Magnates, & Nobiles, & in arcâ per Conservatores reposita, quæ sigillis dominorum Commissariorum, ex parte Cæsaris, & Regni obsignata est. Retinuerant in templo S. Martini Canonici purpureum pannum quo Corona involvebatur, & reliqua clenodia, nec rogantibus Conservatoribus facilè reddere volebant, inde lis non levis inter Nobilitatem & Canonicos orta, quod nullâ Coronæ observantiâ, hoc fecerint, reprehensi graviter etiam à Cardinale Gleselio, qui admiserint habitis sub fide suâ Regni privilegiis in re tam exiguâ negligentiam suam prodi, cumque per inadvertentiam illud accidisse excusarent, jure desiderabantur serò restitutis, inclusâ jam Coronâ, & sigillis Commissariorum consignata, arcæ imponi non potuerunt. Quibus peractis Status & Ordines Regem ex arce ad proprium hospitium comitati deduxerunt. Proximè sequenti die, dum jam paulatim solverentur Comitia, in crepusculo vespertino ignis missilis super aquam Danubii discurrens, & ignitæ pilæ in aëre volantes artificiosè compositæ, frequenti populo spectaculum ediderunt.

Hic mos apud nostram ætatem Regum coronandorum usurpatur, antiquus verò ut & hoc varietatis & simul gratæ recordationis gratiâ adjiciam, hic fuit. Rex in Pestano Agro declaratus, Albam solenniter deducebatur, ubi prius quam ingrederetur ad ædem Divæ Virginis extra muros divertebat, in cujus vestibulo porticum Rex cum selectis Proceribus ascendebat, conspectui omnium se offerens. Palatinus ei astans ter interrogare solitus erat, an ad Pesthum declaratum Regem regnare vellent? Quibus annuentibus, gladius ei evaginatus per Palatinum exhibebatur, quem versus quatuor plagas vibrabat. Tandem Rex chlamyde induebatur, sceptroque accepto in sede Regiâ collocabatur; quem Strigoniensis Præsul post præstitum juramentum coronabat, in dignitatem, & obsequium ejus Proceribus jurantibus.. Sed ad rem.

Atque hæc quidem in Hungariâ: porrò, quia in plerisque consuetudinibus, publicis ordine legibus, Patria nostra Regni Galliæ æmulatrix est, non extra oleas va-

gari videbor, si gratiâ collationis actuum hic & ibi in inaugurationibus Regum adhiberi consuetorum, Gallicam cæremoniam leviter attigero, quæ & similitudine qualicunque ad nostram accedere videtur & ex propriæ gentis usitatis moribus, non nihil jucundum lectioni suppeditabit.

Itaque Galli die creando Regi dicatâ, ad Rhemorum Urbem conveniunt, ubi Archiepiscopi Remensis dicti sedes est. Rex veniens ante primariam ædem sacram excipitur, à tribus Episcopis deducitur ad aram, orat, quod ipsum etiam in cœnâ facit.

Postridiè mitttit quosdam ex Nobilitate ad S. Remigii Abbatem, ut pixidem olei sacri adferat; post in Templo conveniunt Pares Franciæ duodecim, ex quibus deliguntur, qui Regem adducant. Ubi in cubiculum veniunt, præmissis precibus, Regem lecto decumbentem, ut cœremonia ipsorum est, sublevant, & tandem magno comitatu deducunt ad templum, Connestablio strictum ensem præferente. Dum templi cœremoniæ fiunt, præsente Rege pixis adfertur per Abbatem, vel eo non valente, per ipsius Vicarium, quam Archiepscopus in vestibulo, datâ fide restitutionis, religiosè recipit. Exigit post juramentum à Rege, quo fidem suam devincit Ecclesiæ; eo peracto, Rex deductus ad aram, & sumpto alio habitu, gladio accingitur flexis genibus. Post hæc Archiepiscopus caput Regis, & pectus & utrumque humerum & utriusque brachii juncturam inungit, additis votis, & precationibus. Indutus abhinc ut Ecclesiæ minister, in utriusque manus palmâ inungitur: manus deinde Regis ad pectus compositas, idem Archiepiscopus induit chirothecis, annulum digito inserit, & dextræ sceptrum tradit.

Egressis mox ex loco peculiari Paribus Franciæ, ab altari sumit Coronam Caroli Magni, & postquam eam Pares tetigerunt, capiti Regis imponit, in locum mox editiorem deducit, & osculatur. Idem faciunt proceres; quo facto votis & acclamationibus novum Regem prosequuntur, additis tubarum clangore, & tormentorum strepitu. Post in promiscuam multitudinem dispergitur aurum, & argentum. Non multo post Rex nummos aliquot aureos, & panem argenteum & vinum ad aram defert, & de altari participat. In hunc ferè modum Regum Galliæ coronatio absolvitur, an in multis similitudine congruâ cum nostrâ, diligens lector assequetur. Illud verò imprimis notabile hic est, quod Galli licet Coronam etiam habeant, quam ut dicunt Caroli Magni vocant, cujus familia Regnum Francicum ab initio per annos ducentos triginta septem, administravit, præstantissimum tamen ritus regalis actum Unctionem celebrant, quæ fit oleo sacro, uti dicunt, sicut nos summam & caput totius processus inaugurationis, ipsam Coronationem habemus, quæ fit Coronâ sacrâ. Credunt enim illi oleum illud rem divinam & cœlestem, quod Clodovæo Regi ipsorum, qui primum religionem Christianam amplecteretur, cœlitus in pyxide allatum fuisset, quo cœteri deinde Reges inungerentur. In eo arcanam virtutem maximè colunt & admirantur: ut Ludovicus XI. ægritudine affectus, spe valetudinis illud è loco peculiari & perpetuo in cubiculum deferri curaverit, quo se inungere constituerat, quin & auditum est, inunctos Galliarum Reges, strumas morbum aliàs curatu difficilem, attactu suo dissolvere posse. Antiquissimus iste per unctionem & osculum declarandorum Regum ritus, ante secula apud populum DEI, ut in Davide & Saule (1. Reg. 10.) usurpatus, per quem solum Majestas Regibus deferebatur, paulo modestiori apparatu, & ornatu quam nunc, ubi auri, Unionum & gemmarum splendore tempora Regum adornantur; ut quia oleum gratiam Spiritus Sancti significare solet, mox in limine administrationis, discerent Gubernatores summum honorem gratiæ Dei acceptum referre, & potestatem non virtute, non favore hominum, sed Dei beneplacito se consecutos agnoscerent; deinde nil nisi ex præscripto & regulâ Spiritus DEI facere auderent, ex legibus numinis, & luminis. Nam præceptum est, Deut. 17. ut Rex discat legem & eam sequatur in totâ gubernatione. Nunc ad domestica redeamus.

Hactenùs recensitâ Regum in Hungaria coronandorum cæremonia, quia in nonnullis actibus & circumstantiis Reginarum coronatio variata peragitur, earum etiam coronandarum ritum subnectere, non abs re visum est, quo ordine eundem in fœlicissimâ Reginæ ac Imperatricis Annæ augustissimi Cæsaris & Regis *Matthiæ Secundi*, fœlicis recordationis Consor-
1613. tis celebratum vidimus.

Primum ante ingressum suarum Majestatum in civitatem Posoniensem, Danubio ponte strato, Status & Ordines de decenti earum exceptionis & salutationis modo, consultatione susceptâ, unanimi consensu Generalem totius Exercitus ex comitivâ singulorum Procerum conscripti, capitaneum eligunt comitem Sigismundum Forgach de Ghymes, à quo tàm Ordo Magnatum, quàm turmarum coordinatio dependeret, quique advenienti suæ Majestati, singulorum Dominorum Equitatum vel peditatum demonstraret. Vices Generalis capitanei gerentes erant, Thomas Bosnyak, & Andreas Loniay.

Ad honestè excipiendas suas Majestates, ad hospitium in itinere præmissæ personæ Quin-

que-

que-ecclesiensis Episcopus, Andreas Doczy, Stephanus Palffy, Joannes Lippay, Personalis præsentiæ, & ex Nuntiis Civitatum his adjuncti, duo nempè ex singulis Regni statibus. Fœminæ Magnates Imperatricem excepturæ, in arcem Posoniensem deductæ sunt, ibique ad gradus arcis decenter ordinatæ, deputato ad id Petro de Reva. Orationis habendæ sub mutuum suæ Majestatis & Regnicolarum congressum, provincia assignata Cardinali Francisco Forgach, Comite Palatino Georgio Thurzo ob oculorum passionem liberiorem aërem non tolerante. Introductis autem in arcem suis Majestatibus, turmis comitivam earum exornantibus commissum fuit, ne aliquam in quartiriis moram necterent, sed ne occasio opprimendorum pauperum præbeatur, ad domos suas singuli si conferrent. Stephano Palffy Arcis Posoniensis Capitaneo, portæ arcis, & ordinis ibidem servandi cura commendata, ne per promiscuæ turbæ ingressum, impedimentum & angustiæ emergerent. Personalis præsentiæ fuit attendere opportunitati, quando Comitatuum & civitatum Nuntii dextras Suæ Majestati convenienter porrigere possent. In arce jam constitutis Suis Majestatibus, ubi dies futuræ Coronationis dicata illuxisset, horâ sextâ matutinâ, qui suas Majestates in templum comitaturi erant, tàm Hungari, quàm Germani ad arcem conveniunt. Corona verò, mediâ ante descensum suarum Majestatum horâ, in Sacristiam Templi Cathedralis per Conservatores, assistentibus nonnullis ex Regnicolis Equitibus, & comitantibus inter alios ex ordinariâ præsidiariorum arcis qvardiâ, in curru Imperiali aureo panno strato, solenniter deducta fuit. Ex Conservatorio dum per Conservatores eximeretur, præsentes astabant Cæsarei Commissarii N. N. Ex Statibus & Ordinibus Archiepiscopus Colocensis, Episcopus Zagrabiensis, Sigismundus Forgach, Franciscus Battiani, Andreas Doczy, Thomas Szechii, Christophorus Erdeodi, Caspar Illeshazy, Michaël Karoly, Joannes Lippay, Martinus Beniczki, Georgius Petheo, Michaël Lorantffy, Sigismundus Kapi, Michaël Szerdaheli, Moyses Cziraky Judex Cassoviensis: à quibus omnibus quæsitum est, an ad coronationem Regnæ coronam eximere vellent. Qui totius Regni nomine innuerunt.

Custodia ad fores Templi ordinatâ, ne plebs tumultuosè irrueret: cujus præfecti substituti Stephanus Teorcok, Thomas Nadasdi, Trautmandorff, & Tiffenpach. Per declivem ex arce viam, ab utraque parte dispositi milites Regis prætoriani, ordinem continuantibus sclopetariis civitatensibus, qui & in aliis civitatis partibus inconvenientias fortè emersuras observabant. Alterum Regis vexillum, muros Templi, ordine angebat.

Posteaquam suæ Majestates civitatem ingressæ fuissent, portæ obseratæ, & ubi ad scalas cœmiterii perventum fuit, Episcopi & Clerus, obviam progressi, suas Majestates per pontem asseribus constratum præcedentes deduxerunt ad sacristiam, libera passus spatia observantibus Thoma Bosnyak, & Nicolao Forgach, Gynæcei in Templo extructi ordinatores Stanislaus Thurzo, & Ernestus à Kolonich. Egrediente Rege cum habitu & coronâ Imperiali, officiales ejusdem cum Insignibus Imperialibus, sceptro, pomo, gladio procedunt, & Magister supremus Aulæ Imperatoriæ, comes à Firstemberg procedit, Rex inter duos Episcopos Colocensem, & Quinqueecclesiensem. Sequuntur eum, immediatè Franciscus Battiani cum pomo, Judex Curiæ Sigismundus Forgách cum sceptro, Comes Palatinus cum coronâ. Mox Regina procedens inter duos Episcopos Vesprimiensem & Bosnensem, præcedente cum Scipione Magistro Curiæ Petro de Reva, qui tota hac solennitate Magistri Curiæ officium sustinuit, Gynæcei ordinem secum duxit. Cum ventum est hoc ordine ad Sanctuarium, Imperator & Imperatrix ante altare subsistendo, ad thalamum sive stallum sibi præparatum paulisper in oratione perseverant, coronâ in altari per Comitem Palatinum collocatâ. Deinde Imperator se ad solium recepit, tantisper Imperatrice in loco orationis persistente, donec Imperator ex throno suo prodiens, Coronâ & Sceptro fulgens, eam inter duos Episcopos Colocensem & Quinqueecclesiensem procedentem, ad Archiepiscopum Strigoniensem deducit.

Inter decantationem Litaniarum Regina perdurat orando, & tandem inungitur ab Archiepiscopo in brachio dextro & inter scapulas. Quo finito surrexit Regina, abstersoque retrò altare oleo, ad altare rediit. Tum accessit Vesprimiensis Episcopus & imposuit Reginæ coronam propriam certâ verborum formulâ. Deinde Comes Palatinus Archiepiscopo Strigoniensi coronam Regni tradidit, qui humero dextro Reginæ impositam, rursus ad altare reponi fecit. Discessit Vesprimiensis, & Strigoniensis porrexit Reginæ sceptrum in manum dextram & pomum in sinistram. Deducta tandem est ad thronum suum & decantatum. *Te Deum laudamus.* Explosa interim sclopeta & tormenta majora.

Tandem obtulit Regina Strigoniensi aureum munus, & rediit ad thronum manens ibi donec rursus per Prælatos ad communionem deduceretur. Quâ peractâ & finitis Templi cæremoniis, corona cum clenodiis restituta est conservatoribus, qui solenniter stipati præsidiariis, comitivâque Regnicolarum equitantium, eam in arcem deduxerunt. Reditus verò suarum Majestatum eo ordine absolutus, quo descensus, Reginâ coronam propriam in capite in

in processu gestante. Curabat officia cubiculariorum Magistri, pro Imperatrice Andreas Doczy, Janitorum Magister Michael Czobor. Ad mensam accumbentibus suis Majestatibus ministratum est, modo sequenti: Thomas Szechy Dapiferorum Magister, Dapiferos cum bacillo præcedebat. A poculis Judex curiæ Sigismundus Forgach; A poculis Imperatricis Georgius Homonnai, qui & aquam ad lavandum præbuit, mantile Imperatori exhibuit Cardinalis, Imperatrici Comes Palatinus, Præcisoris munus obibat Christophorus Erdeodi, Panatier ministrans Præcisori Nicolaus Forgach, auri & argenti custos Caspar Illesházy. Dapiferorum nomina sequenti Regesto contientur: Stanislaus Thurzo, Stephanus Petheo, Andreas Jakusith, Sigismundus Balassa. Comes Emericus Thurzo, Comes Georgius à Zrinio, Comes Paulus de Nadasd, Georgius Rakoczy, Stephanus Doczy, Michaël Karoly, Petrus Forgách, Paulus Aponi, Emericus Czobor, Nicolaus Eszterhásii, Michaël Lorantffy, Joannes Lengiel, Johannes Pograni, Christophoros Giulaffy.

Absoluto Regali convivio, corona in conservatorium cum reliquis ornamentis, excepto Divi Stephani pallio reducta, præsentibus iisdem, qui, dum eximeretur præsto fuerunt. Instante enim comitiorum solutione, Imperator paludamentum à Petro Revai conservatore postulavit, ut Pontifici illud videre desideranti depictum transmitteret, qui ubi ad formulam juramenti sui recurrisset, ex eâque illud sibi minus esse integrum significasset, nimirum vel minima ex clenodiis Regni extradere, Imperator ad primum responsum fortè indignatione conceptâ, repetitâ mox formulâ juramenti, & diligentius examinato eo, quales deceat se præstare eos, qui conscientiæ vinculo detinerentur, fidem, & diligentiam conservatoris laudavit, postulationem suam, tandem coram Palatino & Statibus ac Ordinibus adhuc præsentibus exposuit, quorum annuentiâ effectum, ut Petrus Revay paludamentum Imperatori traderet, eundemque Viennam comitaretur, unde non prius discessit, quàm manibus suis resignaretur, quod postmodum reliquis Regni Clenodiis in Conservatorio adjunxit.

Jam ad propositum.

Sub Ferdinandi Secundi in Regum Hungariæ electione in publicis comitiis motus quidam in Bohemiâ exortus, qui Cæsaris animum non leviter conturbavit, & in quo sedando primum literis, tandem etiam armis assiduâ contentione laboravit: Verùm non ultra de Bohemis victoriam, sed immortalem de mortalibus rebus triumphum, & spiritualis septenarii, id est æternam quietem, ac gloriam consecutus est. Nono enim ab inauguratione *Ferdinandi* mense, mors Cæsaris contigit in Martio, ut & *Matthiæ primi*, à cujus obitu abierant anni centum viginti novem. Uti autem optimi utriusque Regis morte Martius luctuosus fuit; Ita vigesimâ quartâ Februarii lætissimus utriusque natalis, non sine arcanâ quadam significatione affulsit; Illius anno Millesimo, quadringentisimo quadragesimo tertio, hujus Millesimo quingentes. quinquages. septimo, cũ à Nativitate *Corvini* abiissent anni centũ & quatuordecim. Hic inquam *Matthias* verè secundus, amisso priùs potentissimo fratre Archiduce Maximiliano, & augustâ Imperatrice Annâ-Mariâ conjuge, nondum lachrymis detersis & planctus doloribus, casus acerbissimi, recenti vulnere & afflictione, quotidiè recrudescente, elusis tot medicorum auxiliis, & consiliis, Viennæ Austriæ mortalitatem exuit, & ad consortium cœlestium evasit, bello fœlicissimus, pace optimus Imperator, domi placidus, ut qui convictu sibi conjunctissimi fuerunt, aliquam bilis in eo vehementiam deprehendisse se fateri non potuerint, foris hostibus terribilis, & bellicâ fortitudine celeberrimus; pro quibus suis cœlo dignis virtutibus æternam meruit apud posteritatem memoriam, nunquam intermorituram gratiam, quæ & in hoc argumento constitit, dum præter morem submutationibus aliorum Regum observari solitum, longo post funera sua tempore, argentum, & aurum, currentis monetæ, imagine, & signis ipsius cuderetur. Fuit in aulâ ipsius Medicus, qui & sustentavit eum, Principem vita longiori dignissimum, donec vitæ terminus definiente Deo, in cujus manibus sunt dies nostri, advenisset. Illum maximis ornabat beneficii, præmiis, aliorum Principum liberalitatem in curatores valetudinis ipsorum imitatus, qualem Ludovicum Regem Galliæ fuisse legimus, qui Jacobo Cœterio medico suo decem millia aureorum menstruo stipendio pendebat. Die ab obitu sexta exangue corpus desideratissimi *Matthiæ* delatum est in templum Virginum Vestalium Viennæ impensis Reginæ Franciæ ædificatum, ubi Manes Imperatricis conjugis suæ, non multo ante tempore repositi fuerunt. Mense proxmè sequenti, exequiis optimi Cæsaris & manibus satisfactum est in templo eodem, domesticis ipsis justa solventibus, nulla pompæ luxuria, aut externorum solenni comitatu. Nec ergo frustra paulo ante duas columnas lucidissimas, quæ citò disparuerunt in aëre apparentes vidimus, quas mox cometes Orientalis, diris horrendus crinibus subsecutus est, ingrato veluti hoc præsagio, quod robustissima duo christianæ Reipublicæ fulcra, & columnæ toto orbe clarissimæ, quæ Atlanteis laboribus, totius propemodum orbis christiani molem sustentabant, immaturo casu efficaci mutationis omine & futurarum calamitatum ruituræ fuissent. Fluxit quoque eo tempore fluvius quidam volvendis rotis

*Moritur Matthias Imperator 1619. 20. Martii*

*27. April.*

*Mensibus Decembri, & Ianuario.*

fotis molaribus sufficiens ad Sixoviam sanguine, septimanis aliquot, futurum Regni statum, armis perturbatum iri, à morte *Matthiæ*, significando, ut ex eventu signi, judicium ferri potest.

Et hactenus de rebus Hungariæ.

Nunc coronidis loco, placuit Coronæ & cœterorum in Regno Hungariæ Insignium Regalium brevissimam instituere descriptionem. Fuisse autem semper personarum, gradus summos in mundo tenentium, aut singulari aliquâ virtute illustrium insigne Coronam, ex annalibus sacris, & prophanis manifestum est 2.Reg.12.30. Rex Rabbath habuit Diadema pondo auri talentum habens gemmas pretiosas: quod David victor tulit, & impositum est capiti ejus. Item Melchom Rex Rabba habuit coronam, quam tulit David de capite ejus, & invenit in eâ auri pondo talentum & pretiosissimas gemmas 1.Paralipom.20.2. Antiquitus etiam Diadema Regium insigne tam Romanis quàm exteris gentibus, candidam fasciam fuisse legitur, quod liberum patrem invenisse primum scribit Plinius (lib.7.cap.5.6.) nunc verò auro & gemmis circumdari sacri capitis tempora solenne est, & Coronis, cum quibus tota regiminis regnorum Provincia vadit, uti splendidioribus. Discreta hæc coronandi magistratus cœremonia, præcipuè apud gentem Romani Imperii Occidentalem. Tres enim Coronæ Cæsaribus debentur: Prima argentea, quam Aquisgrani: Ferrea altera, quam Modætiæ recipiunt orbicularem ferro introrsus tempora præcingentem, exterius auro & gemmis exornatur, quæ indicare difficile, & ferreum esse, quod subitur, ac ferro armorumque adminiculis, Regni firmitatem stabiliri: nec alia causa magis sontica, cur Cæsaribus nunc ferrea Corona imponatur, quam ob ferreæ Monarchiæ, per Danielem prædictæ, Romanæ notam, cujus nomen & decus Cæsares profiterentur. Aurea tertia est, dignitatem splendorem, & decus Imperii, quod suscipitur repræsentans. Quibus & alia ritum coronationis exornantia, & symbolica adjuncta sunt insignia. Vexillum insignitum aquilâ, in pectore crucem gerente, Protectorem Ecclesiæ indigitans. Vexillum item in anteriori parte rubicundum, in posteriore flavum, amorem erga Deum, & justitiam, in coërcendis malis notans: pomum aureum repletum terrâ, mortalitatem Imperii, & caduca etiam summa docens; item sceptrum, seu virga ferrea duo in summitate gerens lilia, quam primum in usu habuisse legimus Assverum Regem, gratiam & favorem Imperatoris significantem. In quem enim illud inclinabat, is certus erat, se in gratiâ Regis haberi. Qualia Romanorum Imperatorum vetera insignia, quondam exhausto Fisco, urgenteque contra Turcas bellorum necessitate; Romanos divendere necesse habuisse, autor est Historicus apud Chalcondylam. *Esther.8.*

Sed omissis illis ad patrium gentis nostræ Diadema respiciamus.

Ac priusquam de formâ ipsius dixerim, dum diligentius illustria quædam signa, antiquitatis illius collustrarem, & præsertim quid sibi vellent literæ græcæ, cum imagine & nomine Constantini in ipsa basi Sacræ Coronæ expresso contemplarer, occurrebat mihi in celebri Historico Platinâ in vitâ Sylvestri Pontificis insignis locus, ubi scribit Constantinum magnum primum ex Imperatoribus Romanis Christianum, ut devotum erga Religionis Christianæ amorem & studium testaretur, Diadema aureum, gemmis distinctum donasse inter alia plura munera, & beneficia Ecclesiastica Episcopis. Quo quidem Sylvester tanquam re capite & Regio digna uti noluit, phrygiâ mitrâ, & candidâ tantummodo contentus. Etsi me scriptoris hujus autoritas moveret plurimum, ut tamen opinionem meam, haud temere ex verbis illius conceptam, Diadema nempè illud Coronam nostram fuisse probem, circumstantiarum quoque plurimarum quæ sententiæ meæ fidem faciunt, calculum adjiciam. Prima pietas est & mos Constantino Magno proprius, & perpetuo usurpatus. Ille enim asserendæ libertatis Christianæ, & augendæ Religionis cupidissimus, quæ sub Diocletiano Maximiano, Maximino, Maxentio, & Licinio misere afflicta fuit, ut totum ipsorum imperium, lanienam, & carnificinam Christianorum dixeris, quando uno mense ad septemdecim hominum millia ob professum Evangelium supplicio afficerentur, usque ad magnarum Urbium desolationem, & vastitatem, pluribus in locis Ecclesias ac Templa erexit, collapsa, & diruta restauravit, in quibus Salvatoris imaginem respicientem, in abside, Matris Virginis & duodecim Apostolorum in circuitu, summâ artis gloriâ confici, ac collocari, adjunctâ etiam suâ imagine mandavit. Ita fastigium argenteum Romæ in Templo Lateranensi obtulit, habens in fronte Salvatorem sedentem in sellâ & duodecim Apostolos circum, non absimili modo & ordine, quo Sacra Corona formata conspicitur. Similiter Ecclesiam Constantinopoli, quam Apostolorum vocant, Regio cultu ac ritu instauravit.

Pari ratione calices, scyphos, patinas aliaque dona, tum argentea, tum aurea, formâ hac S.Coronæ insignita, plurimis Ecclesiis consecravit. Crucis etiam signum reverenter habuit, quale in fastigio quoque Coronæ nostræ illustri ejus decore, præfulget. Consueverat hoc ab ea ad pontem Milvium contra Maxentium victoria, ante quam ex Galliis Italiam versus moturus,

turus (tenebat enim Occidentis Imperium) de tutelari nomine sollicitus in meridie lucidissimo sole, columnam lucidam Crucis specie in cœlo fulgentem viderat cum inscriptione: *In hoc vince.* Quo deinceps & in præliis pro vexillo utebatur, cum duabus Græcis literis Christum denotantibus: quo more in Coronâ quoque nostrâ ad imaginem Salvatoris expressas videmus. Quid quod in inferiori Coronæ circumferentiâ, imaginem suam Constantinus cum quibusdam Imperatoribus Græcis insculpi fecit, eò quoque inter alias circumstantias indicio, ut grata posteritas, insigne hoc Coronæ munus, sibi ipsi primitus acceptum referret? videtur autem Græcii artificii esse nostra Corona, non tantum ex dictis imaginibus & literis, sed ex appensis catenulis, quæ iisdem locis in Iconibus Græcorum Imperatorum deprehenduntur, procul dubio propter id, quod Constantinus imperium totum Romanum in partes Orientalem & Occidentalem divisum, & per consortes Imperii sive collegas & socios administratum, Romano Imperatore summam authoritatem obtinente, & Augustos sive Cæsares per Provincias creante, in unum corpus, unam faciem, in unam formam judiciorum & legum, sub unum denique sine consorte Monarcham redegit, relictaque Imperiali sede Româ, & devicto Licinio per Constanciam sororem affine suo, ad Adrianopolim in Thraciâ, qui necdum exuto prædecessorum Tyrannorum ingenio, Christianos persequebatur & multa insolenter in parte Imperii Orientalis sibi commendata faciebat, Byzantii quod muro munitum & restauratum à nomine Imperatoris Constantinopolis vocatum est, sedem Imperatorum Romanorum constituit, Romam verò non amplius Imperatoribus, sed Præfectis suis & vicariis gubernandam commisit. Quod autem virtute Cœlesti, & prodigio Divino velut vocatus ad professionem Christi Crucifixi in luce ambulare cœperat, & mansuescere, ut zelum Christianum externo symbolo demonstraret, inter alias amplas ad Ecclesiam collationes, ut essent conspectiora, & splendidiora quæ donasset, Diadema auro, & gemmis illustre Sylvestro gestandum Constantinopoli transmittit, eo velut insigni concesso jam plenâ facultate licentiâ, authoritate docendæ doctrinæ Christianæ, sine metu persecutionis, & Tyrannidis. Non ergo mirum Diadema Constantinopoli missum Græci artificii videri, siquidem ex Græciâ, illâ artium & disciplinarum officinâ Constantinopolim sedem Imperatorum celebrem laudatissimos quosque Opifices, confluxisse verò consentaneum est. Deinde voluit dubio procul in hoc opere magnum Græciæ beneficium celebrare. Nam Constantinum in Græciâ Tyrocinii Christiani incrementa potissimùm accepisse apparet, ubi per Apostolos fundatæ Ecclesiæ Ephesina, Corinthiaca, Tessalonica fuerunt, Codex Bibliorum Græco idiomate habebatur, scripta patrum plurium, & ubi Constantinus exercitia religionis & pietatis coluit, ut Synodus Nicena, contra Arrium testimonio est, quàm edicto per omnes regiones misso, convocat Episcopos, vehiculis publicis eo advehi curat: ad extremum ibi etiam in Urbe Nicomediâ baptizatur, & moritur. Adhæc credibile est eo tempore apud Romanos etiam linguam Græcam gloriâ excellentem, cujus characteres in Coronâ nostrâ visuntur, pro vulgari & maternâ æstimatam fuisse, quod in eâ divinæ & humanæ sapientiæ secreta continerentur, illa prudentiam, leges, & gesta seculorum traderet, nihilque absurdi est si dicatur, quoniam Romanus, & Græcus sub uno communi Monarchâ degebant; Idioma Græcum, & Latium promiscui usus, tam in Civitatibus, Urbibus, quàm in ipsâ Constantini Aulâ, ex flore hominum diversorum constante fuisse. Qvin & ipse Constantinus Eusebio teste, Græcæ linguæ ignarus non fuit. In Synodo enim Nicenâ linguis diversis in colloquio Episcoporum, qui ex his & illis mundi partibus confluxerant, usus fuisse traditur. Quod si Pontifex, (sive fuerit ille Benedictus Septimus, sive Sylvester secundus) dictum Diadema fieri curasset, tùm habuisset causam, propter quam, à Characteribus linguæ Græcæ in opere proprio abhorreret. Gentem enim Græcam, imò terram & linguam ipsorum ob schisma, & divortium à Romanâ religione factum, graviter oderat, eò magis quod toties per Pontifices tentatâ concordiâ, nullo pacto ad conformitatem fidei reduci poterant: quin potius Pontifex velut opus suum, literis latinis atque nominibus Romanis, imaginibusque exornasset, quo & beneficium donumque potestati Romanæ & genti conforme illustrius fuisset, præsertim cum Romani insitâ ambitione & gloriâ, Templa columnas, trophæa, aliaque monumenta, totâ Romani magnitudine Imperii, non nisi priscis Romanis, latinisque literis ubique insignire & consecrare solebant. Et quod magis ad probandam rei veritatem evidentius quam communis rerum discretio per Notas vel possessoris, vel autoris proprias, siquidem hic & imago Constantini est, & insigne ejusdem Crux invenitur, ut superius dictum. Quod si inventionis, & operæ Pontificis corona esset, tum sine dubio Pontificum insigne, corpori suo impressum, firmiter ostentaret, ut monumentum tam excellens, autori suo sine hæsitatione adscriberetur: tales tamen Pontificiæ dignitatis Notæ, in coronâ nusquam visuntur; sicut eas in pomo adjuncto coronæ clenodio ab unâ parte (ab altera verò insigne Regni Hungariæ) invenire licet. Quod si itaque utrumque & Corona, & Pomum uni & eidem authori imputetur, tùm nullum est dubium, quin in nobiliori opere Majestatem Regibus conferente, Pontifex suum insigne exprimi curasset.

Quo

Quorum omnium persuasio facilis, confirmat me in eâ opione, ut sacræ Coronæ natalem illo Constantini Magni seculo credam, & illud Diadema Sylvestro esse oblatum, quod Patriæ nostræ à pluribus jam seculis, magno gentis Hungaricæ decore fulget.

Est verò hic non dissimulanda axiomatis illius Politici veritas, quo in nominibus & temporum periodis, fatalem quandam & ominosam coincidentiam fieri deprehensum est, quod nimirum sicut à Constantino primo Imperatore Christiano, Sylvestro Pontifici Romano sacra Corona titulo muneris obtigerat: Ita à Sylvestro Pontifice ejus nominis secundo, ut initio centuriæ primæ ex demonstrationibus chronologicis ostensum est, ad Stephanum primum Hungariæ Regem Christianæ religionis, apud gentem Hungaricam, non minori sanè zelo, quam dictus Constantinus assertorem divinâ ordinatione demandavit, & in symbolum summæ in Regno dignitatis transmissa est. Sicut autem in nominibus Pontificum, accipiente & dante mira contigit correspondentia, & identitas, sic è diverso morum vitæ, pietatis, aliarumque circumstantiarum, in utroque rationem disparem, me tacente, illi qui vitas Pontificum scribere operæprecium duxerunt, & chronologi, non obscurè legendi cupidis demonstrabunt.

At quo pacto inter tot secula, ac discrimina inter Gazas, & thesauros Pontificum Romanorum latuisset, donec Divo Stephano conferretur, id sanè non vulgare divinæ providentiæ testimonium est. Ad propositum.

Est itaque forma S. Coronæ, auro solido, artificio sculpturæ magis cœlesti, quàm humano in orbem fusa, à cujus latiore circumferentiâ, pariter pinnæ florentes formâ triangulari circumeminent, quatuor angulis rectis, absides se mutuo intersecantes desinunt in crucem: in ipsâ verò circumferentiâ, à fronte rectâ, imago Salvatoris nostri pomum tenentis, ex adverso Divæ Matris Virginis, & deinde sacerrimus Apostolorum ordo, Regumque ac Imperatorum, Martyrumque Christianorum, ut videre licet literis Græcis, cujuslibet imaginis species, aureis vultibus ac propriis trophæis. per corpus totum, usque ad Crucem summam mutuo consequuntur, interjectis cuilibet imagini gemmis, ac unionibus candicantibus, item preciosioribus lapidibus, Smaragdo, Sapphiro, Hyacintho, Crysolyto, Rubino. Et quidem Sapphirum qui *Matthiæ* Regis tempore raptus fuit, eoque pacto cognoscendæ & recipiendæ genuinæ Hungarorum coronæ, à Friderico Tertio (ut supra dictum) indicium dederat *Matthias secundus*, cujus auspiciis fœlicibus sacra corona in sedem patriam rediit, insertione alterius supplevit, qui etiam nunc in aversâ occipitii parte medius conspicitur. Possunt verò tales in ornamentis Regalibus defectus non inanes credi, sed aliquid Regnis prædivinare, quando Hungariæ fortuna à metu *Matthiæ*, non eodem & æquo passu processit. Atque ut hæc non ex vulgari habitu & more, sic istud planè notabile. Aurum enim ex quo corona conflata est, totumque ejus decorem sacris imaginibus distinctum, nihil aliud tacitè intimare censeo, quam ut Rex postquam sacrum hoc insigne capite excepit, quemadmodum auro inter metalla nihil præstantiùs, talem se in alto collocatus ostendat, ut subditi inveniant in eo quod suspiciant, & quod imitentur. Neminem tantis, & tam variis pollere decet virtutum ornamentis, rerumque cognitione multiplici, quam principem, cujus boni vel mali mores, multæ sunt in corrigendis, vel corrumpendis subditorum animis efficaciæ. Nequè ergo metu periculi, aut aliis incommodis, à pietate sincoroque Dei cultu, & subditorum fideli tutelâ se abduci patiatur, verùm in professione JESU CHRISTI, ipse adeo q; omnis gens Hungarorũ constantissimè perseveret.

Deinde sicut Smaragdus omnium gemmarum jucundissimus aspectu esse, oculos recreare, & impudicitiam aversari perhibetur. Ita Rex in summo fastigio omnium oculis expositus, cavere debet, ne quid contra jus divinum vel humanum, aut morum castimoniam admittat, quo spectatores offenderet, sed omnibus amabilis & exemplaris. Et sicut Sapphirus Scorpionum ictibus adversatur, ita Rex cum omni vitiorum peste luctari debet, ne quid vel in se, vel in corpore Regni malo exemplo corrumpatur. Item sicut hyacinthus, à tactu fulminis conservat, pestilentem aëris temperiem arcet: ita vigiliis & sedulitate Regi opus est, ut subditi sub tutelâ suâ ab imminentibus periculis, adversitatibus, & nocivis omnibus tuti quiescere possint. porrò Chrysolitus Melancholiæ adversus, pacis studium Regi commendat, eo quod in bellico tumultu, agris & Civibus, eorum squalor, & tristis inducitur facies de quo infra fusius. Et quemadmodum Rubinus per tenebras in speciem scintillæ micat: Sic rebus turbatis, & adversis, Rex illustre fortitudinis, & virtutis ostendat documentum.

Porrò ab aurium naturali parte, unâ quatuor; ab alterâ totidem gemmæ preciosiores octo ex catenulis aureis dependent, appendicum veluti loco quæ ad levem sacri capitis motum, mutuâ quasi harmoniâ se commovent, ut nimirum Rex aures divinæ humanæque conservando justitiæ, accusanti unam, reo commodaret alteram, & omnia ad divini nominis gloriam, famamque bonam, & existimationem referret. Nona verò singularis, à posteriore parte Coronæ, qua occiput circumdat, appensa catenula in modum reliquarum conspicitur, eo symbo-

lo

lo ut Rex jam illius bifrontis imaginem imitatus (siquidem ut plurimum præteritis futura similia sunt, eo quod in mundo eadem semper luditur fabula) quando de rebus consultatio incidit, respiciat ad acta superioris ætatis, sicque memor præteritorum, de futuris etiam rectius deliberet. *Boni enim Principis est, ut non minus cautè respiciat, quæ sunt post terga, quam quæ ante oculos habet.* Et consilium futurum, ut ait Seneca, ex præterito venire, longa probavit experientia. Aut etiam catenulæ illæ novem, novemque in frontali & occipitali Coronæ parte pinnæ radiantes, majusculis unionibus intra certa spatia, Regnorum novem ac Provinciarum, Regno Hungariæ incorporatarum, Slavoniæ utpotè Croatiæ, Dalmatiæ, Bosniæ, Serviæ, Bulgariæ, Hallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ potestatem, & splendorem indicant. Neque enim frustra illud, institutum esse censeo, quandoquidem in pinnis, gemmis, in aurium appendicibus tàm accuratè adeòque diligenter numerus novenarius observatus fuerit. In hoc enim cubus geminus, nempè bis quatuor, & triangulus, scilicet inter tria, quatuor item lineæ, singuli duobus punctis definitè continentur, sicque paris imparisque & adeò totius muneris integritas, & perfectio explicatur: Quibus ergò curæ cordique est mysteria investigare numerorum, atque proportionum, vel & unionum preciosorumque lapidum, qui Coronam sacram ornant, significationem, intendant ingenii sui nervos citra omne meum præjudicium. Numeros tamen hosce S. Coronæ solennes, velut symbolicam ejus descriptionem explicaturus attingit pulcherrimè *S. Stephanus* primus Hungariæ Rex in monitis testamentalibus ad filium *Emericum* directis, ad formandum Regem ornamentis interioribus perquam necessariis.

Nunc brevem numeratorum jam Regnorum, velut capitis sui & principalis Regni ornamentorum, ipsius denique Hungariæ descriptionem apponere placuit.

Imprimis HUNGARIA à Civibus suis Hungaris ita appellata, Regnorum in Europâ olim florentissimum quondam Pannonias, & ultra Danubium Jazygum, & Dacorum Regionem ferè omnem occupavit, ac hominibus bellicosis superba, alia quoque illustria Regna, ac imprimis antiquæ illius, & amplissimæ Slavorum gentis tractum, sub nominibus Dalmatiæ, Croatiæ Bulgariæ, &c. imò & Austriæ, Moraviæ ac Sylesiæ suis adscripserat titulis & triumphis, latè imperii fines extendens, ut hinc mare Adriaticum, Sarmaticum illinc, ab exortu Ponticum, ab exortu Ponticum, ab occasu Noricos, Vindelicos & Svevos, attingeret: ipsa velut indomitæ gentis mater à Meridie Dravum, à Septemtrione Sarmatas, seu Polonos, & Valachos ab occasu Austriam (superiorem quondam Pannoniam) ab Oriente Mysiam conterminos haberet. Divisa in Comitatus seu Conventus, qui in partibus Danubii, citerioribus, & ulterioribus olim septuaginta duo diffusi erant, tantâ amplitudine, ut quidem longo terrarum tractu facilè Provinciis integris æquari potuissent. At proh! quam semper velut continuæ litis materia externos ad sui amorem alliciebat Hungaria? Unde factum ut tam pulchri, & vasti corporis bona pars invidiæ Tyrannorum cesserit, præliis, & occasionibus variis, de quibus supra. Terra enim hæc, velut quidam naturæ thesaurus, pleno copiæ cornu instructissimus, in cujus ubertatem, fœcunditatem, vini, frumenti, pecorum, piscium, auri, argenti, salis, lapillorum &c. copiam, cœlum, terra, & aër quasi conspirasse videntur. Incolæ ejus Pannones, nunc Hungari sunt, de quorum origine propter opinionum & sententiarum varietatem, quas in duas classes redigam, breviter quædam aperire operæ pretium visum est.

Nam Jordanis Gotti, & Postelli opinio, quæ Hunnos ex Incubis & Dæmonibus creatos, sagis, ac feris mulieribus ortos fateri audet, ut veritati, ita naturæ humanæ, quæ munere divino, & similitudine gaudet, monstrisque præsertim Dæmonum minimè ad generationem hominum destinatorum abhorret, contraria, & meritò ex naturæ legibus exterminanda est.

Sententia una prophanorum Autorum, qui ferè omnes in eo consentiunt, Hunnorum gentem Scythicam esse, ex Asiaticâ Scythiâ oriundam, & à Septentrione, illâ gentium officina, & unde omnia ferè, ac potissima divinæ iræ flagella veniunt, promanasse. Divus profecto Hieronymus, ex ultimâ Mœotide, inter glacialem Tanaim, & immanes Massagetarum populos, ubi obstrictis rupibus, feras Scytharum gentes Alexandri claustra coërcuerant, Hunnorum examina erupisse ait.

Altera est, quorundam scriptorum qui ex Sacrâ Scripturâ, & Hebræâ historiâ Hunnorum originem deducunt, eâ asseveratione, ut ab ipsâ origine omnium gentium post Cataclysmum generis humani, nimirum ab ipso Noë, & filiis ipsius, per omnes inter medios gradus, & tramites ad ipsum *S. Stephanum* Regem Hungariæ, mirabili serie stemma Hungarorum deduxerunt.

Meum verò licet tenue judicium est, habere veritatis speciem, hanc ex Hebræâ historiâ gentis Hungarorum deductam originem, quod illa vetustior sit omnibus, & divini Numinis instinctu populorum ortus, ac seculis succedentibus mutationes longè veriùs tradit, quàm alii authores prophani, qui multas fabulas ac monstra suis aboriginibus confinxere. Vindicanda solummodo mihi est nominis Hungarici inveterata injuria, quod plerique gentem Hungaricam,

ab

impio & maledicto filio Chamo derivant, hoc solum argumento, quod Nemrod (cujus Attila se Nepotem scribit,) fuerit ipsius nepos. At locus ex quo Hungari prodierunt, illud facile diluit. Illa enim mundi plaga, quam ipsi incoluerunt, & tandem præ ubertate Pannoniæ spreverunt, non Chamo sed Japheto jure possidendi, & inhabitandi post diluvium omnibus propemodum authoribus consentientibus cesserat, nimirum Asiæ pars ad septentrionem obversa à Jauro & Amano montibus, Europaque universa. Ipse verò Chamus cum posteritate, Babylonem, Arabias, Ægyptum, totamque Affricam occupavit, sicut Semus (cujus filius Gether 1.Par.1. nominatur & ab eo Gotas esse) Asiam omnem ab Euphrate versus Orientem solem Syriamque obtinuit, quarum terrarum nullam Hunnorum sanguine patriam præbuisse constat, propterea quod septentrionalis Asiæ sedem, Japheti Illius benedicti hæreditatem, in qua hodie adhuc sunt qui radicem gentis Hunnorum tuentur, cum Pannonicâ fœlicitate commutarint, non obscurâ ratione gentis istius originem, Japhetis tabulis generationalibus adscribi debere. Deinde Chami Posteritas majori parte deleta fuit, ex cujus residuâ progenie Tartaros & Scythas infideles prodiisse, probatorum sententia est. Fuit quidem & Japhet gentium pater, sed earum quæ juxta promissionem ipsi factam, per plagas mundi dilatatæ, Christum & Evangelium (inter quas Hungari) receperunt. Neque falsa est illa gloriatio *Attilæ*, qua se Nepotem *Nemrodi* scripsit, tamen non sequitur Hungaros esse ex posteritate Chami, propterea quod Magor (unde Magyarii) filius Japhet etiam ejus generationis, cum Nemrod fuit, & verò in lineis generationalibus, non tantum recto gradu à parentibus descendentes, sed ex fratribus quoque procreati nepotes dici consueverunt, ad quos (fratres puta) vel alios ejusdem sanguinis homines, præcipuè si virtute aliqua illustri claruerunt, universa tandem posteritas, utriusque fraternæ lineæ suæ generationis deducit radicem. Quod in gente nostrâ Hungaricâ conspicuum, quæ tametsi aborigines suos Hunor, & Magor, ex Japhet aliis Cham genitos agnosceret, non tamen ab obscurioribus istis, sed à Nemrod ædificatore Turris Babel, quem S. Scriptura robustum coram Domino venatorem appellat, id est, fortem magnanimum, subjugandorum populorum nomine clarissimum (cujus imitator illis adhuc temporibus, & hodie per nominis translationem, alter Nemrod vel similis Nemrod vocabatur Attila vestigia ipsius secutus) gentis suæ principia, cum laude totius inde profectæ posteritatis auspicari maluit, in qua magnanimitatis illius avita beneficium enituit semper. Non planè dissimile exemplum est in Alexandro Magno, qui licet Philippi Macedonis fuisset filius, post Persicam tamen victoriam, non Philippum, sed Jovem Hammonem, ne quid de nominis celebritate deesset, patrem appellavit. Hinc apud antiquos nominum commutationes, uti de virtute alicujus præstantis, & heroici viri participatione factâ, simul nomen ipsius in novum usum reduceretur. Ita præter allegatum Nemrodi exemplum, apud Parthos quæsitos constitutioque Regni, *Arsaces* memoria Nominis longè colebatur, ut cæteri Parthorum Reges, non paternis nominibus, sed velut ad Majestatis & gloriæ culmen respiciendo, *Arsacis* appellatione vocati fuerint.

Porro sicut Nemrod Reipublicæ formam primus omnium in Monarchiam redegit, ita eodem gubernationis ordine servato, *Attila* quoq; Monarchiam in Regnum Hungariæ introduxit. Fuit Nemrodo filius Belus; quod ergo *Attila* se esse ex progenie Nemrodi gloriatus est, & fortasse respectivè, Hungari quoque aliquot ejus nominis Reges *Belas*, primis mox seculis elegerunt.

Quid? quod antiqua Hungarorum gens venationis exercitium sicut Nemrod; in deliciis habuit, quod & occasionem ipsi ostendit, ut in Mœotidem paludem, pascuis piscibus, volucribus abundantem, ac inde patefacto transitu, & amplificato populo, in Scythiam, tandemque in Europam venatoribus suadentibus profecti, ibidem suas sedes fixissent? non vano gloriationis *Attilæ* argumento (si quid ad rem facere videtur) qua se Nepotem Nemrod venatoris robusti esse censuit.

Nunc velut in transitu de mutatione nominis Magyarorum in Hungaros attingere volui. Cum Hunni avitam religionem retinuissent, ad Geizæ, & S. Stephani usque tempora, haberentque suas more barbaro, quibus uterentur literas, non ipsi inter se Hunni, sed Magyari audiebant, nationibus interim, quæ à Romanis paulo ante rerum dominis literarum Latinarum cognitionem, & religionis formulam accepissent, & quibus ob rerum gestarum non obscuram famam Magyari noti essent, Hunnos eos uno consensu vocantibus. Sed postquâ sunt Christianâ religione initiati, characteres Romanæ linguæ admisêre, dederêque Magistris suos liberos, in lingua nondum sibi notâ erudiendos, confluerentque ex universâ Europâ in Pannonias Christiani, ultrò id adnitentibus, imò verò postulantibus Hunnis, una cœpta est fingi vox ex Hunno, Magyaro, quæ paulatim sed nec ita multo post, in nomenclationem Hungari, antea Hunnis, & Romano nomini ignotam desiit. Hoc est post acceptum nomen Christianum Magyaros esse vocatos Hungaros, aboriginum suorum nempè Hunor & Magor Nominibus in dictionē unam contractis. Id quod & ipsi in literas misêre, postquam Latinum sermo-

nem didicissent, & aliarum gentium scriptores, cursu perpetuo usurpavêre, quoties de nostris hominibus mentionem facerent. Hungaros autem antiquitus solo Magyarorum nomine dictos fuisse argumento est, quod hodie adhuc ex sanguine Hungarorum hæreditatem suam in Scythiâ incolentes, non aliter, quàm Magyarii patriâ appellatione lauditent. Nobis Europæis, qui cum nominis alterius accessione, molliores mores, & disciplinam pietatis hausimus, religione, moribus, unâ linguâ, quam à patribus nullo cultu expolitam acceperunt, longè absimiles. Utuntur enim Idiomatismo duro, & vocabulorum penuriâ angustiore, siquidem plerisque rebus peculiares vocum notas impositas, non habent, sed ab officio & utilitate nomina earum mutuantur, quomodo pedem Iárótea, oculum Látóka, & similes appellare eos quidam è terra ipsorum peregrinus rediens referebat. Sunt autem sicut lingua, ita religione barbari, quam per incerta Idola exercent, serpentes colunt, præterea ad novos quotidie Deos surgendo, quos à fortuna accipiunt, illi rei diurnum præstantes honorem, licet ex immundis animalibus, aut bestiarum genere fuerit, quæ prima mane egredientibus sese obtulerit. Vivunt sub legum præscripto, quarum violatores severè puniunt; mendacium præ aliis facinoribus detestantur, in eoque deprehensos, lapidibus de jure suo obruunt. Persuadere verò sibi non patiuntur, Nos esse veram Magyarorum progeniem, soli ipsi nomen gentis Hungaricæ profiteri volunt, extra terram suam nullos esse legitimos Magyarorum filios, quæ de egressu eorum in Pannoniam narrantur, ea agnoscunt quidem, sed jam pridem familias illas, vel in præliis, vel aliis casibus, per tot secula in semine defecisse credunt, absurdum esse rati, ut non à pluribus annorum centenariis, ex affectu naturæ, vel Patriam suam revisissent, vel alio quovismodo Consanguineos suos visitando, jus Patriæ hæreditariæ recognovissent. Hæc de Hungaria, cujus insignia sunt fasciæ quatuor argenteæ, totidemque rubræ. Regnum habet fluvios præcipuos quatuor: qui sunt Danubius, Tybiscus, Savus & Dravus.

Ac Danubius quidem oritur in Germaniâ circa sylvam *Hercyniam* è fonte, in planitie, non procul à ripa Rheni, qui deinde per Germaniæ fines, Vindeliciam, Bavariam, & Austriam decurrens, propè Posonium Hungariam ingreditur, ac illustres Civitates, & arces alluit, Budam, Vissegrad, Strigonium, Vaciam, Pest, Vylak, ac tandem sexaginta amnibus in se receptis, septem vastis ostiis, in Pontum Euxinum exoneratur, quousque fœlicioribus olim temporibus terminos Regni Hungariæ deducebat. Piscosus est, huzonum præcipuè, quos Plinius Moriones vocat, fertilis. Duas insignes flexu Danubius efficit Insulas. Unam aliàs Schutt. *Czallobeoz* vocatam à Posonio ad arcem Comarom tredecim milliaribus in longitudine, tribus aut quatuor in latitudine, protensam. Alteram infra Budam nomine *Chepel* appellatam, avibus & feris abundantem; quæ solebat esse Reginarum Hungariæ, jure donationis, propter nuptias. Hæc longa est in meridiem novem milliaribus, lata vero duobus, aut tribus pro locorum diversitate.

*Tibiscus* piscosissimus ortum habet, in Maramarosio humili ex fonte, sed propè eadem loca quinque rivulis ortis augetur, ac multis postea Hungariæ superioris, & Daciæ navigabilibus fluminibus, ubi scilicet Samos Bodrogh, auctus ab Oppido Zalomkemen in Danubium influit.

*Dravus* in Carinthiâ oritur ex monte Cecio, fonte non magno, fluitque per Styriam, alluens aliquot nobilissima loca Peteviam, & Ormosd. Is accipit in se fluvium Muram, quo conflexu efficitur Insula Drava Murakeoz nominata, in qua sita est arx Cháktornya, familiæ Zrini. Alluit post Oppidum Eszek clade Joannis Catianeri notatum; & deinde penes Oppidum Drazad Danubio immiscitur.

*Savus* fluvius oritur in radice ejusdem montis Cecii in Carniolâ, paucis supra Vylacum milliaribus. Is multis adjunctis Slavoniæ, Hungariæ, Croatiæ, Bosniæ, & Serviæ fluminibus labitur, ac ubi Colapim in se recipit, est Insula olim Segestica nunc Zyzek dicta, in qua sita est arx Capituli Zagrabiensis, descendit deinde Savus per fines Sirmicos & mœnia arcis Sabach alluens sub Belgrado qua occidentem respicit, in Danubium se exonerat. Hæc sunt quatuor flumina, quæ *Matthias primus* quondam in consessu Principum, quatuor piscinarum suarum nomine celebravit.

Slavonia Regio, appendix seu membrum regni Hungariæ, hodie partim Hungaris, partim Venetis paret, Savo & Dravo irrigua: ac lingua Slavonica seu Illyrica, hodie omnium latissimè patet, utpote quæ à mari Adriatico, ad Oceanum usque ad Septemtrionalem se extendere videatur: nam eâ utuntur Istrii, Dalmatæ, Croatæ, Bosnenses, Bohemi, Silesii, Lusatii, Poloni, Lithuani, Pruteni, Scandinaviæ incolæ, & Russi longè lateque imperantes, Bulgari item & multæ aliæ vicinæ regiones, Constantinopolim ferè usque: adeo ut toto orbe terrarum sit lingua Slavica, qua plurimas gentes, & nationes alloqui, mutatis tantum dialectis, ob vicinitatem aliorum populorum, aliquid peregrini habentibus, licet, ut si linguarum gloria ab usu, familiaritate & latitudine petenda esset,

da esset, ipsa Slavonica cum Latinâ cæteris palmarium eriperet, cujus adminiculo, propè dimidia Europæ pars, nonnulla etiam Asiæ peragrari potest. Lingua eorum extra Latinam vix ulla difficilior, cum ob trium & plurium sæpe consonantium in capite vocis concursum, tum latitudinem, & variationem, quæ vix legibus certis circumscribitur. Gnarus illius fuit Alexander Magnus, in bello enim contra Darium gesto, Illiricos, Thracas, Græcos, Macedones, & alias gentes, singulas diversâ oratione allocutum scribit Justinus l.11. Apud Illyriorum quippè Regem, Patrem suum Philippum fugiens (eodem Justino teste exulabat, ubi linguam Illyriorum eum imbibisse vero simile est. Cæterùm probabile est Slavos hoc ipso nomine initio Monarchiæ tertiæ Græcæ, & ante claruisse, quod Alexander Magnus Græci Imperii fundator potentissimus, eorum in bellis strenuâ usus operâ fuerit, ejus collatione plagæ Meridionalis auxerit, & nomen eorum decorum eximio illustraverit privilegio, quod jam sequitur, tum in honorem eorum appositum, tum quod publicè, me conscio, non extaret.

*Nos Alexander Philippi Regis Macedonum, hircus Monarchiæ figuratus, Græcorum Imperii Inchoator, magni Jovis filius, per Nactabanum annunciatus, Allocutor Bragmanorum, & Arborum, Solis & Lunæ conculcator, Persarum ac Medorum Regionum, Dominus Mundi, ab ortu Solis, usque ad occasum, à Meridie usque ad Septentrionem. Illustri Prosopiæ Slavorum, & linguæ eorum, gratiam, & pacem, atque salutem à nobis, & successoribus nobis in gubernationem Mundi. Quoniam Nobis semper affuistis in fide veraces, in armis strenui, nostri coadjutores bellicosi, & robusti, damus & conferimus vobis liberè, & in perpetuum, totam plagam terræ ab Aquilone, usque fines Italiæ Meridionales, ut nullus sit ausus ibi manere, aut residere, aut se locare, nisi vestrates. Et si quis alius ibi inventus fuerit manens, sit vester servus, & posteri sui sint servi posterorum vestrorum. Datum in Civitate nova nostræ fundationis Alexandria fundata supra magni Nili fluvio, anno decimo secundo Deæ Minervæ. Testes hujus rei sunt Atleta Locateca noster, & alii Principes undecim, quos Nobis sine prole decedentibus relinquimus nostros hæredes, & totius Mundi.*

Cæterùm, Slavorum genus ab ipso usque Japeto Noë filio repetunt ii, qui Polonorum & Bohemorum annales conscripserunt. Ex hac gente D. Hieronymus prognatus fuit, & popularibus vetus novumque testamentum sermone vernaculo interpretatus est, Gratiano & Theodosio Imperatoribus. Illâque interpretatione hucusque Illyrii, tum in hymnis Divinis, tum aliis sacris utuntur. Gens ante susceptum Evangelium superstitiosè valdè, sylvas, Nymphas, ut refert Procopius colebat, iisque sacrificia faciebat: supremum Deum fulminis fabricatorem credebat, illisque boves & bestias ejus generis alias mactabat: fortunam ignorabat prorsus: imminente qualitercunque morte, sacra faciebat pro incolumitate, quam eo facto plerumque recuperabant.

*Croatia*, aut potiùs *Corvacia* à Valerio Messalâ Corvino *D. Matthiæ* Regis congentili, ita appellata, antea Liburnium. Erat Regnum quondam gente & viribus potens, nunc à Turcis abrosum. Metropolis ejus nunc Zagrabium, aut mons Græcus, antea Fumium erat: Stemma, aut insigne habet campum clatratum, aut cancellatum, clypeum albo, & rubro colore distinctum, coronâ insignem, qui habitus etiam in Aquilâ Moravicâ conspicitur, ut originem suam inde gens Marcomanica testaretur.

*Dalmatia* sequitur, quam olim Imperio Romano Publius Cornelius Nasica subegerat, paulo ante tertium bellum Punicum, & quam *S. Ladislaus* ex testamento sororis suæ, uxoris Zolomeri ultimi Dalmatarum Regis in nomen imperii Hungarici adscripsit, per oram Adriatici maris protenditur, & partim Veneto, partim Turcæ paret, parva ejus particula hac tempestate Regi Hungariæ subjecta. Metropolis ejus olim Jadra, de qua multum pugnatum cum Venetis. Nunc in ea parte, quæ Hungaro paret *Segnia* caput est ejus. Utitur pro insigniis tribus Leonis capitibus coronatis, in triquetro constitutis.

*Bosna*, vel *Bosnia*, ab Incolis qui vulgo Bosni, olim & Bessi appellabantur, dicta Regio aspera, & montana, porrigitur usque ad Illiricos, qui incolunt maritimam Ionii regionem. Genus hoc antiquum, non multum dissimili linguâ, quam Dalmatæ, Mysii, Triballi & Sarmatæ, utentes. Credibile est, eos à Scythis pulsos, transiisse in regionem quæ ultra Istrum colitur, & subactâ Thraciâ, atque Romaniâ, ad sinum eum venisse, ibique sedem fixisse. Habet Urbem Regnique sedem Jaizam, Zreberniko aliis, viginti octo oppidis divitem, quæ cum toto Regno, despotarum perfidiâ in potestatem Turcarum venit. Cum Græcis Imperatoribus, mox Turcarum Tyrannis varia fortuna bellum gessit: recuperata virtute *Matthiæ primi*, donec unà cum Alba Græca, jugo barbarorum subjiceretur. Utitur pro insigniis armato hominis cubito, aut ferrata dextra gladium vibrante.

*Servia* aut *Rascia*, forte à Servio Tullo, ut Corvatia, à Corvino ita appellata, quæ & Mœsia superior communi vocabulo vocatur, extra ac intra Savum Sirmio beatissimo sinui Hungariæ

confinis & conjuncta. Istro finitima ad Bosnam protenditur. Belgradum pro capite: ac alias Senderoviam vicinam pro sede Regiâ Despotarum Rasciæ habet. Hunc tractum versus Macedoniæ montes Dardani olim tenebant, ut veteres scribunt. Pro insigniis habet caput apri sylvestris, sagittâ in ore defixâ.

*Bulgaria* sive *Mysia*, à Bulgaris, qui & Triballi, à Duce suo Terbalo fortè dicti. Hi quondam Græcis Imperatoribus subjecti, ac Orientis ædaribus armis infesti fuerunt. Cum verò primitus in Scythiâ essent, trans Istrum versus septentrionem residentes, quem locum fluvius non exiguus Wolga, ab Incolis Bulga dictus interfluit (unde & Bulgari dici obtinuerunt) melioris soli cupiditate allecti, Mysias occuparunt, Thraciam, Macedoniam, & ulteriorem Illyriam, qui locus Bulgaria postea dictus est, cum aliis pluribus ornamentis, tum perpetuâ libertate à Justiniano Imperatore ornatus, cujus Metropolim ipse fundavit, & ex nomine suo Justinianam appellari jussit. Præter id enim quod natale ipsius solum erat Bulgari Justinianum in Imperium restituerunt, quorum Duci postea, & Constantinus Heraclii filius stipendia solvebat. Singulare Archiepiscopus Bulgariæ privilegium habuit Reges Romanorum inungendi, quod Justinianus tandem abolevit, dum Theodorum Angelum, Regium nomen sibi per vim arripientem, inunxisset. Cum Græcis & Latinis plurima bella gesserunt, donec Regibus Hungariæ obedire debuerunt. Turcarum injuriis lacessiti, maximè sub Sigismundo. Conjuncta est Bulgaria Rasciæ, & Bosniæ, à Septentrione ad Danubium flexa à Meridie in Macedones & Thracios declinat. Habet pro insigniis tres canes venaticos in campo decurrentes.

Hæc Regna ultra Danubium posita Majestatem S. Coronæ semper observabant. At verò à Septentrione cis Danubium, erat *Gallicia* aliàs *Halicia*, & *Lodomeria* sive *Vlodomeria*, à Duce Vlodomero, sive ab Urbe Vlodomeria sede imperii, estque pars Russiæ Meridionalis: ob quas Hungaris & Polonis lis longo tempore intercessit. Has *Bela Tertius* Coronæ Hungariæ subjecit, & per Andream filium suum administravit, dum Halliciæ Dux ad *Belam* profugiens, Ducatum contra Casimirũ Regem Poloniæ tueri non potuit, alii quoq; Reges per Hungaros, & Croatas gubernabant, donec ad Hedvigem, filiam Ludovici, Poloniæ Reginam, partim armis partim fraude redirent, ut de his dictum quoque supra. Hallicia pro insigniis quondam habuit Monedulam coronatam, aut Attagenem, nunc verò tres coronas usurpat: Lodomeria formam duorum fluviorum, quadrangularis rubris & albis distinctorum.

*Cumania* dicitur terra Valachiæ, Zavolcha vocata, & quam juxta opinionem quorundam Strabo Cataoniam appellat, etiam Circassia dicta, quæ inhabitabatur à Cumanis Nigris, sita à fluvio Olt, inter Alpes, & Danubium, jacens versus Tartariam, & nuncupatur pars Transalpinæ, & Moldaviæ. Gens regionis à verò Dei cultu aliena, quam *Bela Quartus* à Tartaris sedibus suis pulsam, cum Cutteno eorum Rege Regno quoque in tutelam accepto, hospitio exceperat, & fidei Christianæ initiatam Palatinali judicio commiserat. Insignia habet leonem coronatum, non absimilem Leoni Bohemico, Belgicove.

Adjicitur quoque his Gargarus Mons & Salernum, quæ partes Apuliæ ex fœdere & jure hæreditario vectigalia Carolo Regi Hungarorum fuêre: Item Regnum Neapolitanum, quod *Ludovicus primus* Hungariæ Rex jure sanguinis & belli Hungarico imperio adjecit. Præter has etiam Hungariæ Provincias, à Septentrione cis Danubium, Austriam, Moraviam, Silesiam, Lusatiam, Transylvaniam, & Transalpinas Valachias sui juris Hungaria, sub eâdem Coronâ, pari libertate gaudentes habuit.

Fit mentio Ramæ quoque in titulis Regum Hungariæ, sed in lectione historiarum, nomen illius, quod ego sciam, non invenitur. Si in re obscurâ, ex probabilibus verò similem opinionem elicere licet, cogitari potest, an non *Andreas Secundus*, militiæ Christianæ ad recuperandam terram sanctam Imperator creatus, indeq; postea Hierosolymitanus dictus, Ramæ vocabulo Regum Hungariæ compellationem & titulum auxerit. Est enim Rama Terræ sanctæ Civitas, à Rege (*A*) Israël Basa ædificata, quæ Tribui Benjamin cum aliis Urbibus pluribus sorte obtigerat: ad quam tribum pertinebat etiam Jebus, quæ est (*B*) Jerusalem. Et vicina fuit (*C*) Rama Civitati Jerusalem quam Christianis sub ductu Andreæ recipere animus fuit. Et verò seculis illis, tali Urbis appellatione, communiter Provinciæ integræ, in quibus illa Urbs existeret (*D*) gaudebant. Et hodie etiam Regnum Neapolitanum, Romanorum Imperium, communi cum Urbibus suis vocabulo utuntur. Cum itaq; *Andreas* sacrum bellũ, tantâ fœlicitate administraret, ut Cordinus Hierosolymæ Præfectus, nuntio de *Andrea* accepto, desperatis viribus Urbe profugerit, obscurum non est, loca Hierosolymã versus spectantia, inter quæ & Rama in Christianorum potestatem devenisse. Quid igitur absurdi, si *Andreas* gratis Christianorum acclamationibus, Hierosolymitanus dictus, repudiato velut inani, non possessæ Urbis titulo, (quâ partim ob nascentia domi Christianitatis bella, partim Saracenorum stratagema potiri non potuit) hunc humiliorem à Rama sive Urbe, sive Provinciâ sumptum, in æternam præclari conatus

(A) 3. Reg. 15. v. 17.
(B) Iosue c. 18. v. 25.
(C) Iudic. c. 19. v. 11. 12. 13. 14. 15.
(D) Reg. c. 6. v. 17. 18.

natus sui, & faventis in eo fortunæ memoriam, titulo Hungariæ Regum inserere voluisse dicatur? Quæ tamen in sententiâ, salvum cujuslibet esto judicium: hic rem ita considerare sacra historia occasionem præbuit, in qua Ramæ iisdem clementis seu syllabis, quibus in titulo Hungariæ Regum nominat, comperitur.

Est verò in hac dipictorum stemmatum simplicitate venerandæ antiquitatis modestia spectanda, quæ fastu in ostendendis, non unius familiæ sed integrorum, & quidem celebrium Regnorum insignibus castigato, inexplebilem hominum quorundam nostri seculi ambitionem, ne dicam superstitionem arguit. Dum enim de illustrando nomine suo cogitant, mare, terram, sylvas aërem percurrunt, miras piscium, avium ferarum species investigando, quæ tabulas gentilitias occupare digna placerent, imò effusa quorundam novitatis cupido, artificio naturæ non contenta, monstrosas excogitat imagines, ut stemmata ipsorum, domicilia & cavernas animalium, ferarum ac bestiarum, nidos avium admireris. Quâ ratione cum ab exemplo antiquitatis discedunt, unius domus splendidiores superbioresque usurpantes tabulas, quam olim Regnorum amplissimorum fuêre eo profecto argumento, nominis potiùs novitatem, quàm generis vetustatem produnt.

Dicendum præterea jure optimo de adjunctis quoque Coronæ Regalibus ornamentis, quæ quidem præter quod ad Coronationis solennitatem necessariò requiruntur, Regem coronatum arcanis etiam documentis, ad axioma regium benè pieque sustinendum admonent.

Inprimis Crux gemina Coronæ adjuncta fuit, *S. Stephano* Regi Hungariæ præferenda, eo nimirum respectu, quod Rex simul & Apostolus Hungarorum esset, Regiam simul, & Apostolicam dignitatem, ac professionem, ex conversione suæ gentis ad fidem Christianam consecutus: quæ non solum expectandarum adversitatum præludium, ac symbolum, sed etiam tàm præsentium victoriarum futurarumque, contra quosvis nominis Christiani hostes, præcipuè verò seculis subsequentibus Turcas oraculum, ac omen fuit, in hoc videlicet signo gentem Hungaricam trophæa & militaria decora consequi debuisse; Illa verò nescio temporum iniquâ injuriâ, an hominum potiùs incuriâ, amissa desideratur, inter regalia ornamenta, cujus loco alia in solennitatibus Coronationis adhiberi solet, & illius vice quæque adversa, & calamitates reponuntur, ut non omninò abs re Hungariam antiquo à Petro Rege Hungariæ, usurpato dicterio, Angariam plerique nuncupent, quod illam perpetuò angi oporteat.

Deinde Pallium sive Regale Paludamentum S. Stephani, non tam vetustate & censu, quam religione picturæ admirabile est, ex serico factum uranei coloris, cui Dei thronus & Apostoli omnes, cum Divinâ majestate è parte unâ, parte alterâ triumphus Christi, à Cruce ex auro contexti in Palmatæ vestis specie. Nihil profectò ex sacro hoc picturæ habitu, ad naturam boni Regis verius, nihil ad regiam dignitatem antiquius, quam ut Deum, cujus imaginem gerit in terris, agnoscat, & colat, sanctitatem justitiam, cum religione observet inviolatam, & fide Christianâ propugnatâ, exoptatam de hostibus referat victoriam, præmia denique rei bene gestæ, non in terris, sed cœlis expectet.

Sceptrum porro est nonnihil à communibus Regum sceptris differens, brevius summitate rotundâ, simillimum clavæ rotundæ Hungaricæ, gemmatis quaternis dependentibus appendicibus. Quod Hieroglyphicum signum est administrandi populo juris & justitiæ, propagandæque pietatis in veritate. Quod enim hic sceptrum illud in veteri lege liber legis erat, quem coronato Regi dabant in manu tenendum 2.Par.23.11. Inde Archipræsul Strigoniensis sceptrum Regi coronato traditurus: virgam veritatis & justitiæ illud nuncupat. Sunt autem justitiæ, teste Justiniano Imperatore, tria officia. *Honestè vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere.* Quæ officia nunquam melius, quam pacis tempore exercentur. Pace namque qua nihil meliùs, nihil gratiùs, nihil utiliùs, vigent leges, bella silent. Pace valet æquitas, bello crescit crudelitas, friget, & exulat justitia. Ideo Principis sceptro potius, id est clementia pace, quam gladio qui cruentum, & severum signum est erga subditos, gaudere convenit, utpote quo humana societas convellitur, confunditur, deprimiturque. Justitiâ porro comite, & filiâ aureæ pacis, quid delectabiliùs, quid magnificentiùs, quidve salutarius? Illa est secundum S. Augustinum: *Pax populorum, tutamen Patriæ, solatium pauperum, gaudium hominum, hæreditas filiorum.* Hæc reges Deo similes, hæc regna tranquilla, eorumque Reges amabiles facit. Idcirco Persæ, & Medi, meriti sui gloriâ commendabiles censentur, qui magno studio futuros Reges suos, mox à teneris unguiculis, justitiæ discendæ colendæque deditos esse voluerunt, non esse possibile rati, ut si quis ad gubernacula Reipublicæ constitutus, justitiæ amore non flagraret, reliquas quoque possideret virtutes. *Justitia enim, in sese virtutes continet omnes.* Pulcherrimam itaq; hanc virtutum, longeq; amplissimam, in qua velut agmine facto, universæ aliæ confluxerunt, Rex sibi habeat charissimam commendatissimamque, & ut administratio ejus ritè procedat, oculum quod ajunt in sceptro habeat, diligat justitiam, oderit iniquitatem, propter quod unxit eum Deus, ut nimirum sit circum-

cumspectus, & exemplo religiosorum Cæsarum, Regum, atque Principum causis audiendis, & dirimendis, ipse frequenter intersit, & Judicum suffragiis diligenter examinatis, ferat sententiam, ut summo omnium judiciorum & rationum exactori æquam suam administrationem testatam faciat. Neque tamen ita exerceat justitiam, ut non misericordiam operetur thronus ejus Prov.20. Est enim sceptrum, instituto veteri, signum clementiæ, & lenitatis, quod extensum, gratiam Regis externè demonstrabat Esther 4. & 8.

*Pomum auream* aut *Sphæra*, cui Crux inhæret, arcano rei sacramento fortunæ volubilitatem denotat, nimirum ut globus est versatilis, ita, & fortunam Regum, haud esse firmam, atque stabilem, verùm multis injuriarum, & periculorum telis, obnoxiam, facillimè summum dignitatis illorum fastigium de uno in alium devolvi; amorem tamen Christi, qui orbem & sphæram hujus mundi universam sacro sanguine suo mercatus est, populo sibi divinitus commisso, Regem cunctis postpositis periculis, atque adversitatibus imperare debet judiciumque & justitiam memorem novissimorum ita administrare, ut judicio supremi Judicis, vivorum, & mortuorum, complacere possit. Pomum seu Orbem aureum primus excogitasse fertur Conradus Imperator, & quidem quo Cæsares utuntur, quod aperiri & claudi possit, in eoque terra inclusa habeatur, argumento hoc & Monarchas in maximo fastigio dignitatis constitutos, humum cineremque æquè ac cæteros mortales esse.

*Gladius* item *D. Stephani*, est veteri formâ, in mucronem rectum desinens, quem ille victis, tot fidei Christianæ hostibus, utendum futuris Regibus, in simili causâ consecravit. Quem more Hungarico peculiari, Rex coronatus sub dio, in illustri tumuli conspectu, eques prono cursu, versus quatuor mundi plagas vibrare solet, in potentiæ, authoritatis, & defensionis symbolum, significans eo se pro lege, & pro grege strenuè pugnaturum, à quacunque parte hostibus infestantibus, bellum interminetur: imitatus Romanorum (ut ait Bonfin.) exemplum, quo à columnâ campi Martii, in partem belli transferendi Consul hastam jacere consueverat. Reges tamen dent operam, ne ob levem causam, & privatum malum, magnos excitent & non necessarios bellorum tumultus, qui totam Rempub. in maximas demergerent difficultates. Compertum enim est bellum sumi facile, cæterùm ægerrimè desinere, & fortunam ejus ancipitem, & dubiam in exitu expectari. Neque contra datam fidem authores novarum turbarum existant, eo quod hoc plurimis Regibus perniciosum & Regi nostro *Vladislao*, imò toti Patriæ pessime cessit.

*Chirotheca Candida* monent Regem, ne subditorum bonis inhiet, ea per fas, & nefas rapiat, sed ab omni rapinæ, doli & fraudis crimine mundas habeat manus, quin & ab innocenti sanguinis subditorum suorum effusione abstineat: quando enim semel sanguine innocenti Reges manus polluerunt, difficulter deinceps cædibus modum facere possunt.

*Calceamentum* denique vigilantiæ & industriæ symbolum est, quo Rex admoneri debet, ne in rebus quibus saluti & Regni commodo consulitur, studium & industriam detrectaret, sed expeditam in officio hosteque persequendo velocitatem præstaret. Diceret cum
Psalm.18. Davide. *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea: persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant, ut cadant subtus pedes meos.* Ut namque discalceati, calceorum adminiculo contra fentes acuminatos destituti, inepti sunt ad militiam: Ita Rex cum toto exercitu, contra hostiles ictus, & insultus muniendus est armis divinis, ut cum Principibus Exercitus Jo-
Ios.10. suæ, colla hostium conculcare, & cuncta adversa, fortitudine heroicâ superare valeret. Et quemadmodum Grus animal alioquin rationis expers, naturæ solertiâ insitâ, alteri saltem pedi in excubiis insistit, altero lapidem tenet, cujus si fortè obdormisceret, casus & ignaviam proderet suam, & imminente periculo, reliquis alitibus cautionem signaret; Ita ille, quem divina ordinatio in illustri speculo collocavit, provideat, ne quid Reipub. mali, belli vel pacis tempore, quod cladem aliquam, & ruinam negligentiâ suâ adferre posset, obrepat. *Omnium enim summa Regis vigilantia, omnium ignaviam illius solertia, omnium otium illius labor, omnium vacationem illius occupatio supplet.* Rex porro calceatus, quia ex corio animalis mortui calcei fiunt, intelligat se esse hominem, qui & hoc vili indumento carere nequeat, ideo piè & moderatè populum administret, cum hominibus humaniter procedat, in semitis Domini ambulet, sicque in stadio vitæ suæ decurrat, ut cursu consummato in quietem æternam, ubi perfecta beatitudo, nullius est indiga indumenti, pervenire possit.

Præter ista fuerunt aliquando plura Coronæ ornamenta adjuncta, ut cingulus, stola, crystallum, vel hyacinthus auro inclusus, monile lapidibus variis distinctum, vexillum *S. Stephani* sericum ex auro & gemmis contextum: verum cum illa inter alia Regni clenodia non habeantur, nec ampliùs quod ego sciam, extant, quis eorum in Coronatione usus fuerit, quidvè designaverint, scrupulosè indagare operæ meæ non esse judicavi. In solo cingulo, paucis lineis, ut puto non inaniter, immorabor. Illa enim Magistratus & subditorum, mutuam inter se

ter se unionem arcanè ostendit. Sicut enim cingulus lumbis adhæret, & firmat eos; ita subditorum ea ratio est, qui dum legitimo Magistratui suo debitis obsequiis agglutinantur, imperium stabile & firmum consistit. Rursus ubi cingulus rumpitur, vel solvitur, membra quoque ipsa velut dilabi & fluxa esse videntur, eo documento Regis etiam virtutem sine subditis adhærentibus fluxam, debilem & infirmam fatiscere. Esse verò subditos, magistratus sui cingulum, docet ipse Deus apud Jeremiam (c.13.) qui sicut adhæret lumbare ad lumbos viri: Ita agglutinasse sibi dicitur omnem domum Judæ; Nempè ut illi, quos Deus post se in populo constituit gentes, non aliter quàm cingulum suum reputarent.

Jam locum Custodiæ S. Coronæ consideremus. Neque enim mirum videri debet, quod veteres illi Hungari, florentissimo totius statu S. Coronam Budæ sede Regiâ, utpotè quæ caput Regni augustum, servatam noluerunt (exemplo imperii ac aliorum quorundam Regnorum, quæ Coronas in potestate Regum non relinquunt, sed aut collegiis sacris, illas commendant, aut munitis, ac secretis locis concredunt) siquidem ab omnibus omnium penè gentium populis illa frequentaretur, & ut fieri solet, in tantâ hominum frequentiâ, & negotiorum, actionumque varietate, rerumque vicissitudine, plerumque diversas aleret factiones, graviaque experiretur pericula existimabant, ibi sacrum capitis Regii ornamentum, in quo tantum est momentum, discrimine aliquo non cariturum, proinde extra conspectum consortiumque hominum, in loco, quieto, securo, ab ipsâ naturâ dato, munitissimo, excelsissimoque monte, & tanquam Cœlesti domicilio Visegrado reponebatur. Distat autem Castrum Visegrad à Budâ quinque milliaribus, versus Strigonium, & quidem in medio fermè itinere, quod olim pulcherrimi fuit operis, ex quo spectantur radices montis altissimi, alluens Danubius, habetque ductum per declivem, præruptamque crepidinem, usque ad Danubii margines, ubi mediocris altitudinis, optimeque munita Turris visitur, quæ à parte Danubii domicilium Coronæ tuetur. Fuit etiam ibidem in ripâ Danubii Oppidum non ignobile, quod multis erat à priscis Regibus exornatum privilegiis, sicut & Domus Regia, magno impendio extructa, situ, ædificiis multum decora, continens trecentas quinquaginta magnificas habitationes. Huc animi relaxandi gratiâ Regibus excurrere mos erat. Regiæ adjuncti erant horti amœnissimi, arboribus fructiferis consiti, vivaria ferarum, aviaria, piscinæ, fontes, marmore ornati. Sed superbissimorum ædificiorum hodie rudera duntaxat extant. Est quoque mox in viciniâ sylvâ vastissimâ, damis, cervis, apris, ursis, pardis, & aliis diversi generis feris abundans, quas quoties à gravioribus occupationibus immunes fuerunt, magnâ cum voluptate valetudinisque commodo Reges persequi soliti erant. In arcis verò quodam cubiculo, in hunc usque diem cerni potest concavitas quædam instar mediocris fenestræ, ex durissimo saxo excisa, in quo sacra asservabatur Corona. Qui locus in eâ curâ, & sollicitudine fuit, ut nec Custodibus S. Coronæ, adyta quoties liberet ingredi, nec aliis quibusvis, qui Religione diadematis sacri ducti, domicilium ipsius, vel à limine salutare cuperent, permitteretur. At tandem maximâ Hungarorum calamitate, & fati antiquitate occupatâ ab hostibus Hungariâ, locus hic mutatus, ipsa etiam salus, & gloria Hungarorum vacillare, & mutari visa est. Ac fuerat nuper arx Vissegrad favente numine, auspiciis inclyti Cæsaris *Matthiæ* ab hostibus recuperata, & nobis restituta, ubi ipsa adyta S. Coronæ magnâ cum veneratione, ac lætitiâ, à triumphante Imperatore conspecta, & lustrata, faustissimo omine, ac præludio futuri eventus, hunc eundem fore, qui aliquandò S. Coronam Patriæ, sicut jam factum est, restitueret. Quam quidem arcem Vissegrad, si cum Posonio, ubi S. Corona nunc sedem figit, conferas, nihil ferè aliud ad S. Coronæ commoditatem, præter loci celebritatem afferri potest. Hic nostrâ istâ tempestate, & judicia administrantur, & Comitia celebrantur, Corona conservatur, Regum etiam Coronationes in æde D. Martini ibidem absolvuntur, sed integro, atq; salvo Regni statu, singulis actibus solennioribus peculiaria destinata erant loca. Juridicendo Buda deputata, ubi & Comitia per Regem indici, per Palatinũ subinterregno in Campo Rakos eligendi Regis causâ celebrari solita. Absolvendæ Coronationi Templũ Albense *D. Stephano* dicatum, conservatum fuit, ubi etiam Regalis sepulturæ locus extitit. Quo prudens antiquitas volebat dubio procul, Reges suos admonitos, ne ad tantum dignitatis gradum evecti insolescerent, meminissent potiùs conspectis prædecessorum suorum monumentis, non minus in se, quàm in illos morti licere. *Vox enim Spiritus Domini est. Ego dixi Dii estis, & filii excelsi, sed & vos sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.* Memores itaque fragilitatis lethique, scirent suarum esse partium, piè, devotè, justè vitam suam instituere, æquitatis lance, cuncta in populo sibi concredito distribuere, quo postquam tempus resolutionis ipsorum advenerit, testimonium præbente bonâ conscientia, cum D. Paulo dicere valerent. *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus JUDEX.*

FINIS.

*Benevolo Lectori*

CASPAR IONGELINUS de Lambertinis Abbas Eussersthalensis, & sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Historiographus S. P. D.

ABSOLUTIS Rerum Hungaricarum Centuriis septem, expeditum descripsi agmen magnæ nobilitatis & Clari nominis *Palatinorum* & *Iudicum* inclyti regni Hungariæ, qui à primis hujus regni incunabulis, id est, à septem retro seculis huic bellicoso regno præfuerunt. Paucis fateor lineis & succinctè id factum, non in alium finem, nisi ut virorum amicorum ac doctorũ ope & favore adjutus, plura adipisci queam in magno Volumine, quæ de his prælo præparo, inserenda. Ex quo enim ad Regii Historiographi munus & dignitatem adsumptus fui, illud omne tempus pro perperam absumptum habui, quod ad decus & gloriam serenissimorum Hungariæ Regum, insumptum non esset. Itaque favete Nobiles & Eruditi Viri, litteris vestris, per Nuntios cursorios, defectus meos significate; & si quæ extant apud vos priscæ dignitatis Palatinalis vel judicum Curiæ Regiæ, publica vel privata documenta mecum, si placet, communicate, ut magno Volumine, (quod de illis elucubro, & propediem publici juris faciam) citiùs fruamini. Si quid vicissim potero in vestri gratiam, ad omnia obsequia me promptissimum invenietis. Valete. Viennæ ex domo Nadasdianâ Kalendis Augusti Anno 1658.

# CATALOGUS PALATINORUM REGNI HUNGARIÆ EX VETUSTISSIMIS LITTERIS AC DIPLOMATIBUS EJUSDEM REGNI DIGESTUS.

I. *anno 1001.* CEBA Comes Palatinalis, qui in Privilegio Archi-Abbatiæ Sancti Martini Ordinis S. Benedicti in diæcesi Iaurinensi, immediatè subscribit & collocatur post Dominicum Archiepiscopum Strigoniensem anno Domini 1001. sub Sancto Stephano Rege.

II. *anno 1034.* ABA Comes Palatii, Sarolæ sororis S. Stephani Regis Maritus, qui postea Rex Hungariæ factus, floruit anno 1041. de eo plura inter Reges Hungariæ numero tertio. Vixit in officio Palatinali anno 1034.

III. *anno 1055* ZACHE Comes Palatii Regalis, qui nominatur in diplomate fundationis Monasterii Tychoniensis vulgo *Tihàn* Ordinis S. Benedicti ad lacum Balaton. floruit anno 1055. sub Rege Andreâ primo.

IV. *anno 1057.* RADO, Comes Palatinus Regni Hungariæ, fundator Abbatiæ Sancti Demetrii supra Savum fluvium, pro Benedictinis anno Domini 1057. in diæcesi Quinquecclesiensi.

V. *anno 1064.* ACHA, Palatinus Regni Hungariæ, fundator Abbatiæ S. Jacobi de Silisio pro Benedictinis in Comitatu Simigiensi & diæcesi Vesprimiensi. De eo inter alios Bonfinius libro 3. rerum Hungaricarum, à quo vocatur *Regalis Comes.*

VI. *anno 1075.* JULA, Comes Palatinus Hungariæ ut patet ex diplomate præfati monasterii S. Jacobi de Silisio. Vixit sub Rege Geysa primo.

VII. *anno 1120.* JOANNES UROSIUS, Comes seu Præfectus Palatii sub Stephano II. Rege, anno 1120. insigni victoriâ Boëmos fundit, de quo Petrus Revay, Comes Turocensis supra Centuriâ 2. Rerum Hungaricarum, aliisque plures.

LAMBER-

LAMBERTUS Comes Palatinus & Sororius S. Ladislai Regis, fundator præposituræ S.Stephani Regis in Bozok Ordinis Præmonstratensis, de quo Bonfinius, aliique. floruit sub Regibus Stephano II. & Belâ II. Cæco. VIII. *anno 1124.*

FAUZAL Regni Hungariæ Comes Palatinus sub Rege Geysâ Secundo floruit, vixitque anno Domini 1137. & adhuc 1141. ut patet ex litteris & diplomatibus Archicænobii S. Martini. IX. *anno 1137.*

GEREON Comes Palatii Regii, floruit anno 1148. sub Geysâ II. Rege, ut patet in privilegio cujusdam Capituli. X. *an.1148.*

BELUS, ex Bano Comes Palatinus Hungariæ, vixit anno 1156. & 1157. sub Geysâ II. ut patet ex quodam diplomate Archiabbatiæ S.Martini. XI. *an.1156.*

THOMAS Comes Palatinus, vixit anno 1166. sub Stephano III. Rege, ut patet ex diplomate Archimonasterii S.Martini. XII. *an.1166.*

OMPUD, sive Ompudinus, Comes Palatinus factus ex Bano, vixit anno 1166. sub Rege Stephano Tertio, ut apparet ex manuscriptâ tabulâ sæpe nominati Monasterii S. Martini. XIII. *anno 1172.*

DIONYSIUS Comes Palatinus Regni Hungariæ, floruit sub Bela Tertio, anno Domini 1184. ut patet ex eisdem monumentis. XIV. *an.1184.*

MOGH, sive MOCH, Regni Hungariæ Palatinus & Comes Bachiensis, sub Rege Belâ Tertio, vixit anno 1188. & 1190. Ita præfata monumenta. XV. *an.1188.*

DOMINICUS Hungariæ Palatinus, & Comes Budrigiensis sub Belâ Tertio, anno 1193. XVI. *an.1193.*

FARKASIUS Regni Hungariæ Palatinus sub Belâ Tertio floruit anno Domini 1200. ut docent manuscripta Monasterii S.Martini. XVII. *an.1200.*

MIKE, Comes Palatinus Hungariæ, ex Comite Bicherensi, floruit anno 1201. sub Rege Emerico. XVIII. *an.1201.*

CHEPHANUS Comes Palatinus Hungariæ ex Comite Bachiensi, floruit sub Andrea secundo, anno Domini 1206. ex familiâ Hederuara, sicut & sequens frater ejus. XIX. *an.1206.*

POTH frater Chephani, Comes Palatinus Hungariæ, & Comes Musumiensis, qui duo fundant Abbatiam S.Jacobi de Lében, non procul ab Hederuarâ, Ordinis Sancti Benedicti, quam nunc possident Patres Jesuitæ. XX. *anno 1209.*

BANKO, sive BANK, Regni Hungariæ Palatinus, & Comes Köiönienſis, sub Andrea Secundo Rege anno Domini 1221. de quo inter alios Bonfinius. XXI. *an.1219.*

NICOLAUS Palatinus Regni Hungariæ, & Comes Sopronienſis, floruit anno Domini 1220. sub Andrea Secundo Rege. XXII. *an.1220.*

JULA filius Borz Comes Palatinus Hungariæ, & Comes Bodrogienſis, cognomento *Magnus*: Vixit anno salutis 1222. sub Andreâ Secundo. XXIII. *an.1222.*

PHILIPPUS Comes de Szepesuiuár, Regni Hungariæ Palatinus extitit ab anno Domini 1223. usque ad annum 1225. XXIV. *an.1223.*

JULA filius Borthz, iteratò Palatinus anno Domini 1226. ut patet ex documentis Monasterii S.Martini, quæ penes me habeo. XXV. *an.1226.*

NICOLAUS frater Julæ, ex Comite Sopronienſi, Regni Hungariæ Palatinus anno Domini 1228. XXVI. *an.1228.*

DIONYSIUS *de Vialka*, Regni Hungariæ Palatinus anno Domini 1233. quem Bonfinius refert à Belâ Quarto oculis privatum fuisse. Contra Bathum Tartororum Ducem infeliciter pugnans, fugâ vix evasit. Hic fuit ex familiâ de Hederuara. XXVII. *an.1233.*

WILERMUS DRUGET de Hommonnay, Comes Palatinus Hungariæ vixit anno Domini 1235. sub Belâ Quarto. XXVIII. *an.1235.*

LADISLAUS Comes Palatinus Hungariæ & Comes Simigienſis, vixit anno Domini 1240. à Tartaris in prælio fugatus, ut refert Bonfinius in Belâ Quarto. XXIX. *an.1240.*

DIONYSIUS, filius Dionysii Comitis, ex Bano & Duce Slavoniæ Regni Hungariæ Palatinus anno Domini 1244. sub Rege Belâ IV. XXX. *an.1244.*

CONRADUS, ex Comite Posonienſi, Regni Hungariæ Palatinus anno Domini 1251. ut patet ex litterâ Belæ Regis, occasione possessionis Czaratio, collatæ Detrico Magno, VI. Kal. octobris anno præfato. XXXI. *anno 1251.*

HENRICUS Regni Hungariæ Palatinus vixit anno Domini 1253. sub Rege Belâ Quarto, ut patet ex documentis Monasterii S.Martini. XXXII. *an.1253.*

ROLANDUS ex Comite Posonienſi, & Judice Curiæ Regis, Regni Hungariæ Palatinus, floruit anno Domini 1257. XXXIII. *an.1257.*

THOMAS Comes Palatinus Regni Hungariæ, qui anno 1260. fundavit Cisterciensibus Monasterium *Erchi* in Comitatu Albensi, & diœcesi Vesprimiensi. XXXIV. *an.1260.*

HEN-

XXXV. an.1263. HENRICUS Comes Posoniensis, inde Palatinus Regni, Floruit anno Domini 1263. sub Belâ Quarto.

XXXVI. an.1267. LAURENTIUS dictus *Poth*, ex familiâ Baronum de Hederuara, Comes Simigiensis ac Sopronienſis, nec non regni Hungariæ Palatinus anno Domini 1267.

XXXVII. anno 1272. MOYS, ſive *Moyses* & *Majus*, Comes Sopronienſis ac Judex Cumanorum, indeque Hungariæ Palatinus anno 1272. qui cum fratre Comite Alexandro extitit fundator Monaſterii B. Mariæ Virginis de *Abran*, Ordinis Ciſtercienſis anno 1270. in Comitatu Dobrogienſi & diœceſi Colocenſi. floruit ſub Belâ IV.

XXXIIX. anno 1273. ROLANDUS Banus Machovienſis, ac Regni Hungariæ Palatinus, & Judex Cumanorum anno Domini 1273. ut conſtat ex documentis Archivii in Monaſterii Montis S. Martini prope Iaurinum. Præfuit ſub Belâ Quarto.

XXXIX. anno 1174. DIONYSIUS Comes de Oklicz, Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1274. ut patet ex litteris Clauſtri de Kürmend, Ordinis Fratrum Guilelmitarum ſub regulâ S. Benedicti.

XL. an.1275. NICOLAUS, filius Henrici Bani, Comes Sopronienſis, Regni Hungariæ Palatinus anno Domini 1275. ut videre eſt in litteris Monaſterii S. Martini ſupra nominati.

XLI. an.1278. MATTHÆUS Comes Simegienſis ac Sopronienſis, nec non Regni Hungariæ Palatinus, ac Judex Cumanorum anno Domini 1278. ut apparet ex Archivo dicti loci.

XLII. an.1284. NICOLAUS Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum, anno Domini 1284. antea Comes Simegienſis, & Albenſis, floruit ſub Rege Ladislao Quarto.

XLIII. anno 1292. NICOLAUS, filius Henrici Bani, Comes Poſonienſis, Simigienſis, Tholnenſis & Albenſis, floruit Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1293. ſub Rege Andrea Tertio.

XLIV. an.1298. JOANNES Palatinus Regni Hungariæ anno Domini 1298. ſub Rege Andreâ Tertio. Ejus nomen reperitur in diplomate dato Monaſterii S. Martini anno præfato.

XLV. an.1300. OPOR Comes palatinus Regni Hungariæ, floruit anno Domini 1300. ſub Rege Andrea Tertio. De hoc nihil in faſtos retulerunt Hiſtorici, quod hactenus reperire poteſt.

XLVI. anno 1308. OMODÆUS, Regni Hungariæ palatinus, vixit anno Domini 1308. 1310. & 1312. ſub Regibus Wenceslao, Ottone, & Carolo-Roberto. Occiſus à civibus Caſſovienſibus, bello ſub Carolo Rege Clarus, de quo inter alios Bonfinius meminit.

XLVII. anno 1316. MATTHÆUS, filius petri Comitis de Trenchinio, Regni Hungariæ Palatinus ſub Rego Carolo anno Domini 1315. uſque ad annum 1318. quo humanus deceſſit, vel anno 1319. ut refert Bonfinins lib. 9. in vitâ dicti Regis Caroli.

XLVIII. an.1320. DOMINICUS MAGNUS *de Haſznos*, aliter de *Paſzta*, de genere *Ratold*, Regni Hungariæ Palatinus, ſub Rege Carolo-Roberto anno Domini 1320.

XLIX. an.1324. PHILIPPUS DANGETH *de Hommonnay*, Comes Scepuſienſis & de Abattyuar, Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum, anno Domini 1324. ſub Rege Carolo-Roberto.

L. an.1330. JOANNSS DRUGETH *de Hommonnay*, Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum, anno Domini 1330. & 1333. ſub eodem Rege Carolo-Roberto.

LI. an.1334. GUILELMUS ſive WILHELMUS DRUGETH *de Hommonnay*, Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno Chriſti 1334. ſub eodem Rege.

LII. an.1343. NICOLAUS, filius Gyleti, Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1343. ſub Rege Ludovico primo, quem in Italiam revertentem, inter alios ſecutus eſt.

LIII. anno 1351. NICOLAUS KONTH, filius *Laurentii Poth* de Hederuarâ, ex Vayuodâ Tranſylvaniæ, Regni Hungariæ, Comes Palatinus & Judex Cumanorum, anno poſt Chriſtum natum 1351. floruit vivente Rege Ludovico primo, ſub quo varia bella, & præſertim in Italiâ ac Dalmatiâ contra Venetos geſſit. Vixit adhuc anno 1358.

LIV. anno 1368. LADISLAUS Dux Opuliæ & Velunenſis, Regni Hungariæ Comes palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1368. fuit conſanguineus Regis Ladislai primi, à quo deinde in Dominum Ruſſiæ ſublimatus fuit. Vivebat adhuc anno 1369. ut patet ex litterâ datâ IV. Nonas Julii ad inſtantiam Chriſtiani Romani Generalis Fratrum Eremitarum Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, ſub Ludovico primo Rege.

LV. an.1373. EMERICUS Regni Hungariæ Comes palatinus & Judex Cumanorum, floruit anno Domini 1373.

LVI. anno 1375. NICOLAUS de GARA, Regni Hung. palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1375. ſub Ludovico primo Rege, & Mariâ Reginâ. Obiit anno Domini 1386. cæſus ab Horuathô Bano Croatiæ. Ejus res geſtas videre eſt apud Bonfinium, aliosque.

LVII. an.1384. NICOLAUS Comes *de Seech*, Regni Hungariæ palatinus, & Judex Cumanorum anno Domini 1384. ſub Mariâ Reginâ & Sigismundo.

STEPHA-

STEPHANUS Comes Palatinus Hungariæ & Judex Cumanorum floruit anno Domini 1387. sub Rege Sigismundo. LVIII. *an. 1387.*

LEUSTACHIUS de ILSUA, Comes Albensis, Regni Hungariæ Palatinus ac Judex Cumanorum, vixit anno 1392. sub eodem Rege Sigismundo, officio amotus, anno eodem 1392. LIX. *an. 1392.*

DETRICUS BUBEK *de Pelseucz*, amoto Leustachio fit Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno partæ salutis 1392. eodem Rege regnante, sub quo etiam officio amovetur, præerat tamen adhuc anno 1396. LX. *anno 1392.*

NICOLAUS MARCKZALTHEY, Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum anno à partu Virginis 1400. Regnante Rege Sigismundo. Deo eo inter alios Petrus de Rewy Comes Turociensis Centuriâ V. Rerum Hungaricarum. LXI. *anno 1400.*

NICOLAUS de GARA, alterius Nicolai Palatini filius, & ipse Regni Hungariæ Palatinus ac Judex Cumanorum, præfuit anno Domini 1402. Eodem Rege Sigismundo. LXII. *an. 1402.*

DOMINICUS BEBEK *de Pelseucz*, Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1407. ut patet ex litterâ datâ festo S. Galli, & protestatione Fratrum Elephantensium contra Laurentium Vr, & filios ejusdem. LXIII. *1368. 1407.*

MATTHÆUS de POLOCH, ex Judice Regiæ Curiæ, fit Palatinus Regni Hungariæ & Judex Cumanorum anno Domini 1434. sub eodem Rege Sigismundo. Vixit adhuc anno 1435. quo inter alios subscribit ejusdem Regis diplomati, VIII. Idus Martii expedito. LXIV. *anno 1434.*

LAURENTIUS de HEDERUARA, ex Agasonum Regalium Magistro, factus Regni Hungariæ Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1437. sub Regibus Alberto Austriaco, Vladislao Polono, itemque Joanne Hunniade Gubernatore. Vladislao Polono Budam adventanti urbis arcem ultro patefecit, & interregis potestate utens, eundem in sede regiâ collocavit. LXV. *anno 1437.*

LADISLAUS de GARA, ex Bano Machoviensi, Regni Hungariæ Palatinus, vixit adhuc anno Domini 1449. & 1452. officium deinde resignavit. LXVI. *an. 1449.*

UDALRICUS Regni Hungariæ Comes Palatinus, anno 1456. sub Ladilao Postumo, Legatus in Galliam pro adducendâ Regi sponsâ Magdalenâ Regis Galliæ filiâ, dum Rex subito moritur, negotio infecto rediit. De qua Legatione inter alios etiam videndus Dubravius Rerum Boëmicarum libro 29. fol. 184. licet apud authores Hungaricos nullam *Udalrici* Palatini memoriam reperim. LXVII. *anno 1456.*

MICHAEL ORSZAG *de Guth*, ex Judice Curiæ Regiæ, Comes Palatinus Regni Hungariæ & Judex Cumanorum floruit anno Domini 1458. De quo libro 1. decade 4. Rerum Hungaricarum hæc habet Bonfinius. *Michael ORSAGH Palatinus, Vir fuit eâ sapientiâ, probitate ac fortunâ, ut cum sub Sigismundo florere cœperit, quem in Italiam dispensator secutus est: sub quinque Regibus nunquam interceptâ felicitate, ad extremum usque finen, vitam cum summâ laude & autoritate peregerit. Hunc Matthias ob singularem prudentiam, experientiam rerum & æquitatem, abdicato Ladislao Garâ, Palatinum creavit.* Ejus viri prudentissimi solenne dictum erat de Rege Hungariæ: *Quemcunque sacrâ Coronâ coronatum videris, etiam si bos fuerit, adorato, & pro sacrosancto Rege ducito, & observato.* Plura de eo Scriptores Hungarici, quos curiosus Lector adire poterit. Superfuit adhuc anno 1464. LXVIII. *anno 1458.*

URBANUS de *Nagii Luche*, Episcopus Agriensis, Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum, de quo Bonfinius libro 1. folio 4. his verbis meminit. *Tempestate nostrâ urbem Agriam Urbanus Pontifex Agriensis excoluit, qui Divo Matthiâ imperante, claruit, vir tanti consilii, ac sapientiæ compos, ut apud principem illum invictissimum, primum locum obtineret, omnia ageret, quæstvram perpetvam gereret, & per multos annos Prætorii præfecturam, quem Palatinatum dicunt Hæc Viennæ quidem Alemanicæ Pontificatu caruit. Procero corpore & obeso, aspectu liberali ac venerando, probitate summâ, moderatione non mediocri, inauditâ negotiorum laborumque tolerantiâ, profusâ liberalitate, & amore fuit in studiosos non mediocri, universas Principis curas obibat, imperium & omnia è sententiâ gerebat, nullius unquam ocii particeps, ut æternam Domini sui gratiam sibi compararet. Injuriarum suarum dissimulator egregius, & præ animi magnitudine, iræ ac indignationis victor indomitus, omnia æquo animo perferens, utriusque fortunæ pari æquanimitate tolerator: amantissimus suorum, amicis diditissimus, vir gravissimus omnium, & cumulatissimus relator gratiarum: cui triginta millia circiter aureorum quotannis proventus erant, ex quibus præter corpori necessaria, nil recondere voluit: aulam frequentissimam eamque nitidissimam semper habvit, maximâ nobilium, principumque familiâ refertam: in mensâ lautissimus, parcissimus in vestitu: nam vestem solennem nunquam tulit pluris, quàm quæ triginta aureis veniret, octo aureorum togâ forensi, & domesticâ utebatur. In cæteris verò rebus, vel quæ ad divinum honorem, vel ad humanam pietatem beneficentiamque facerent, usque adeo magnificus & profusus, ut neminem illi parem eo tempore Pannonia viderit. Præterea liberalitate, æquitate, temperantiâ, religione, misericordiâ, comitate, magnificentiâ, fide ac dignitate tantâ, ut omnes in amorem observantiamque* LXIX. *anno 1480.*

*tiamque sui jure converteret & alliceret. Sæpe Patrem illum optimum dicentem audivi, se nil præter lautum victum, corporisque tecturam, sibi ex hac vitâ usurpaturum: cætera quæ superessent, se in Dei honorem, & alienam utilitatem erogaturum. Nobilia pascebat & fovebat ingenia, pauperes & calamitosos mirâ beneficentiâ complectebatur: in litterario ludo multos alebat, templa ædesque magnificas erigebat: suas ecclesias superbis non modo ædificiis, verum etiam aureis vestibus, schyphisque argenteis mirificè exornabat. Ita vixit, ut non suæ, sed alienæ utilitati vixisse videretur: & semper esse, quàm videri maluit. Nemo quanti fuerit URBANUS admiretur, cum tantum Regem sapientiæ suæ Præceptorem habuerit: & qualis ille fuerit, hinc quisque conjiciat, quantæ molis erat Divo tam abundè satisfecisse Principi. Hic igitur non solum virtute ac dignitate summâ, sed optimâ Nepotum turbâ, vir omnium judicio felicissimus potuit appellari: ex quibus* Stephanus Crispus *erat, nunc Syrmiensis, ut ajunt, Episcopus declaratus, humanitate summâ, moribus nobilissimis, item magnâ bonarum artium doctrinâ præditus, qui* Urbanum *avunculum omni ex parte referebat.* Hæc ille.

Fuit quoque Episcopus Jauriensis electus & confirmatus anno Domini 1486.

LXX. *anno 1485.* EMERICUS *de Zapolya*, Comes perpetuus terræ Scepusiensis, Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1485. floruit sub Rege Matthiâ, & anno 1486.

LXXI. *anno 1492.* STEPHANUS *de Zapolya*, Emerici frater, perpetuus Comes Scepusiensis, nec non Regni Hungariæ Comes Palatinus ac Judex Cumanorum anno Domini 1492. sub Rege Uladislao Polono, sive *Dobersi*. Hac ætate meminit Bonfinius cujusdam Panzolzy Palatini, de quo apud alios mentionem non reperio.

Obiit Stephanus Scepusi anno Domini 1499. tribus ex Uxore Hedwige filiâ Præmislai Ducis Teschinensis relictis liberis, nempe Joanne, qui postea Rex fuit, Georgio, ac Barbarâ Regis Sigismundi Poloniæ uxore.

LXXII. *anno 1500.* PETRUS GEREB, Comes *de Wingardt*, Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1500. ex Judice Curiæ Regiæ. Obiit anno Domini 1503. in arce suâ Valponiâ.

LXXIII. *an. 1504.* EMERICUS *de Perenis*, sive *Prini*, Comes perpetuus Abavivariensis, Comes Palatinus Regni Hungariæ & Judex Cumanorum anno 1504. sub Rege Uladislao Polono. Fuit Emericus vir gravis & severus, ejus Stephani Perenii filius, quem Matthias Rex ob conjurationem Casimirianam adversus se initam, in ordinem redactum, bonis omnibus spoliaverat: ita tamen, ut postea huic Emerico, velut insonti, illa restitueret: qui etiam non multo post Viduam ipsius Gerebii Dorothæam Canisianam, connubio sibi junxit, sicque arce Valponiâ potitus est.

De eo hæc habet Istuanffius libro VI. enumerans pacta conventu de successione Regni Hungariæ cum Maximiliano Imp. Austriaco. *Quæ dum agerentur*, inquit, *Emericus Perenius Palatinus (quam dignitatem supremam esse, Regiæque proximam supra dictum est) sævissimis articulorum doloribus vexatus, Posonii subsistere erat coactus. Is cum contractam cum Cæsare affinitatem, ac successionis jura in ejus Nepotes translata cognovisset, seu occultatâ ambitione ductus, seu Vaiuodæ instinctu, sive sic fieri oportere arbitratus, cum nec equo insidere, nec pedibus incedere posset, per fora & plateas civitatis passim curru circumvectus, contractibus illis à Cæsare & Regibus initis, quibus regnum Hungariæ ad exteros transferretur, se tamquam Palatinum, cui id muneris & officii incumbat, nomine statuum & ordinum regni altâ voce contradicere proclamavit; idque concurrenticus ad ejus rei spectaculum variis hominum generibus & turbis, sæpius repetivit; posteaque secundo Danubio Budam descendit. Quæres ad Cæsarem & Uladislaum delata, non parvam animis eorum perturbationem molestiamque attulit, veritis, ne ea temporis processu sibi suisque nepotibus fraudi esse posset. Itaque Uladislaus consilio jussuque Cæsaris eum ad se vocatum, prolixiore sermone ejus intempestivi facinoris reprehendit, quod novas & justas, quas ad stabiliendam suam & liberorum suorum dignitatem rationes magno labore gravibusque impensis, nec improvido judicio quæsivisset, ipse privatâ ambitionis temeritate corrumpendas existimasset, multitudinique promiscuæ ad seditionem vel nunc vel imposterum concitandam, non levem ansam præbuisset. Velle ita se, ut recollecto animo cœptum opus retractare, sibique & suis datâ solenni revocationis syngraphâ cavere haud cunctetur. Sed ille pro insitâ naturæ suæ superbiâ, negavit se à susceptis consiliis, vel latum unguem discessurum; addiditque inflatiore mentis duritie nihil Majestatem ejus veritus, se etiam in futuris Comitiis, publicas nobilissimæ suæ nationis libertates, ne inauspicatæ exterorum potestati subjiciantur, si aliter subvenire nequeat, publicâ factâ contradictione defensurum: neque detrectare, quin suo erga patriam & Rempublicam voto ac pietati, vel honestâ morte satisfaciat; cum jam senio morbisque gravatus, non longum vitæ finem expectandum arbitretur. Hæc ad Cæsarem perlata, solicitum eum diu tenuere, cogitantem quibus modis atque artibus Palatinus deliniri & in partes tradu-*

*traduci posset, commeantibusque ad Vladislaum ultro citroque litteris & nuntiis, mutuo tandem consilio tentandum illius animum & expugnandum largitione muneribusque decrevere. Itaque re deliberatâ, Vladislaus arcem Sarosiam, edito in monte sitam, vicinamque civitatem Eperiessam ex alto prospectantem, hereditario jure ei promittit, simulque effecturum apud Cæsarem (qui ejus offerendi muneris primus præcipuusque auctor erat) ut ex uberiore ejus benignitate titulis & honoribus auctus, sacri Romani Imperii Princeps & Dux Sarosiensis in posterum appellaretur. Quibus rebus Emerici animus, avaritiâ atque ambitione præceps eo est adductus, ut diceret se fœderi & contractui Viennensi, privato quidem suo, sed nequaquam Palatinali nomine subscripturum. Verum Principes arbitrati, si promissa ei reddantur, fore ut ille quoad subscribendam syngrapham in eorum sit futurus potestate, arcem quidem Sarosiam ei tradidere. Sed dum solennes litteræ & diplomata Principatus à Cæsare expediuntur, & ad illum perferuntur (quæ quidem expedita, non tamen ad eum morte præventum perlata esse satis constat) ipse in gravem morbum incidit, quo paulò post Budæ excessit; condito prius testamento, non obscuræ ambitionis & arrogantiæ pleno: quandoquidem in eo Vladislaum anxio solicitoque animo petebat, ne funus suum ad ripam usque Danubii prosequi dedignaretur; Proceres verò & Primores singillatim, ut trajecto Danubio ad Pesthana usque suburbia comitarentur; tum quod cerei arderent, quot currus, quot atrati famuli, quis numerus cantorum, & sacerdotum, quantum itineris uno die faciendum, quibus in locis subsistendum esset, adeo exquisitè ac minutatim præscribebat, ut à nonnullis vel fato functus haud immeritò rideretur. Tamen Vladislaus singulari ex pietate filium Ludovicum ad Danubium usque deducendo funeri adhibuit; atque illud in templo Terrebesiano, quod ipsemet memoriæ & honori Divi Pauli Primi Eremitæ à fundamentis construendum curaverat, conditum fuit. Mortuo Perenio, Joannes Vayuoda, & quos suæ factioni addictos habebat, ad res novandas, regnumque dissidiis exagitandum, occasionem invenerunt.* Huc usque præfatus auctor.

STEPHANUS BATHORI, Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum sub Rege Ludovico secundo, creatus anno Domini 1517. in Comitiis Pesthanis, quibus Rex intererat, itemque Joannes Comes Scepusiensis, qui & Vaiuoda Transylvaniæ. Is cum Gubernatorem regni se fieri non posse (contrariorum suffragiorum intercessione, quæ factionem ejus superabant) animadverteret, ad Palatinatum consequendum tacitè contendebat. Sed cum tam Regis, quàm Procerum utriusque nationis vota, ambitioni potentiæque ejus adversari pro comperto haberet (quorum maxima pars ad Stephanum Bathori inclinabat) nuncios secretò ad illum mittit, multa pollicendo, admonendoque promissorum, quæ armis agrestium in summum deductus periculum, obsessusque sibi dedisset; nempe Magistratum nullum se inscio, aut inconsulto petiturum, aut oblatum accepturum: proinde ut memor eorum sibi æquo animo cedendum existimaret, hortabatur. Verum Bathorius, suasu Thomæ Cardinalis Strigoniensis & Bornemissæ, qui disturbandis Vaiuodæ consiliis invigilabant, breviter respondit, se eam dignitatem nec unquam ambivisse, neque si offeratur, repudiaturum, ne degeneri animo & ignavo, ei se imparem fateretur. Quo responso Vayuoda facile intellexit, alios quoque esse, qui cum eo ambitione, honorumque, & dignitatum aviditate, simul & dominandi libidine haud mediocriter certandum esse existimarent. Igitur Bathorius, præterito Vayuodâ, Palatinus declaratur uno Regis & Senatus, nobilitatisque consensu (exceptis Vayuodanæ addictis factioni, qui repulsam ægrè tolerabant) simulque in Comitiis sacramento adigitur, ad Rempublicam secundum leges rectè fortiterque gerendam. Quam rem ægerrimè ferens Vayuoda, bile tumidus ac indignabundus, extemplo cum suis domum discessit. Hæc fuere causæ discordiarum & contentionum inter Vayuodam & Bathorium, ac maximarum ærumnarum initia, quibus tandem effectum est, ut regnum Hungariæ, pace & concordiâ disturbatâ, miserabilem in modum quassatum ac dilaceratum, peneque eversum videatur. LXXIV. anno 1517.

Paulo antequam pax stabiliretur, Stephanus Bathorius Palatinus in arce deveniâ supra Posonium, ubi Danubius & Morava fluvii comminiscentur, quam Ferdinandus ei inhabitandam dederat, senio & articularibus omnium membrorum doloribus confectus, fato functus est, & Posonii in Majori Divi Martini æde tumulatus anno Domini 1535. unicâ relictâ nubili filiâ Clarâ, quam è conjunge Sophiâ Conrandi Ducis Mazoviæ filiâ susceperat; quæ etiam cum ab Anna Reginâ amanter educaretur, jamque Carolo Duci Munsterbergensi desponsata esset, pari casu patrem secuta est, non sine summo sponsi & Reginæ mœrore. Per eadem tempora, anno nempe Domini 1535. vitam cum morte commutavit Joannes Banffii à Linduâ, quem Joannes Vayuoda sibi Palatinum creaverat, in arce suâ Sapronciâ, magno ejus dolore, cum eum præ cæteris ob fidem & integritatem charum in primis haberet. Post Stephanum Bathori Palatinum, cessavit aliquantisper dignitas Palatinalis, & tantummodo præfuerunt Locum tenentes Palatinales, qui hoc ordine sequuntur.

Regii Locumtenentes Palatinales per Hungariam.

anno 1536. ALEXIUS TURZO *de Bethlen falva*, Judex Curiæ Regiæ, fit Locumtenens Regius per Hungariam, moriturque initio anni 1543. Nam postquam ad Ferdinandum libertatis Perenio obtinendæ causâ profectus, nullum operæ prætium fecisset, domum reversus, in morbum incidit: quem cum sustinere non posset, divisa testamento inter filias & patrueles opulentissimâ hæreditate, è vitâ migravit, ac Leuociam deductus, avito sepulchro, singulari funeris pompâ, illatus est. Fuit vir prudentiâ ac gravitate summâ, priscique & integri moris, à Uladislao primum ad honores evectus, deinde liberalitate Ludovici dignitatibus bonisque auctus; postremò majores opes & divitias à Ferdinando consecutus, & inter primos amicorum adscitus, tum commendatione Annæ Reginæ, cujus gratiâ florebat, tum quod Germanicâ ac Polonicâ linguâ facundus, fide incorruptâ, & pacis artibus clarus habebatur. Ejus importunus exitus Perennio angorem & mœstitiam non mediocriter auxit; quod se claro præpotentique deprecatore orbatim videret, seque vel innocentem, indefensum, diuturno carcere macerandum, & denique periturum putaret.

anno 1543. FRANCISCUS de REVA, vacante officio Palatinatus, Regni Hungariæ Locumtenens Palatinalis anno Domini 1543.

anno 1544. PAULUS VARDANUS, Archiepiscopus Strigoniensis, fit Locumtenens Regius per Hungariam anno 1544.

anno 1550. EMERICUS VYLAKI, Episcopus Jauriensis, postea Agriensis, & Præpositus Posoniensis, fit Locumtenens Regius per Hungariam anno Domini 1550.

anno 1553. FRANCISCUS VYLAKI, Locumtenens Regis per Hungariam anno 1553. cui eodem anno adimitur ea dignitas, & novus Palatinus creatur Thomas Nadasdius.

LXXV. anno 1554. THOMA NADASDI ex vetustâ Comitum Pochenedioz prosapiâ antea quidem clarâ, & Illustri, sed injuriâ postea temporis, ut sunt res humanæ, perpetuis fortunæ vicibus obnoxiæ, attenuata, & ad ordinem Equestrem redacta, Oriundus Patre Francisco, sub Rege Matthia certi ordinis Cataphractorum ductore, qui cum prima harum rudimenta puer domi, privata institutione imbibisset, Adolescens curâ Parentum Græcium Metropolim Styriæ missus, Principia artium, & reliquarum liberalium disciplinarum, unà cum lingua Germanica quod perfectissimè calluit hausisset, inde adultior factus, ope Stephani Toryck avunculi, primo Bononiam, postea Romam profectus, complures annos in studiis Philosophia transegit, confirmatoque multarum præclararum rerum, & lingua Italica cognitione judicio, à Thoma Cardinale Cajetano, à summo Pontifice ad solicitandam apud Regem Ludovicum funestam, & Hungaris perpetuo luctuosam expeditionem, contra Solimanum, in qua Rege ipso cæso, omnis flos militiæ & Nobilitatis Hungaricæ cecidit, misso, pro interprete Ascitus, in Patriam rediit, & ab eodem Rege commendatus Secretarii munera magna laude est functus, tantique apud Regem brevi factus, ut Legatum miserit Spiram, ad Carolum Quintum, & reliquos Romani Imperii Principes, comitia agitantes solicitatum auxilia contra Turcam jam antea promissa, ubi diu detentus & non nisi inani spe dimissus, cum vix Regni fines attigisset, rumore perditi Regis & deleti universi Exercitus passim diffuso, Commaromium recta contendit, ad Reginam Mariam, quo illa Regem in expeditionem profectum, una cum Joanne Bornemissa nutritio Regis, homine jam tum senectute gravato, cæterum ab initio singulari sapientia, & gravitate ac magna rerum experientia clarissimo, ob eas dotes, ab Uladislao Casimiri morituro præ reliquis Baronibus liberorum & Regni curæ Præfecto, belli finem illic expectatura secuta fuerat, unde tumultuaria navigatione, magna omnium trepidatione arrepta, & navibus aliquot Regia gaza onustis submersis, Posonium pervenientes, postquam bonus senex & mortem Regis acerbissime, intemperantissimeq; se afflictando ferret, & de Regni statu constituendo animo fluctuaret, Nadasdium præ cæteris omnibus delegit, quem ad Annam Germanam Ludovici Regis sororem, jam antea Ferdinando Archiduci Austriæ nuptam accedat, & ad maritum, & ipsum de obtinendo Regno, per mortem fraternam in se devoluto, tum quorum magnatum opera, & authoritate facilius consequi possit edoceat, Vaiuodam siquidem Transylvania haud dubiè de eo præripiendo, modis omnibus, nisi maturaverint laboraturum, qua in legatione prout singularem fidei ingeniique dexteritatem Thomas Nadasdi patriam futurumque Regem declarat ita magnam, tum apud ipsum & conjugem ejus, tum omnes publicæ salutis amatores gratiam & benevolentiam sibi comparavit. Porro Ludovico in die quæ memoria decolati Joannis Baptista est sacra, cum Copiis deleto, Vayuoda complurium optimatum congregatis ut plurimum studiis & suffragiis, pridie Martini Tumultuarie propemodum se in Regem inaugurari fecit, Ferdinandus ab alia parte, adjuncta sibi faniore Baronum pares, & à fratre Carolo Quinto adjutus, ineunte Anno, magnis cum copiis venit, & Diadema Regni legitima electione, & magna omnium comprobatione, sibi delatum

Mense

Mense Novembri suscepit, inde Budam contendens. Expeditum habuit ingressum, Rege Joanne in Poloniam ejus metu se recipiente, ubi constitutis publicis, quæ temporis brevitas ferebat rebus, Viennam redit, obeunteq; rerum multo ante Joanne Bornemissa Castrum Posonicum, ab eo in Præfectura tritum recipit, & Castra Comitates Joanne Zalai, attributa, Castellaneatus Budenses, Thoma Nadasdio cum imperio defert, addita spe Castri ejusdem Fogaras, perpetuo sibi deferendi. Cumque populari rumore percrebuisset, Solimanum ad preces Regis Joannis Budam sine mora obsessam & acceptam ei redditam, idque denuò impugnari, re quoque ipsa comprobare, reaquisitis & recuperatis rebus frustra obsideri variis omnibus, nihil eorum quæ vel prudente, ac forti Duce, vel milite animosissimo digna fuerunt neglexit, verum fato res Hungaricas ad excidium trahente, dum impressioni Turcarum ipse ab una parte, cum circa militum cohorte resistit, & manibus jam antea quassis, & Bombardarum pilis pertusis subeuntes rejicit, ab alia parte cohors Germanorum, hostem inter ipsam dimicationem Handio oratione deditionem suadente, & cum vita immunitatem cum facultatum libertatem pollicentem, admisit, qui eodem cum Germanis impetu irrumpens, Castellanum, & qui secum dimicabant, inopinato adorientes, compluribus cæsis capiunt & in conclave proximum conjiciunt, factaque hoc pacto perfidia militum, deductione Germani in cæmiterium templi Sancti Joannis, sarcino omni spoliati deducuntur, de postridie exceptis paucis Adolescentibus, quibus nefas ruinam indulserat, omnes trucidantur, Castellanus & ipse eodem die, ad primarium Passam Ibrahimum deductus, & ab eo ut barbaro, præter decorum intemperantiore oratione reprehensus, quod Budam Sedem Regis Hungarici, Hungarus & ipse contra naturalem Principem, & potentissimum Orbis terrarum Monarcham Turcam, tam pertinaci & ferrea audacia propugnare ausus fuerit, ipse verò fidem & constantiam legitimo suo Regi, ac Principi obligatam, præsentissimo Animo brevibus excusante, mox à duobus Chauziis & certo primariorum satellitio, ad Vadum Danubii missum, per spatium Regi Joanni ad castigandam ejus temeritatem offerendum, re tamen ipsa in flumen præcipitandum, quo equulo vectus, cum in navim insiliisset, custodes additi, arrepto sago, equo detrahere dum conantur, interim ipso quoque reluctante & ex lucta peste disrupta, in proximam navem se præceps conjecit, qua die haud dubiè providentia per se soluta, magna colluctatione cum fluvio habita, circa vesperum tandem, vix defertur in adversam ripam, in qua Rex Joannes cum suis necabatur, & recta tentorium Regis ingressus, amplexatisque & exosculatis ejus genibus, veniam ab eo obtinuit, cum Ludovico Grichio cœnantes, solutaque tandem Cœna, cum Ludovicus privatim pauca cum eo verba fecisset, solertiam animi, naturæque vigorem, Latinæ & Italicæ linguæ singularem elegantiam, gravitate moderatum, admiratus, in tentorium privatum abductum, & penula Italica donatum, multos dies in contubernio habuit, Regique tandem multis nominibus laudatum commendavit, qui & ipse multis & gravibus rebus probatum, postquam animadvertit, singulari DEI munere, multis naturæ ornamentis præditum, primo in Consilium ascivit tandem delata ei Præfectura Agriensi, tum temporis Præsule carente, animadvertensque ad majora longe eum munia à natura instructum, tradita illi arce Husse, loco fodinis salis celeberrimo, cum oppidis ac reliqua ditione maromarussii, ei adnoxia, titulo Thesaurarii, auxit, quibus in rebus fortissimam quidem Regi operam navavit, interim tamen fidei jam antea Regi Ferdinando, tempore Castellonatum, injici, data animo sibi obversante conquiescere nunquam potuit, priusquam ab eo libertatem temporum, rationi sese accommodandi, per literas consequeretur, qua consecuta, violens statum Joannis Regis Turcicæ amicitiæ, & defensioni obnoxium, olfaciens etiam amicitiam Ludovici Grichii, tametsi spatia benevolentiæ, in defendendo à Ferdinandi potentia, Rege à Solimanno dati, fucatam, reipsa tamen nihil alium agi, quam ut Hungaria à Turcis subjugata, Venetis vectigalis fiat, ipse vires & arma sua, contra Italos & reliquas Europæ nationes, facilius domabiles convertat, nec multum abfuit, quin conatus hos eventus comprobaret, constitutum quippe clàm inter Solimannum & Grichium fuerat, ut Regi frequentissima omnium, quæ antea habuit comitia, omnibus Regni ordinibus, de gravibus Reipublicæ rebus, cum iis consultaturo, indicenda persuaderet; Ad quæ Turca præter opinionem, expectationemque omnium adesset, & Rege cum Regnicolis Budæ oppresso, Regnum in suam potestatem redigat, Quare Rege suasionem Grichanam per simplicitatem animi approbante, contigit Secretarium Grichanum necessitate privata, & beneficiis acceptis Thomæ Nadasdii devinctum, rem omnem clam significare, Quam & Nadasdio Regi sine mora communicante, Comitia statim revocata fuere, Turca nihilominus promulgatam jam expeditionem intermittere noluit, ne insidiæ ejus palàm fierent, sed ne frustra expeditionem instituisse videretur, leivbus tantum, quas Campestres vocant, Bombardis ruinatis oppidum Ginz obsedit, quo per deditionem potius, spe Potiundi Regis & Regni frustratus rediit. Quo facto, quid & quantum Thomas Nadasdii, non tantum Hungariæ, sed toti

Orbi Christiano profuerit, facile ex re ipsa colligi potest, videns igitur futuræ rerum Joannis Regis dubiam & formidolosam conditionem, accedente ad id legitimi Regis sui meritorum, frequenti cogitatione, nihil prius antiquiusque in votis habuit, quod si quo pacto ad ejus fidem redire, eique ac Patriæ saluti operam perpetuam navare posset, nec defuit optimæ ac salutari voluntati successus felix & fortunatus, despondente enim sibi unicam filiam Ladislai Kanisay ex Illustri, eaque opulenta, & Potenti Baronium Regni familia, adito aliquoties Rege Joanne dimissionem privatim petiit, defendendorum bonorum uxoriorum causa, Partibus Ferdinandi jam tum in illis locis invalescentibus, quod postquam multis precibus obtinere nunquam potuisset, accepta tandem facultate domum revisendi, per literas ex itinere obedientiam ei Regi debitam, non sine magno ejus dolore renunciavit, & ad Ferdinandum magna cum congratulatione amicorum postliminio rediit, quem & Rex non sine magna læticia, jam antea ex multis virtutibus cognitum excepit, & in præcio habitum, primo consilio allectum, Prætura literarum seu sociarum Civitatum, Postea Bonatti Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ, collega Petro Keglevich auxit, tandem supremum Capitaneum Regni constituit, quo abdicato officium Judicatus Curiæ attribuit, in quibus Præfecturis multa fortiter & præclarè gessit, tàm Consilio quàm armis, & inter reliqua interfuit, Expeditionibus Pestana Rogondorffero, Jauriensi Mauritio, Saxoniæ Lippensi Joanne Castaldo Ductoribus, in qua militibus impressionem segnius facientibus vexillum signiferi manibus acceptum primus in mœnia semiruta sustulit, & in oppidum desiliens, solus in capiendo, & victoriæ clarissimæ porcæ occasionem præbuit, Postremo cum status Regni, de restituendo summo secundum Regiam dignitatē, Magistratu Palatinatus, multos annos vacante, frequentes fecissent Ferdinando preces, præ aliis Thomas Nadasdi, tàm Principi, quàm Regno dignissimus visus est, cui id ipsum muneris deferretur, quo integrum propè octennium administrato, præter reliquos labores, alia multa feliciter & sapienter, magna omnium admiratione gesta, duas contra Turcas fecit expeditiones, alteram subitam, ad deterrendam ab obsidione Babolzæ, alteram anno in sequenti, sub Babolzam ad liberandam, ab obsidione Passæ Budensi Zigeth, recuperavit etiam Hegyesum, antea à Turcis, captum, nullaque breviter aut expeditiones contra Turcam, aut tractatus inter Regem Joannem, ac postea ejus viduam, & filium intercessere, quibus cum legatis præcipuis non interfuisset, & authoritate & sapientiâ suâ publicæ paci non studuisset, certumque est eum ab initio suasorem pacis cum vidua, & filio Joannis ineundæ fuisse, non in has calamitates Regnum, nec Buda in Turcicas manus venisset.

Apud Ludovicum præcipuos Patronos, quos singulari reverentia & fide coluit, Ladislaum Archiepiscopum Strigoniensem, & Joannem Bornemissam, horum à quibus & ipse amatus, & multis rerum incrementis est auctus, necessarios porrò Stephanum Maylad, primo dispensatorem, seu Præfectum Culinæ Regiæ, cui sororem Germanam matrimonio junxerat, hominem Augustis quidem, ingenuis tamen natalibus prognatum, cæterum naturæ magnanimum, Consilio celerem, & acrem, & in re militari præstantem, ut qui post fata Ludovici ad baronatus honorem, & Transylvaniæ Præfecturam Ferdinandi munificentia evaserit, & Joannem Szalay qui cum viventi Bornemissæ Aulæ Præfectus fuisset; Postea liberalitate Ferdinandi, mortuo successit in Præfectura & dignitate Cottus Posoniorum, in qua & vitam finivit, quibus tam arcto, ac vehementi amore conjunctus fuit, ut de communione rerum & fortunarum omnium, privato sese Juramento obstrinxerint, idque ad mortem singulari constantia coluerint; Unde factum fuit quod Ferdinando Castrum, & Comitatum Fogaras meritorum commemorationem (ergo) jam antea promissam, ipsi donante noluerit, nisi infertis horum quoque nominibus, Diploma exindè aditum à Rege habere, tantaque in utrumque usus est liberalitate, ut etiam uxoria bona eorum usibus semper libera, expeditaque fuerint, & Fogaras quoque Stephano possidendum permiserit, ex quo à Vayuoda Moldaviæ Petro, per fraudem simulati colloquii elicitus & captus, ac Turcico tandem Tyranno donatus, Constantinopoli in perpetuis carceribus vitam finivit. Mortuus tandem & ipse in Castello Egeruar 2. Junii Anno Domini 1562. ætatis 64. incredibili omnium Ordinum hominibus, cum luctu, tum desiderii unico hærede Francisco superstite.

## LOCUMTENENTES REGII.

Mortuo Comite Nadasdio Regni Hungariæ Palatino, dignitas Palatinalis iterum cessavit, & electi Locumtenentes Regii, ex quibus primus fuit.

*anno 1563.* NICOLAUS OLAHUS, Archiepiscopus Strigoniensis, & Locumtenens Regius, electus anno Domini 1563. sub Maximiliano Secundo Imperatore.

*anno 1563.* MICHAEL de MORE, Locumtenens Regius, ex personali præsentiâ, anno Domini 1563. sub Maximiliano Secundo.

PAULUS

PAULUS BORNEMISSA, sive Abstemius, Episcopus Transylvaniensis, & Administrator Episcopatus Nitriensis, fit Locumtenens Regius anno Domini 1569. *anno 1569.*

ANTONIUS VERANTIUS, Archiepiscopus Strigoniensis, fit Locumtenens Regius anno Domini 1570. præfuitque sub Maximiliano & Rudolpho secundis. Moritur anno Domini 1572. ætatis 73. *anno 1570.*

EMERICUS CZOBOR de CZOBOR *Szent Mihaly*, fit Locumtenens Palatinalis anno Domini 1572. sub Maximiliano & Rudolpho. *anno 1572.*

STEPHANUS RADETIUS, ex Episcopo Agriensi Archiepiscopus Strigoniensis & Locumtenens Regius per Hungariam anno Domini 1573. sub Maximiliano & Rudolpho. *anno 1573.*

NICOLAUS ISTHUANFFI, Regni Hungariæ Propalatinus seu Locumtenens Regius anno Domini 1584. sub Cæsare Rudolpho secundo cui pro tribunali sedenti sacramentum dixit, ac in publicum prodeunti, strictum ensem de more prætulit, quod Ladislaus Banffii, Regii stabuli Præfectus, (cui id muneris incumbit) gravi morbo oppressus, abesset. *anno 1584.*

GEORGIUS DRASKOVICH, Archiepiscopus Colocensis, Episcopus Jauriensis, ac sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, fit Locumtenens Regius per Hungariam anno 1585. eodemque anno XV. Kalendis Januarii, cum magno Regis & bonorum omnium dolore obiit, ætatis 62. sepultus Jaurini in choro cathedrali, cujus Epitaphium & Elogium nos seorsim recensebimus inter Archiepiscopos Strigonienses, quorum seriem ac catalogum, propediem publici Juris faciemus, additis quoque eorundem suffraganeis, sive Ecclesiarum Prælatis, qui huic Metropoli subesse dignoscuntur. *anno 1585.*

STEPHANUS FEIRKÖVI, Episcopus Nitriensis, creatur Locumtenens Palatinalis per Hungariam anno Domini 1587. sub Rudolpho secundo. *anno 1587.*

JOANNES KUTASSY, Archiepiscopus Strigoniensis, fit anno Domini 1597. Locumtenens seu Propolatinus Hungariæ, obiitque sub Rudolpho secundo anno 1601. *anno 1597.*

MARTINUS PETHE *de Hetes*, Archiepiscopus Colocensis, ac Administrator Ecclesiæ Jauriensis, fit anno Domini 1602. Locumtenens Regius, sub Rudolpho secundo. *anno 1602.*

FRANCISCUS FORGACZ *de Gimes*, Archiepiscopus Strigoniensis & Cardinalis, fit Locumtenens Regius ad breve tempus 1606. *anno 1606.*

## ITERUM PALATINI.

STEPHANUS ILLYESHAZI, *de Illyeshaza*, Magister Curiæ Regiæ, Comes Lyptoviensis & Trinchiniensis, fit Regni Hungariæ Comes Palatinus ac Judex Cumanorum anno Domini 1608. sub Rudolpho & Matthia secundis. LXXVI. *anno 1608.*

GEORGIUS TURZO *de Bethlenfalva*, perpetuus Comes Terræ Aruensis, fit Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1610. sub Rudolpho & Matthia secundis. LXXVII. *anno 1610.*

SIGISMUNDUS FORGACZ, *de Gimes*, ex Judice Curiæ Regiæ Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum, anno Domini 1618. sub Ferdinando secundo. Fuit Comes Nogradiensis, Sarosiensis & Sabolczensis. LXXVIII. *anno 1618.*

STANISLAUS TURZO *de Bethlenfalva*, perpetuus Comes terræ Scepusiensis, fit Regni Hungariæ Comes Palatinus & Judex Cumanorum anno Domini 1622. sub Ferdinando secundo. LXXIX. *anno 1622.*

NICOLAUS ESTERHAZI *de Galanta*, Regni Hungariæ Comes Palatinus, anno Domini 1625. ex Judice Curiæ Regiæ, mortuus anno Domini 1645. ætatis suæ 63. Et quidem *Nicolaus* Comes *Esterhazi* natus erat Galantæ, domo patriâ, anno superioris sæculi 1583. die 8. Aprilis, Patre quidem *Francisco Esterhazio*, Vice-Comite Comitatus Posoniensis; Matre verò *Sophiâ Illeshaziâ*, sorore germanâ *Stephani Illeshazi* Hungariæ quondam Palatini: utroque parente semper Acatholico. Et quamvis ob ingenitas bonæ indolis dotes, vel in ipsâ tenellâ ætate, grandium virtutum facinorumque præsagâ, utrique parenti præ cæteris liberis fuerit semper mirè charus; ob susceptam tamen anno 1618. Catholicam fidem, à Patre, professioni contrariæ tenacius inhærente, non modò sæpius malè habitus, sed & domo, & hæreditate exturbatus, hæsit aliquamdiu in aulâ *Stephani Illeshazi*, avunculi sui; cum quo variis, & in Hungariâ, & vicinâ Poloniâ jactatus fortunæ casibus; atque ab eodem *Illeshazio*, ut ab orthodoxâ Religione, quam susceperat, desciscceret, miris artibus, & circumventionibus, Domini etiam Trinchiniensis pollicitatione identidem solicitatus; maluit inops exul herum mutare, quàm opulentus hæres Fidem abjurare. Ad Aulam itaque *Francisci Magoczy*, tùm Generalis Cassoviensis, profectus; atque ante omnia, vino ac omni inebriante potu, ne in eo ætatis ardore, oleum, uti ajunt, igni affunderet, sibi abstinendum ratus, quam consuetudinem, à XVI. ætatis Anno, ad usque XXVIII. mordicùs retinuerat,) & Generali ipsi, & cæteris Aulicis, ita semper erat in oculis, ita in amoribus; ut & Aulam universam ipsi moderaretur; & copias militares egregiâ cum laude ducti- LXXX. *anno 1625.*

taret. Neque prius *Magoczio* NICOLAUS, quàm ipse *Magoczius*, vitæ, fortunis, conjugi, NICOLAOque ipsi valediceret. Unde *Magoczio* satis functo, rem bono Deo ita disponente NICOLAUS, non modò fortunarum *Magoczianarum* hæres, sed & *Magochianæ* Viduæ URSULÆ DERSFIÆ maritus effectus, ob desertam amore fidei paternam hæreditatem, cæterasque æternæ saluti minimè proficuas spes, ea demùm sortitus erat latifundia, eos honorum apices, quos & vicina regna, & tota vix dum satis mirata est Hungaria.

Et primùm quidem, Anno M. DC. XI. à MATTHIA CÆSARE, Magnas, uti vocant, seu Baro creatus, ad eundem dignitatis gradum etiam cæteris fratribus, GABRIELI, DANIELI, & PAULO, eorumque posteris aditum patefecit. Quos quidem illi fratres quantum semper dilexerit, quantum coluerit, is solus nesciat, qui vel nomen ESZTERHAZIORUM ignorârit. Eodem anno primas cum URSULA DERSFIA peregerat nuptias.

Anno deinde M. DC. XIV. primam in Regno Apostolico auspicatus Legationem. De qua quidem Legatione, in literis FERDINANDI II. Anno M. DC. XXVI. die x. Augusti, Viennâ ad NICOLAUM exaratis, ita scribentem reperio Ferdinandum: *Ubi primùm palæstram moderandi & gubernandi status publici aggressus, à totius Regni istius nostri Hungariæ universis statibus & ordinibus, ad publicum & Generalem conventum Principum, aliorumque Regnorum & Provinciarum, per prælibatum* MATTHIAM *Imperatorem, Lincium, in Anno* M. DC. XIV. *indictum, ubi non nisi de arduis & gravissimis Reipublicæ Christianæ negotiis, saluteque publicâ asserendâ petractabatur, unà cum aliis Collegis tuis, pro solemni Legatione perfungendâ dimissus fuisti, &c.*

Tertiò postmodùm Anno M. DC. XVII. ab Imperatore MATTHIA supremus Comitatus de Beregh Comes constitutus. Altero vicissim ab hinc anno, ab eodem Imperatore factus Consiliarius, Magister Curiæ Regiæ, & Comes Zoliensis. Postmodum M. DC. XIX. in Tractatu Caroliano, cum Gabriele Betlemio, per FERDINAND. II. supremus delegatus erat pacis conciliandæ Commissarius. Anno verò M. DC. XX. Mense Septembri, in Lakompack, ab exercitu Betlemiano arctè obsessus, at non multò post auxiliante Deo, & Duce Dampierio, insigni hostium editâ strage, & ab obsidione, & à certissimo simul quod imminebat vitæ, fortunarumque periculo, liberatus. In Tractatu deinceps Nickelspurgico, M. DC. XXII. per dictum FERDINAND. II. jussus Collega cæterorum Ablegatorum, ubi primùm Imperatori conclusam cum Betlemio pacem perscripsisset, Cæsaris Camerarius promulgatus est. In eodem anno, ab eodem Imperatore creatus Judex Curiæ Regiæ, & Novæ Arcis, atque confiniorum Antemontanorum Generalis Capitaneus; etiam munus Palatini eodem ipso anno, nisi ipsemet restitisset, indepturus. Qua autem laude, qua satisfactione partes supremi Ducis in Arce Novâ obierit NICOLAUS, etsi nemini rerum perito obscurum esse putem; quia tamen non omnibus idem sensus est, quid FERDINANDUS II. Cæsar Maximus, de militari illo NICOLAI magistratu senserit, quid scripserit, hic, ex iisdem, quarum supra mentionem feci, ejusdem FERDINANDI Cæsaris literis excerptum, omni exceptione majus attexo testimonium: *In qua*, inquit, *functione, strenuè, nec laboribus fracto animo desudans, præstans exemplum virtutis, & ingenui erga Patriam, & Christianam Rempublicam affectus tui symbolum exhibuisti; dum jam fato Principe Transylvaniæ pervagatâ cum Turcis Hungariâ, etiam in Marchionatum nostrum Moraviæ penetrando, ferro, flammaque in obvia quæque sæviens, ingenti præda onusti revertentes, multa animarum millia, absque discrimine sexus, in diram barbarorum servitutem abduci fecisset: tu, contractis aliquibus Præsidiariorum, in confiniis stipendia nostra merentium, exiguis, quas brevitas temporis patiebatur, turmis, innumeris penè hostium turmis, audacter te opponendo, aperto in campo, semel atque iterum in manus conseruisti, factâque in illis insigni strage, vim & audaciam vindicasti, & compescuisti: ac non solùm, haudquaquam contemnendis spoliis & exuviis hostilibus obtentis, vexillis primariis, & præcipuis Turcis captis, plurimisque cæsis, victoriâ non exiguâ potitus, triumphum reportasti; verùm etiam magno numero mancipiorum (dicuntur fuisse M. CCC. XCVI. Christianorum, qui peracto prælio in Arcem Novam inducti; his plures è loco pugnæ in varia dilapsi, atque ad suos reversi,) in libertatem asserendo, Viennam, in Augustam Aulam nostram, invexisti. Quo quidem Heroico tuo facto, nihil omninò contingere potuit, aut ad dignitatem honestiùs, aut ad celebritatem illustriùs.* ita FERDINANDUS ad NICOLAUM. Quem & PHILIPPUS, Hispaniarum Rex, non in unis ad eundem NICOLAUM datis, suum cognatum, amicumque vocitabat, Victoria porrò hæc memoratur contigisse M. DC. XXIII. XXVII. Novembris.

Post hæc Anno M. DC. XXIV. cum CHRISTINA NIARI, Comitis Emerici Turzonis relictâ viduâ, idem NICOLAUS, secundum iniit Matrimonium; & vixit cum hac conjuge, numerosâ per eam, elegantique prole fœcundus, adusque Kalend. Februar. M. DC. XXXXI. cùm antea M. DC. XXV. die XXV. Novemb. Sopronii, in publicis & generalibus regni comitiis, omnium statuum ac ordinum ananimi consensu nominatus fuisset, per

FERDI-

FERDINANDUM II. Palatinus, ac Regius per Regnum Hungariæ Locumtenens, nec non supremus Comitatus Sopronienſis Comes. Anno eodem die x. Aug. ab eodem FERDINANDO II. conſtitutus eſt Perpetuus de Frakno, cum univerſis lineæ rectæ poſteris Comes. A PHILIPPO IV. Rege Hiſpaniarum donatus. Vellere denique Aureo, ac per eundem FERDINANDUM II. Viennæ ritu ſolenni exornatus M. DC. XXVIII. die ultimâ Decembris.

Præter hæc, aliaque quam plurima, per NICOLAUM, non minùs, gloriosè quàm feliciter geſta, bis minimùm toti exercitui Cæſareo in Hungariam, ad ſopiendos regni motus expedito, præpoſitus cum poteſtate NICOLAUS; Anno ſcilicet M. DC. XXX. & M. DC. XLIV. quâ fide, quâ ſedulitate eam Provinciam adminiſtrârit, cùm toti Regno propalàm ſit, nihil attinet ulterius veſtigare. Tandem hoc, & præcedente anno, juſſus Tyrnaviæ, pacem inter Cæſarem, atque Georgium Rakozium, Tranſylvaniæ Principem concludere; priùs ille in Hefflain, loco ditionis ſuæ, thermarum valore non omninò ignobili, poſtremam vitæ, quàm Tyrnaviæ, multùm deſideratæ pacis, concluſit periodum. Dum die XI. Menſis Septembris ultimum, ante medium noctis, urgente quandrantem; & ipſe NICOLAUS, tot ærumnis, tot curis, tot laboribus, pro dulci patriâ, bonoque communi exantlatis, penè fractus, ſexageſimum tertium agens ætatis annum, omnibus ante Sacramentis, ad iter æternitatis ritè refocillatus, ultimùm reſpiravit. Sat amplam quidem ille poſteris ſuis latifundiorum, ſed ampliorem, tam ipſis, quàm cæteris omnibus, relinquens priſcæ fidei, pietatis, virtutumque Viro principe dignarum hæreditatem.

JOANNES DRASKOVICH, Comes pertnus *de Trakoſthian*, ex Bano Croatiæ, Regni Hungariæ comes Palatinus & Judex cumanorum electus anno Domini 1647. Poſonii moritur anno ſequenti 1648. LXXXI. *anno 1647.*

PAULUS PALFY, perpetuus comes *de Erdeod*, Regni Hungariæ comes Palatinus & Judex cumanorum, electus anno Domini 1649. moritur anno 1654. Eques aurei Velleris, quo à Philippo IV. Hiſpaniarum Monarchâ donatus fuit. LXXXII. *anno 1649.*

FRANCISCUS VESELENII *de Hadad*, perpetuus comes de Muran, Regni Hungariæ comes Palatinus & Judex cumanorum electus anno Domini 1655. die 15. Januarii, hodie adhuc ſuperſtes. LXXXIII *anno 1655.*

# CATALOGUS JUDICUM CURIÆ REGIÆ PER REGNUM HUNGARIÆ.

GEORGIUS Curialis Comes anno Domini 1137. floruit ſub Belâ ſecundo ejus nominis Hungariæ Rege.

HEDRICUS Curialis Comes ſub Geysâ II. Rege anno Domini 1157.

CADATIUS Comes curiæ Regiæ anno Domini 1166. Vixit ſub Stephano III. Rege.

MOK, ſive MOYSES, Comes curiæ Regiæ anno Domini 1166. ſub eodem Rege: inde forte Palatinus Regni Hungariæ, de quo ſupra numero XXXVII.

LAURENTIUS Comes curialis Regni Hungariæ, floruit anno Domini 1172. ſub Ladislao II. Rege.

DOMINICUS Comes Curialis ſive Judex, vixit anno Domini 1190. ſub Rege Emerico.

MARCELLUS Comes curialis, ſeu Judex curiæ ſub Rege Andrea ſecundo, anno Domini 1221.

JULA *Major*, Comes curialis, eodem anno 1221. ſub eodem Rege Andrea ſecundo.

BOTHUS Curialis comes anno Domini 1224. ſub eodem Rege Andrea ſecundo.

LADISLAUS Judex curiæ Regiæ, floruit anno Domini 1229. ſub Rege antedicto Andrea ſecundo.

DEMETRIUS comes curiæ Regiæ anno Domini 1233. ſub eodem Rege Andrea ſecundo.

ROLANDUS comes Poſonienſis, & Judex curiæ Regiæ anno 1256. fit inde comes Palatinus Regni Hungariæ, de quo ſupra numero XXXIII.

DEMETRIUS comes Moſonuenſis, Judex curiæ Regiæ, floruit anno Domini 1264. ſub Belâ Quarto Rege.

NICOLAUS Comes *de Guechke*, & Vayuodâ de Banya, itemque Judex curiæ Regiæ anno Domini 1274. & 1475. ſub Regibus Bela IV. & Stephano V.

LAMBERTUS Comes Chanadienſis & Nitrienſis, Judex curiæ Regiæ anno Domini 1317. 1322. & 1324. ſub Carolo-Roberto Rege.

ALEXIUS, aliis ALEXANDER, Comes Bachiensis, & Judex Curiæ Regiæ, floruit anno Domini 1327. sub eodem Rege Carolo-Roberto.

DESEÖ, Dionysii *de Hederuara* filius, Comes Sopronienſis, Judex Curiæ Elysabethæ Reginæ: floruit anno Domini 1330.

PAULUS filius Simonis, Comes Bachienſis, & Judex Curiæ Regiæ, anno eodem 1330. & 1333.

THOMAS Comes ..... & Judex Curiæ Regiæ per Hungariam, vixit anno Domini 1351. sub Ludovico primo Rege.

NICOLAUS DRUGETH *de Hommonay*, Judex Curiæ Regiæ, anno Domini 1354. & 1355. sub Rege Ludovico primo.

NICOLAUS SZECHI, vel Szaszy, Judex Curiæ Regiæ, anno Domini 1355. & 1358. sub eodem rege Ludovico.

NICOLAUS UGRINI, Judex curiæ regiæ floruit anno 1359. sub eodem Rege.

NICOLAUS *de Hederuara*, ex Magistro Janitorum reginalium, Judex curiæ regiæ, nec non comes Albensis & Tholnensis: floruit 1364.

STEPHANUS BUBEK, Judex curiæ regiæ, anno Domini 1368.

NICOLAUS *de Szèch*, comes Judex Curiæ regiæ anno 1371. sub præfato rege Ludovico primo.

JACOBUS *de Szepes*, sive *Szepus*, comes, & Judex Curiæ regiæ anno Domini 1375. sub eodem rege Ludovico.

PETRUS ZUDAR, Judex curiæ regiæ, vixit anno 1377. sub eodem rege Ludovico.

EMERICUS BUBEK, Judex curiæ regiæ floruit anno Domini 1384. 1388. & 1391. sub regibus Mariâ & Sigismundo.

JOANNES *de Szapoliâ* comes, Judex curiæ regiæ anno 1393. sub iisdem regibus.

JOANNES filius *Dominici de Paszthoh*, Judex curiæ regiæ anno Domini 1396. sub eisdem regibus Mariâ & Sigismundo.

FRANK sive FRANKO comes filius Konyæ Bani de Szeche, Judex curiæ regiæ anno Domini 1409. sub Sigismundo rege.

SIMON de ROZGON, Judex curiæ regiæ anno Domini 1414. & 1416. sub eodem rege Sigismundo.

PETRUS de PERENY, comes, Judex curiæ regiæ floruit anno Domini 1422. & 1423. sub eodem rege Sigismundo.

STEPHANUS *Kompolth de Nana*, Judex curiæ regiæ anno Domini 1424. sub eodem rege Sigismundo.

MATTHÆUS *de Palocz*, Judex curiæ regiæ sub eodem rege Sigismundo anno Domini 1425. & adhuc 1429.

CHRISTOPHORUS ORSAG *de Guth*, Judex curiæ regiæ anno Domini 1430. sub eodem rege Sigismundo.

STEPHANUS BATHORI, comes, Judex curiæ regiæ anno Domini 1435. & adhuc 1449. sub regibus Sigismundo, Alberto, Ladislao Postumo, Uladislao Varnensi, ac Joanne Huniade Gubernatore.

MICHAEL ORSZAG *de Guth*, Judex curiæ regiæ anno Domini 1458. ac deinde regni Hungariæ comes palatinus, de quo vide supra numero LXVIII.

LADISLAUS de PALOCZ, comes, Judex curiæ regiæ, subscribit anno Domini 1463. literis expeditis in Novâ civitate Austriæ ad Fridericum Tertium Imperatorem, pro redimendâ sacrâ regni Hungariæ coronâ. Vixit adhuc anno Domini 1478.

PETRUS GEREB, comes *de Wingardt*, Judex curiæ regiæ anno Domini 1494. & 1498. fit anno 1500. regni Hungariæ comes palatinus, obiitque anno 1503. Vide inter palatinos supra numero 72.

PETRUS comes *de sancto Georgio & Bôzin*, Judex curiæ regiæ, & Vayuoda Transylvaniæ anno Domini 1504. & adhuc anno 1516. sub regibus Uladislao polono, & Ludovico secundo: ut patet ex literâ seu mandato ad conventum S. Benedicti de juxta Gran directum, ad instantiam patrum paulinorum Elephantensium.

LAURENTIUS Dux *de Wylak*, Vayuoda Transylvaniæ & comes Themesiensis Judex curiæ regiæ anno Domini 1519. sub Ludovico secundo rege.

JOHANNES DRAGFFY, Judex curiæ regiæ, obiit in pugnâ Mohacziensi anno 1526. cum rege Ludovico, regium vexillum tenens.

GREGORIUS PÖSTÉNY, comes *de Martonuss*, Judex curiæ regiæ anno 1530. sub Ferdinando primo Rege.

AEXIUS

ALEXIUS TURZO *de Bethlen falva*, Judex Curiæ Regiæ anno Domini 1535. inde Locumtenens Regius per regnum Hungariæ, moritur initio anni 1543. ut videre est superius inter Locumtenentes Regios.

THOMAS Comes *de Nadasd*, Judex Curiæ Regiæ anno Domini 1553. sub Rege Ferdinando Primo: inde Regni Hungariæ Comes Palatinus, de quo plura vide supra Numero LXXV.

ANDREAS BATHORI, Comes Simeghiensis, Szathmariensis, & de Szapolz, Judex Curiæ Regiæ anno 1553. sub Regibus Ferdinando primo & Maximiliano secundo: moritur anno Domini 1566. IV. Octobris, & sepelitur in Monasterio Thallensi RR. Patrum Paulinorum supra Posonium.

STEPHANUS BATHORI, Comes, itemque Judex Curiæ Regiæ, anno Domini 1587. de quo hæc habet Isthuanffus libro 34. Annalium Hungariæ his verbis. *Restabat in partibus Cæsaris* Stephanus Bathorius, *qui Judicatum Curiæ, uti appellant, primam post Palatinum dignitatem obtinebat, in arce suâ Echediâ, in insulâ lacus cujusdam, munitissimo loco sitâ. Sed etiam is, præter omnium opinionem, sive assiduis bellorum incommodis fractus, sive Germanorum odio, & ulciscendis eorum injuriis, quas intolerabiles ab iis sibi illatas quærebatur, seu religionis Calvinianæ asserendæ studio, cui erat addictissimus, ad* Boscajum *descivit. Quamquam autem à* Michaele Bajo, *familiare suo, ne à Cæsare deficeret, multis rationibus confirmaretur, cujus Avum Ferdinandum,* Stephanus Bathorius, *Ipsius Avunculus, qui tunc Palatinus erat, ad capessendum Ungariæ regnum omni ope atque armis juvisset; neque fas esse eum à vestigiis & virtute majorum levibus de causis exorbitare, identidem inculcaret; ipse tamen in sententia perstitit: & sigillum, quo duplici in jure dicundo utebatur, per Michaelem Acreuterium, Germanicæ originis famulum suum, Bajo, ut ad Cæsarem perferendum curaret, misit. Is verò ne ab Haidonibus Austriam & Moraviam hostiliter infestantibus circumveniretur, arcem Deveniam deserere non ausus, ad Martinum Peteium Jauriensem Episcopum, ac tunc Proregia dignitate fungentem pertulit, à quo ad Matthiam Principem missum fuit. Sic vir ille, alias nobilissimæ ac antiquissimæ stirpis, paulo ante obitum rebus novandis animum applicuit; ac quod sæpe in ore habebat, honestum vitæ usque ad funera cursum servare non potuit; tantum in animis hominum, insatiabilis injuriarum ultio, ac vindictæ cupiditas potest. Nec multo post, ultimus illustris & antiquæ familiæ hæres, nullâ relictâ sobole, annum agens ætatis 55. extinctus.* Hactenus ille. Obiit anno Domini 1605.

SIGISMUNDUS FORGACZ, Regni Hungariæ Curiæ Regiæ Judex, anno Domini 1613.

NICOLAUS ESTERHASI, Regni Hungariæ Judex, Curiæ Regiæ anno Domini 1622. inde Comes Palatinus de quo supra numero LXXX.

MELCHIOR ALAGY perpetuus *de Beckin*, Regni Hungariæ Judex Curiæ Regiæ anno Domini 1625. electus Sopronii die 27. Novembris.

PAULUS RAKOCZY *de Felseuuadaz* Judex Curiæ Regiæ præfuit adhuc anno Domini 1635. ut patet ex variis expeditionibus.

JOAANNES DRUGETH *de Hommonay*, Judex Curiæ Regiæ anno Domini 1636. Viennæ Austriæ, die 29. Aprilis.

PAULUS PALFY, Judex Curæ Regiæ, electus Lincii die 6. Fabruarii anno 1646. inde Comes Palatinus Regni Hungariæ; electus anno Domini 1649. moritur anno 1654. Eques aurei Velleris.

LADISLAUS CHAAK, perpetus Comes Scepusiensis, Judex Curiæ Regiæ, electus Viennæ Austriæ, die 23. Octobris anno Comini 1649. moritur Posonii anno Domini 1655. die ... mensis ..... sepultus apud PP. Franciscanos ibidem.

FRANCISCUS de NADASD, perpetus Comes terræ *Fogaras*, Judex Curiæ Regiæ, electus anno Dominis 1655. die S. Ladislai Regis Hungariæ.

FINIS.

FINIS.

In obitum Serenissimi Regis Ferdinandi Quarti,
Regis Bohemiæ. Coronati Anno 1646 Die 5 Augusti,
Regis Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Coronati
Anno 1647 Die 16 Junij. Regis Romanorum etc.
Coronati Ratisbonæ Anno 1653 Die 18 Junij. Li dera-
tus Viennæ Austriæ. Die 9 Julij Ao 1654. Ætatis suæ Anno 20.

Cur moritur natus moesto vivente Parente
Divisum Imperium cum Patre Natus habet.
In Terris Terram Fernandum Terna coronat
In Cœlis Quarum Quarta Corona beat.

D1 SB 262

SNK - Martin
17R0083308